Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

DOMUS LOYOLAEA
BIBLIOTHECA

Universidad de Deusto
Biblioteca

# POLYDORVS VERGILIVS VRBINAS LVDOVICO ODAXIO Patauino S. D.

SVM equidem neſcius Ludo-
uice Odaxi, qua venia digni
accipiantur illi, qui longè à
vero aberrantes, in fabulis
duntaxat neruos prorſum o-
mnes contenderint. In quorum ſanè numero,
cùm poëtæ, tum veteres Philoſophi maximè
ſunt. Sed illis quorum proprium eſt nugas ſe-
ctari, ignoſcendum eſt, his autem non item:
quippe qui cùm veritatis, quæ, ſicut præclarè
Pindarus ait, magnũ eſt virtutis principium,
inueſtigandæ gratia, talem ſcribendi mate-
riam nacti eſſent, vt eam ſuapte natura ſeſe
illis ſæpius offerentem, facilè comprehendere
poſſent, adeò in obſcuris verſati ſunt tenebris,
vt pro veritate, magis magisq; fingendi fabu-
las materiam præbuerint. Etenim, vt de ini-
tijs rerum, de mundi fabrica taceam, cùm de
Deo, aut cœli motu diſſererent, phyſica quadã
ratione, multò nempe maiorem quàm foret,
deorum multitudinem reddiderũt, qui induti
ſpecie humana fabulas poëtis ſuppeditarunt,
hominum autem vitã ſuperſtitione omni re-
ferſerunt, velati qui deinde viros beneficijs

Universidad de Deusto Biblioteca

excellentes in cœlum, fama ac voluntate tolle-
re conſueuerint. Quæ tametſi ſummæ leuita-
tis plena ſunt, dicuntur tamen, & ſtultiſſimè
creduntur. Sed ipſi philoſophi cùm ſapientiæ
laudẽ adepti eſſent, eò quòd pleno greſſu veri-
tatem ſequi viderentur, nihil eos profectò, vt
arbitror, tam deuios egit, quàm veri Dei igno
ratio: ex quo haud dubiè eos fabularum deli-
rationes manarunt, tunc potiſſimè cum futilis
eſſet hominũ ſimplicitas: nam noſtro tempo-
re, quo quidem impendiò magis homines ſapi-
unt, quis huiuſcemodi deos colit, quorum acci-
pimus cupiditates, ægritudines, iracundias,
bella, vulnera, libidines? Quis harpyias fuiſſe,
aut chimeram monſtrum putat? Quæ ve anus
tam excors inueniri poteſt, quæ illa quæ quon
dam credebantur apud inferos portenta exti-
meſcat? Quis tam hebetis ingenij eſt, vt me-
tuat ne ſupra ſe cœlũ labet? ſicut Galli Adriæ
vicini, Magno olim Alexandro percontanti,
quidnam eſſet quod maximè pertimeſcerent,
ſeſe formidare id tantùm reſpondiſſe dicun-
tur. Vbi gentium menſa Solis eſt, quæ diuini-
tus epulas ſuppeditet? quã Aethiopes ſe quon
dam habere iactabant. Veriſſimè igitur M.
Tullius inquit, diem opinionum commẽta de-
lere, naturæ iudicia confirmare, quoniã ſolum
tempus veritatis eſt parens. Quare hoc fabu-
lis fidem habẽdi vitium, magis temporũ, quàm
homin

hominum fuiſſe dixerim. At nobis, qui longè
herclè feliciore ætate geniti ſumus, propte-
rea quòd verũ Deum quotidie intuemur, con-
templamur, atq; veneramur, nullisq; amplius
præſtigiis dæmonum ducimur, ecquid turpius
magis ve pudendum eſſe poteſt, quàm nugas
terere, & fonte veritatis omiſſo, fabularum
riuulos ſectari? cùm præſertim ita natura cõ-
paratum conſtet, vt nullus ſuauior animo ci-
bus ſit, quàm veri cognitio. Ego itaq; opus de
Rerum inuentoribus orſus, quàm veriſſimè po-
tui, omnia tradidi, quò nemo ſua laude frau-
daretur: quoniam inuenire primum præci-
puumq; eſt, reiq; inuentæ dignitas adeò mul-
tos trahit in amorem ſui, vt ſinguli, ſi fieri poſ
ſit, artis alicuius autores ſe dici velint, quòd
ſine artibus ſatis conſtet nullã omnino vitam
eſſe potuiſſe. Ex quo diligẽtius multò officium
feci, & maximè cùm de origine deorũ, & eo-
rum cultu, de rerũ initiis, de hominis ortu pro-
didimus: quod neutiquam facile fuit, quando
iam nugæ cuncta oppleuerant. Cæterum ſum
ego itidem, fateor, in pleriſq; locis id genus fa-
bulas ſecutus, quibus etiam verum ſpecie ali-
qua velatum ſubeſt: ob id tamen nihilominus
veritati hæſimus, quando hoc ratio ipſa exi-
gere viſa eſt. Et quanquã Saturno, Ioui, Nep-
tuno, Mercurio, Dionyſio, Apollini, Aeſcula-
pio, Cereri, Vulcano, & aliis quos deos vocãt,

 quod

Universidad de Deusto Biblioteca

quædam aſſignauimus, ea ipſa tamẽ illis tanquam mortalibus, non tanquam diis, licet ipſe quoq; deos nuncupauerim, attribuimus. Haud me fugit inſuper, quoſdam maleuolentiſſimos fore, qui induſtriam noſtram fortaſſe temeritatem appellabunt, quia ego ſolus de rerũ inuentoribus ſcribere auſus ſum, quod nemo ante me, præter Plinium, particulatim tentarat, qui in VII. Natural. hiſtor. de hac re ſtrictim admodum meminit, fabulas ſic ſecutus, vt minus veritatẽ inueſtigarit. Verùm illud prorſus ignorabant, id multò eſſe præclarius, quò difficilius extiterit. Ecquid enim laudis aſſecutus eſſet Cæſar, ſi facile fuiſſet Britannis bellum inferre? Aut Annibal quantum gloriæ ſibi cõparaſſet, ſi per vias Alpes, dum Italiam adiret, citra, vt dicitur, puluerem ſudoremq; ac non magna ſuorum cæde feciſſet? Propter quod nos etiam hoc opus, etſi arduum, magno animo ſuſcepimus, maturauimusq;: in quo ſi quid deſiderabitur, nemini mirum ſit, quando multa nõ modò vetera, ſed noua inuẽta ſunt, quorum, vt in extremo tertio operis libro perſpicuè demonſtrauimus, inuentores in denſiſſimis omnino umbris latent. Non idcirco tamen inficior (haud enim tantum mihi aſſumo, cùm ſint hodie plures lõgè me doctiores) quin poſſit quiſpiam de hac re, veluti de prouerbiis, quorum libellum proximo anno Guidoni prin-

cipi

cipi, Vrbini Duci inſcripſimus, copioſius tradere. Verùm quicunque hoc vel illud poſthac ingredietur iter, quia nos primi ſtadiũ cucurrimus, is fortaſſe noſtra veſtigia ſequi non grauabitur. Has autem, qualeſcunq; ſunt, lucubrationes, in quibus multarum rerum origo continetur, nemini conuenientius dicari poſſe vel debere iudicaui, quàm tibi, qui ad vnguem ſcriptorum omnium monimẽta noris: nam, vti diuus Hierony. inquit, illi tertium Vergilij Aeneidos librũ lucidius intuẽtur, qui à Troade per Leucadẽ, & Acroceraunia, ad Siciliam, & inde ad oſtium Tyberinum nauigarint: qui inſuper ſic Guidoni Vrbini Duci noſtro ab ineunte eius ætate, à Diuo Federico, vt olim à Philippo Macedone magno Alexãdro Ariſtoteles, præceptor datus es: qui cùm te duce, vtrĩuſq; linguæ peritiſſimus euaſerit, haud equidem immeritò præ omnibus ei chariſſimus es, apud quem, vt par eſt, ſummũ dignitatis gradum tenes, à quo denique tanti ſis, quãti certè fieri debes. Accipe igitur Ludouice Odaxi, hilaro vultu hoc opus à Polydoro tuo Vergilio, idq; ea frontis ſeueritate perlegito, qua eiuſmodi ſcripta legere conſueuiſti. Vale. Vrbini,

Nonis Auguſti,

Anno

M. CCCC. XCIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# INDEX CAPI-
# TVM IN LIBROS
## DE INVENTORI-
## bus Rerum.

*Capita libri primi.*

De prima deorum origine, & vnde Deus dictus. CAP. I
De initiis rerum. CAP. II
De primo hominum ortu, & linguarũ varietatis origine, atque inibi de prima gentium diuiſione. CAP. III
De origine cõiugũ, & vario apud gentes vſu, & quis in propatulo pecudum more coirent, ac quis liceret ante virum, nouam inire nuptam, & inibi de diuortij initio, ac qui in matrimonio veterum ritus. CAP. IIII
De religionis origine, & qui colendorum deorum primi autores fuerint, & Deo vero ſacrificauerint. CAP. V
Quis primus literas inuenerit, vel in Latium attulerit, & de earum numero aucto, varietate, viq; ſonoq;. CAP. VI
De origine Grammaticæ, & quãtum valeat. CAPVT VII
De poëticæ artis origine, atq; eius præſtantia, ibiq; locus Ciceronis in Catone emendatus. CAP. VIII
De



De origine metri, & metrorum plura eſſe genera. CAP. IX
De tragœdiæ atq; comœdiæ initiis. CAP. X
De origine Satyræ, nouæq; comœdiæ. CA. XI
Quis primus hiſtoriam condiderit, & de eius vtilitate: aut ſolutam orationem inuenerit. CAP. XII
De origine Rhetorices, & quibus rebus eius ratio contineatur. CAP. XIII
Quis primus muſicam repererit, & quantum ea valeat ad tolerandos humanæ vitæ labores. CAP. XIIII
Qui primum inſtrumenta muſica diuerſi generis inuenerint, & ea in Latium attulerint, ac quod ſit organum, & de antiquiſſimo vſu tibiarum in præliis. CAP. XV
De origine Philoſophiæ, & de duobus eius principiis, & quis primus inuenerit Ethicen & Dialecticen, ac dialogos introduxerit. CAP. XVI
Qui primi Aſtrologiam adinuenerint, aut quorundam ſyderum curſus, & ſphæram, ventorúmque rationem, atq; quot illi ſint, & obſeruationes ſyderum in nauigando. CAPVT XVII
Qui primi Geometriam, & Ariſmeticam inuenerint. CAP. XVIII
Quis primus repererit pondera, & menſuras ac numeros: & de vario apud gentes numerandorum annorum modo. CAP. XIX

 Quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quis primus Medicinam inuenerit, & in quot ea diuiſa ſit partes, ac apud quos olim populos non fuerit medicorũ vſus. CAP. XX

De herbariæ & medicamentariæ atque melleæ medicinæ inuentoribus, & quæ homines ab animalibus remedia didicerint. CAPVT XXI

Quis primus Magicam artem inuenerit, & à quibus celebrata, & quis modum effugandi dæmones, aut incantationes ediderit, quibus morbi ſedarentur. CAP. XXII

De origine Necromantiæ, Pyromantiæ, Aeromantiæ, Hydromantiæ, Geomãtiæ, & Chiromantiæ. CAP. XXIII

De duobus diuinandi generibus, & de origine aruſpicinæ artis, & ſortium Prænestinarum, & quis ſomniorum interpretationem docuerit. CAP. XXIIII

CAPITA SECVNDI LIBRI.

De iuris & legum origine, & qui primi mortalibus leges dederint, & quæ cauſa à principio dandi fuerit. CAP. I

Qui regiam vel popularem ciuitatem principio instituerint, tyrannidémque exercuerint, & diadema vel ſeruitium inuenerint: & quis Areopagitarum magiſtratum conſtituerit aut ſuffragia inuenerit. CA. II

De triplici regiminis genere Romanæ ciuitatis, & de origine inſigniũ regũ, & ex qua arboreſcerent magiſtratuũ virga, atq; quis primus



primus cenſum instituerit, & de ſenatorio atque equeſtri cenſu, vel carcerem ædificauerit, & ibidem quid eſſet lustrum conditũ ac de initio tributi imponendi. CAP. III.

Qui primi cõſtituerint annũ, & quã variũ: & inuenerint hũc annũ quo vtimur, vel menſes, atq; eos diuiſerint in Nonas, Idus, Calẽdas, ac quis excogitarit numerum aureum. CAPVT IIII

Quis horas primus constituerit, aut horologia diuerſi generis inuenerit. CAP. V

Quomodo ab initio alij aliter dies obſeruarint, & noctes diuiſerint. CAP. VI

Qui primi libros ediderint, & de prima bibliotheca, & à quo aut vbi vſus imprimendarum literarũ primũ inuẽtus. CAP. VII

De primo vſu ſcribendi apud priſcos, etiã per notas & quando primum ſit inuenta charta, vel membrana. CAP. VIII

Quis primus memoriæ artem monſtrauerit, aut qui eiuſdẽ gloriã adepti ſint. CAP. IX

A quo primũ militaris ars inuẽta, & vtrũ illa literis præſtet: item in exercitu ordines, teſſeræ & vigiliæ, & de primo pugnandi modo. CAP. X

De primo armorum & æneorum tormentorũ vſu. CAP. XI

Quis primus equitandi artẽ, aut vſum equos domandi, vel eorum vngulas ferreis ſoleis muniendi, ac ornamenta inuenerit, & bigas

Universidad de Deusto Biblioteca



gas atque quadrigas iunxerit, & vehiculum cum quatuor rotis repererit, & qui ex equo pugnare primũ inſtituerit. CAP. XII
Quis primus inſtituerit apud Græcos Olympicum certamẽ, & alios id genus ludos, & pyrrhicam ſaltationẽ, atque palæſtram, & à quibus inuentus ludus pilæ, aleæ, teſſerarum, furunculorum, talorum, par impar, micare, ac quid ſit teſſera, vel talus. CA. XIII
De quorũdam ludorum origine apud Latinos. CAP. XIIII
Quis primus inuenerit inducias, & fœdera, & de vario eorundem faciendorum ritu, ac quot eſſent genera. CAP. XV
A quo primùm mos triumphandi fluxerit, & quis primus apud Romanos triumphũ, aut ouationem duxerit, ac cui triumphare aut ouare liceret, & de ritu ponendi trophæi. CAPVT XVI
Qui primi coronas inuenerint, & de variis earum generibus, & à quibus ciues coronandi conſuetudo manauerit, & de vſu coronarum in conuiuiis: inibiq; locus Vergilij enodatus: ac vnde mos, vt coronati ſupplicarent Deo, epularenturq; in funere faciendo, ac ſpectarent ludos. CAP. XVII
De antiquiſſimo vſu vnguentorum, & quando primũ ea cognita Romanis. CA. XVIII
Qui primi inuenerint aurum, argentum, ferrum, plũbum, æs, fabriliaq; inſtrumẽta, & ignem primò, mox è ſilice aut lignis, & folles, atque lucernæ vſum. CAP. XIX
A quibus primùm numus aureus inuẽtus, aut quis argentum & æs ſignauerit, atque ſpeculum argenteum fecerit. CAP. XX
De origine annulorũ, ac primo gẽmarũ vſu, & cur digitus ſiniſtræ manus minimo proximus, annulo coronari cõſueuerit. CA. XXI
De origine vitri & electri, & quis primus inuenerit minium, & myrrhina in vrbem aſportauerit, & de cryſtallo. CAP. XXII
De origine ſimulacrorũ, & qui primi ſtatuas poſuerint, & Græcos contrario Romanorũ more, eas non velare, & quædam memoratu digna de imagine Magni Alexandri. CAPVT XXIII
De origine picturæ, & quis primus colores inuenerit, aut penicillo pinxerit. CA. XXIIII
De primis plaſtices inuentoribus, & quis rotam figulariam repererit.. CAP. XXV.

CAPITA TERTII LIBRI.

A quibus primùm inuenta agricultura, & quot ea redundet bonis. CAP. I
Quis primus mortalibus fruges, & eas mollendi, aut ſtercorãdorum agrorum, vel pinſendi frumenti vſum monſtrauerit, & boues aratro iũxerit, aut ferramẽta ruſtica inuenerit, vel cribra diuerſi generis. CAP. II
Quis primus vites & alias arbores plantauerit, earumq; inſitionem docuerit, & vſum vini repe

Qui repererit, & vino aquam miſcuerit, atq; de nouo vitandæ ebrietatis modo, & qui caupones primi, vel quis oleũ aut vſum olei & mel adinuenerit, vel ex hordeo potum fecerit, atque lac coagulauerit. CAP. III

A quibus quædam peregrinæ arbores in Italiam tranſlatæ. CAP. IIII

Quis primus animalibus rebúsque alijs nomẽ impoſuerit, & de primo immolandi inſtituto, ac carniũ eſu, vſúsque victus delicatiorũ, & more nominandi eum, cui in conuiuio poculum tradatur, ac de vſu venãdi, piſcãdi & quis apud Romanos primus auiaria ferarúmque viuaria inſtituerit, aut quæ animalia legionũ inſignia fuerint. CA. V

Quis primus inuenerit linum, retia, nendi texendiq; modum, vel artem fulloniam, & ſaponem, aut qui lanas infecerint, aut repererint lanificiũ veſtiúmq; ac pellium vſum fuſos, aulæa, ſutoriã artem, ſericũ, & quãdo eius copia per Europam fieri cœperit, ac bombycinam veſtẽ, atque purpurã, ac quid ipſa ſit purpura, & quanto in honore olim & pretio fuerit. CAP. VI

De origine architecturæ. CAP. VII

Qui primi luteas, aut lateritias domos ædificauerint, & tegulas, & lapidicinas inuenerint, & de prima columnarum origine, & quando primùm marmorum vſus Romæ in ædificiis. CAP. VIII

Qui

Qui primi cõdiderint oppidum, muros, turres, tabernacula, delubra, aut quis primus Deo omnipotenti templum poſuerit, & qui puteos foderint. CAP. IX

De primis labyrinthorum pyramidúmque autoribus, & de Mauſoleo ſepulchro, ac de vario apud gentes olim ſepeliendi vſu, & vnde apud Romanos mos cremãdi cadauera, conſecrandorúmque Imperatorũ poſt mortem, atque de origine funebris orationis. CAPVT X

Qui primi obeliſcos fecerint, aut eos Romam inuexerint, & inibi locus Pliniј emaculatus, & de notis obeliſcorum, & quales eſſent Aegyptiorum literæ. CAP. XI

A quibus primùm aſylum cõſtitutum fuerit, & quo nos pacto aſylis vtamur. CA. XII

De origine theatri, & in eo recitandi comœdias tragœdiasque modo, & qui primò Romæ theatrum, & amphitheatrũ ac circũ conſtruxerint, & quare amphitheatrũ harena ſpargeretur, & inibi de frequẽti apud veteres lauandi vſu, & thermarum origine. CAP. XIII

Quis primus inuenerit fabricam materiariã & in ea ſerram, aſciam, perpendiculum, terebram, glutinũ, normam, libellam, tornũ, clauem, circinum, ſecurim, dolia, & vaſa viminea. CAP. XIIII

Quis primus mari imperauerit, & vt primò

Universidad de Deusto Biblioteca

nauigari captum ſit, & qui inuenerint ar-
tem nauigandi, nauigia diuerſi generis, re-
mum, vela, anchoram, gubernaculũ, & pu-
gnam naualem. CAP. XV.
Qui primi mercaturam inuenerint. & de pri-
mis inſtitoribus. CAP. XVI
Quis primus inſtituerit artem meretriciam,
& bacchanalia ſacra, ac qualis pœna adul
terij, aut inuenerit tincturam capillorum,
vel vſum tondendi, & quando primùm tō
ſores Romæ. CAP. XVII
Multa cùm vetera tum noua inuenta eſſe, quo
rum autores ignorentur. CAP. XVIII

CAPITA QVARTI LIBRI.

De principio Eccleſiæ Chriſtianæque religio
nis. CAP. I
De Chriſtianæ reipublic. origine, eiúsque mi-
ro à primo incremento, ac apoſtolorum Pe-
tri & Pauli martyrio. CAP. II
Quãdo primũ circũciſio inſtituta, & quã græ
ne viſum ſit eius rei præſcriptũ. CA. III
De primo baptiſmatis vſu, & baptizandorũ
infantium inſtituto, & de baptiſmo nõ ite
rando, ac modo baptizandi adultos, & qui
bus diebus. CAP. IIII
De ſacerdotij eiúſq; gradum apud Hebræos
initiis, ac magno pontificis minoriſque ſa-
cerdotis conſecrationis myſterio, & qui-
bus vterque amiciretur indumentis ſacris,
& quantum temporis daretur Leuitis ad
mini-



miniſtrandum. CAP. V
A quo noſter primùm inſtitutus fuerit ſacer
dotalis ordo, & duplex eſſe ſacerdotium, &
quid ſit ſacerdotis manuum impoſitio, ac
quis epiſcopus, pontifexve, atque quale eo-
rum munus, & quondam presbyterum vel
diaconum dictum epiſcopum. CAP. VI
De primo ritu ſacrorum, quibus initiantur ij
qui ſacerdotes fiunt, & amiciendi vſu, ac
ibidem de ſacerdotij officij initio. CAP. VII
Vnde mos natus, cur omnes initiati verticem
deradãt, ac quàm illud facere olim probro-
ſum fuerit, & ibi de Nazaræorũ ſecta, &
quando lege exceptum ſit, quibus initiari
non liceret, præſertim per bigamiam, &
quomodo liceret, ac vnde ipſa bigamia in-
troducta ſit. CAP. VIII
Qui primi in vrbe Roma & alibi presbyteris
parochias, ac epiſcopis diœceſes diuiſerint,
& de Cardinaliũ ordinis origine. CAP. IX
De origine honorum qui Romano pontifici ha
bentur, & de eius autoritate in omnes ec-
cleſias, atque quibus illius, & epiſcoporum
ac Imperatorum Occidentalium eligendo-
rum ius à principio fuerit. CAP. X
Qui primi notarios in vrbe Roma conſtitue-
rint, qui res martyrum geſtas ſcriberent,
& ibidem de protonotariorum ac cubicula
riorum origine. CAP. XI
Vnde natum, cur ſacerdotum ordo in varios

Universidad de Deusto Biblioteca



abiuerit munerum gradus, & de primo pallij vſu, eiuſque forma, ac primordio collegij reſidentiariorum apud Anglos, & de, antiquo iurandi modo, interdicendique contumacibus ſacris. CAP. XII

Qui primi inſtituerint vt virgines conſecrarentur, & vnde fluxerit mos velandi caput, illúdque aperiendi viris principibus atque oſculandi pōtif. pedes & manus, item oſculo ſalutandi, ac ipſos pedes mutuò lauandi. CAP. XIII

Qui primi apud Romanos inſtituerint, ſacerdotes flamines, Virgines veſtales, pontificem maximum, ſalios, feciales, patrem patratum, regem ſacrificulum, augures, epulones, ſodales Titios & aruales, ac ſingulorum officia, & quæ procurarent ſacra, & de primo lectiſternio, atque librorum Sibyllinorum origine. CAP. XIIII

CAPITA QVINTI LIBRI.

Vnde noſtris cōſuetudo ſit, feſtis diebus exornare tēpla, ac in illū offerre cereas imagines, tabellaſque miraculorū ponere: item cōuiuari, cùm quis præſertim ſacerdos primam celebrat Miſſam quā vocamus. CA. I

Vnde apud noſtros mos ſit, ſpargere pecuniā in populum, dare epulum & ſtrenam, ducere choreas, edere ſpectacula, exire Calendis Maij in agros, & currere Calend. Martijs per arua cum faculis accenſis, & per domi-



nica natalitia miniſtrum quempiam facere dominum, ac ante initium quadrageſimæ induere perſonas. CAP. II

Vnde fluxerit mos vngendi ſacerdotes & reges, item baptizatos, ac morbo periculosè laborantes. CAP. III

De initio cōnubij ſacerdotalis apud Hebræos, & quando illud occidentalibus ſacerdotibus interdictum fuerit. CAP. IIII

Qua ratione ab initio inter mortales matrimonium fuerit cōtractū, & intra quos cognationis gradus, tam apud illos, quàm poſt apud nos: ac ibidem, an vlli vnquā per leges licuerit plures ſimul habere vxores, & ius connubij filiorum eſſe in poteſtate parentum, atque vnde mos ſit vt puerperæ purgentur. CAP. V

De principio ſacrarum ædium, atque vbi ſit præcipuus orandi locus, ac de altarium & cœmeteriorum initio, & quando primùm crux cœperit haberi honori atque venerationi. CAP. VI

De primo ac vetuſtiſſimo apud Hebræos ſacrificandi ritu, ac feſtorum dierum obſeruatione, dedicandique templa inſtituto, déque ignis myſterio. CAP. VII

Cunctas ferè gentes quondā dæmonibus malis humanas immolaſſe hoſtias, & ibidem quid eſſet ver ſacrum, & quando primùm eorū oracula obmutuerint, ac de primo vſu

Universidad de Deusto
Biblioteca



aquæ, quã dicimus ſanctam. CAP. VIII
Quis primus docuerit modum orãdi, & cur in Orientem verſi oremus, ac vnde mos concionandi, & de perfecto concionandi modo, atque quando Euchariſtia inſtituta, déque primo eius vſu. CAP. IX
Qui primùm poſt Chriſtũ, eo ritu ſacrificare cœperint, quẽ ille docuiſſet: & qui deinceps modum rei diuinæ faciẽdæ, quã Miſſam vocant, auxerint, & de oſculo pacis inter ſacra, atque quando id fieri non liceat, ac de benedictione ſacerdotis poſt ſacra. CAP. X
Vnde mos ſit, vt poſt rem diuinã factam, diaconus pronunciet, Ite Miſſa eſt: & vnde Miſſa & cæremoniæ dictæ, & de primo capeſſendæ Euchariſtiæ vſu. CAP. XI
Quare nonnulla tam Hebraica quàm Græca, vel Syriaca verba, in Miſſa vſurpentur, & ibidem de eorum ſignificatione. CAP. XII

CAPITA SEXTI LIBRI.

De pio pœnitendi initio, & de primo confitendi delicta inſtituto, & qualis ſit publica confeſſio, ac ibidem de triplici purgatione priſcorum. CAP. I
Qui primi inſtituerint horas canonicas, & ſanxerint vt pſalmi à choro alternis cantarentur, ac quàm parum frugifer ſit cantus in domo Domini mollior atque delicatior, & ibidem de origine chori, atque qui diuorum vitas ſcripſerint. CAP. II





De initio ieiunij, & primo eleemoſynæ vſu, ac ibidem quale verum ſit ieiunium, atque de ieiunij aduentus, quem vocant, & quadrageſimæ primordio, & vnde dicta ſit, ac feriæ quartæ cinerum quatuórque temporũ inſtituto. CAP. III
Quando primùm ſacræ vigiliæ in ieiunium fuerint mutatæ, & ibidem nocturna ſacra apud veteres ſemper fuiſſe damnata, atque de inſtituto ieiunij quartæ & ſextæ dierum hebdomadæ. CAP. IIII
Qui primi mutauerint Solis & Saturni dierũ nomina, in Dominicum, & Sabbatũ, ac reliquos hebdomadæ dies in ferias diſtinxerint, & ibidem à quibus errantiũ ſyderum vocabula fuerint iſtis diebus primùm tributa. CAP. V
De modo Chriſtianæ abſtinentiæ in cibis capeſſendis, cùm ieiunatur: & vnde ſit vſus apud nos conſecrandi menſas, legendique ſacra ſcripta, dum editur, atque agendi gratias poſt ſumptum cibum. CAP. VI
De origine rationis feſtorum dierũ apud Romanos, & noſtros, & cur cõſtituti ſint, & ſoli Deo eſſe ſacrificãdum, ac de more natalem colendi diẽ, paſchaq́; celebrandi, & paſchales candelas conſecrandi. CAP. VII
De primo feſtorum dierũ inſtituto, & vtrum Pentecoſte Apoſtolorum temporibus fuerit dies feſtus, atque vnde mos ſit adſcribẽdi

Universidad de Deusto
Biblioteca



benemeritos de Chriſtiana religione, diuorum catalogo. CAP. VIII

Qui primi inſtituerint, vt anniuerſaria inſta mortuis fierent, etiam IIII. nonas Nouembris, & de legitimo tempore lugendi mortuos, déque lugentium veſtitu, eorundémque corporis habitu, ac quando luctus minueretur, & quare Frãcorum reginæ, dum ſunt viduæ, albis vtãtur veſtibus. CAP. IX

De origine nouẽdialis ſeptendialisq; ſacrificij, & de more offerendi pro mortuis, eosq; non lugendi, ac de ſapienti Trachum inſtituto, & modo apud priſcos efferendi funeris ad ſepulchrum, atque de initio funebris pompæ extruẽdorumq; ſepulchrorum forma, ac eorundem iuris religione. CAP. X

De primo vſu vouendi vota Deo, ac nudipedalia ſacra agendi, & qui primi inuenerint Litanias, & cur ſternutãtibus bene precemur: oſcitantesq;, ac quidnis incobãtes ſeſe crucis ſigno vallent: & de origine ſupplicationum noſtrarum pompæ. CAP. XI

De origine vaſorum, indumentorúmque ſacerdotalium, ac de primo eorundem ſacrandorum inſtituto, & vnde vſus tintinabulorum, item velorum, cortinarum, candelabrorum, & vexillorum. CAP. XII

De primo apud Chriſtianos imaginum cultu, déque modo eas venerandi à patribus conſtituto, atque de prauo earundem abuſu ad quæſtum. CAP. XIII

De decimarum, & primitiarum, ac primogenitorum redemptionis origine, & quis primus decreuerit, vt liceret ſacerdotum collegijs fundos & prædia oblata recipere poſſidenda. CAP. XIIII

CAPITA LIBRI SEPTIMI.

De monaſticæ vitæ principio. CAP. I

Quando primùm ordo monaſticus tribus votis adſtrictus fuerit, & quis primus ea vota introduxerit, veſtitúmque religioſum, cum nouo vitæ modo, ac ordo ipſe abiuerit in plures familias CAP. II

De origine Hieronymianorum, Canonicorum regularium, Auguſtinianorum, Cartuſianorum, Carmelitanorum, Præmonſtratenſium, & Crucigerorum. CAP. III

De Prædicatorum, Franciſcanorum, Trinitatis, Seruorum Deiparæ, Brigidẽſium, Ieſuatorum, Nouorum Eremitarum, & Bonorum hominum origine. CAP. IIII

De origine ſacrorum militum, ac de initio atque exitu ſectæ Albatorum. CAP. V

De Niniuitarum initio, quorum ſecta vulgò Confraternitas dicitur: & vnde mos, vt conſocij inter orandum ſeſe conuerberent. CAPVT VI

De origine ſectæ deæ Syriæ ſacerdotum, Aſſyriorum, Antonianorum, atque Caretanorum. CAP. VII

Universidad de Deusto
Biblioteca



De primordio Mahometanæ ſectæ, atque eius legibus & inſtitutis. CAP. VIII

CAPITA LIBRI OCTAVI.

Vnde natum, vt patres ſanxerint diuorum reliquijs honorem habendum eſſe, ac qui primi ſtationes & iubileum Romæ inſtituerint, & de primo veniarum, quas indulgentias dicunt, vſu, & vnde vocentur à culpa & pœna. CAP. I

De origine titulorum, quibus Romanus pontifex vtitur ac collegiorum & ſcribarum, & quando primùm literæ apoſtolicæ cœperint obſignari plumbo, & de primo annatarum vſu. CAP. II

De Simoniacorum ſectæ ortu. CAP. III

Quando primùm hæreſes, atque ſchiſmata orta, ac in his Lutherana ſecta, & quæ eorũ autoribus ſit pœna cõſtituta. CAP. IIII

Quo primùm tempore pontificũ concilia publicè haberi cœperint, atq; quorum conuentu decreta à patribus recepta ſint. CAP. V

Qui ex alienis & externis, primi noſtros Chriſtianos inſectati fuerint, & ibidẽ qui martyrũ primùm palmam tulerint. CAP. VI

De Chriſtianæ reipublicæ præſtãtia. CA. VII

Et in calce, commentariolum in Dominicam precem.

INDICIS CAPITVM FINIS.





# POLYDORI VERGIL. VRBINATIS DE INVENTORIBVS RERVM

## LIBER I.

### De prima deorum origine, & vnde Deus dictus. CAP. I.

CVM terreſtres olim dæmones, hoc eſt, aërij ſiue inferni ſpiritus, quos ſacri autores huius mundi principes appellant, per ſimulachra mortalibus hominibus dicata, diuinationes exercerent, & maleficijs artibus ſeſe modò bonos dæmones, modò deos cæleſtes, ac nunc heroum animas, nũc alios atq; alios confingerẽt, tantum errorum humanis pectoribus effuderunt, vt breui tẽpore bonæ partis hominum mentes à cultu veri Dei prorſus auerterint. Nec per tibi mirum videatur malos dæmones ſuſcipere perſonã deorum, quãdoquidem ipſe ſatanas, velut Paulus apoſtolus capite XI. epiſtolæ poſterioris ad Corinthios ait, trãſ-

Universidad de Deusto Biblioteca

figuratur in angelū lucis, hoc eſt, Dei, qui lux
eſt. Quare apoſtoli, vt eſt apud Matthæum
Euangeliſtā cap. XIIII. cùm in naui eſſent
aduerſa tēpeſtate in alto iactata, & IESVS
ſuper mare ambulans ad eos iret, turbati ſunt
arbitrantes ſpectrum eſſe, & licet ſis illis ipſe
locutus, Petrus tamen viſum videre ſe ani-
mo ducēs, haud prius CHRISTVM eſſe cre
didit, quàm experimento cognouit, qui eius
iuſſu ſuper aquam itidē ambulauit, adeò fal-
lacias dæmonum vſitato more factas time-
bant. Ad rem redeo. Et quia ſpiritus erant te
nues, ſibi geniorū nomē aſſumebant, quòd ge-
nios ſingulis binos attribuit antiquitas, qui
dæmones quoq; vocantur, nec hominibus mo-
dò, verumetiam locis & ædibus, quorum alter
nobis perniciem moliretur, alter prodeſſe ſtu-
deret. De hoc bono cuſtode non eſt quod ambi-
gatur, quādo teſte Matt. cap. XVIII. Chri-
ſtus docet nos in angelorum tutela eſſe, dicēs:
Dico enim vobis, quod angeli eorum in cœlis
ſemper vident faciē patris mei. Hunc locum
diuus Hieron. ita explanat: Magna dignitas
animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu in
cuſtodiam ſui, angelū delegatum. Itē hi dæ-
mones oſtiatim domos occupabant, facilèque
inſinuabant ſe corporibus hominū, & occultè
in viſceribus operti, valetudinē corrumpebāt,
morbos citabant, animos ſomnijs territabāt,
ac his malis cogebant mortales ad ſua decur-
rere



rere auxilia, petereque ſupplicirer reſponſa,
quibus ſemper ambiguos, dedita opera adde-
bant exitus, ne ſuam patefacerēt ignorantiā.
Sed hæc nocendi tela poſtremò illis adempta
fuere, prout fuſius explicabitur, cùm de no-
ſtræ Chriſtianæ religionis principio, & in-
ſtitutis diſſeretur. Per hæc igitur maleficia dij
putabantur, ita vt alij alias, ſicut inferius do-
cebimus, & deos nuncuparent, & ſumma re-
ligione colerent. Sic opinio de multitudine
deorum, cùm à ſimulachris ad inuiſibiles ſpiri
tus cogitatio raperet, vti vera, vſque eò cre-
uit, vt maior propè cœlitū populus, quàm mor-
talium haberi cœperit. Vnde poſt innumera-
biles philoſophorum de dijs vndique ſentētiæ
confluxerunt, qui ſeſe abiectis omnibus publi-
cis atque priuatis actionibus, quærendæ ac
inueſtigandæ veritatis gratia, ad doctrinæ
ſtudium contulerunt. Thales enim Mileſius,
qui primus, teſte M. Tullio, in primo de na-
tura deorum volumine, de talibus rebus quæ-
ſiuit, aquam eſſe dixit à qua nata ſint omnia.
Deum autem eſſe mentem, quæ ex aqua cun-
cta formauerit. Pythagoras definiuit Deum
eſſe animum per naturam rerum omnem in-
tentum, & commeantem: ex quo omnia quæ
naſcerentur animalia, vitam capere. Clean-
thes & Anaximenes aërem Deum ſtatuerūt.
Vergilius in ſecundo Georgicorum:

Tum pater omnipotens fœcundis imbri-
bus

Universidad de Deusto Biblioteca

bus æther.
Cõiugis in gremiũ lætæ, deſcẽdit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore
fœtus.

Anaxagoras Deum eſſe cenſuit infinitã men-
tem, quæ per ſeipſam moueretur. Antiſthenes
dixit multos eſſe quidem deos populares, vnũ
tamen naturalem ſummæ totius artificem.
Chryſippus naturalem vim diuina ratione
præditam, interdũ diuinam neceſſitatẽ Deum
vocat. At Zeno diuinam naturalémque legẽ.
Xenocrates verò octo deos eſſe putauit. Qui-
dam autem deos eſſe, aut ſibi minimè conſtare
dixerunt, aut prorſus ſuſtulerunt: nã Prota-
goras ſeſe negauit omnino de dijs quid li-
queret, ſcire, id eſt, an aliqua eſſet diuinitas
néc ne, propter quod Athenienſes eum ſuis fi-
nibus exterminarũt. Diagoras verò Atheos,
itẽ Cyrenaicus Theodorus, nullum eſſe omni-
no Deum exiſtimarunt. Epicurus Deum qui-
dem eſſe dixit, ſed nihil cuiquam tribuentem,
nihil gratificantẽ, nihil curantem. Lucretius.

Non bene pro meritis capitur, nec tangi-
tur ira,

Item Vergilius in Damone,

Nec curare deũ credis mortalia quẽquam?

Quare non temere Cicero in extremo 1. libro
de Natura deorum ait: Si talis eſt Deus, vt
nulla gratia, nulla hominum charitate tenea-
tur, valeat &c. Quo fit, vt nihil ab Epicuro





abſurdius dici poſſit: ſi is enim talis eſt, vt ait,
non vtique Deus appellandus eſt, ſed imma-
ne monſtrum: quapropter ex animis hominum
radicitus religionem extraxit. Anaximandri
autem ſicut teſtis eſt M. Tullius, opinio eſt,
natiuos eſſe deos longis interuallis orientes
occidentéſque. De huiuſmodi igitur deorum
origine, eatenus nobis ediſſerendum eſt, quoad
ad ipſam veritatẽ veniamus. Aegyptij apud
ſe deorum genus primùm extitiſſe gloriãtur,
vtpote qui, ſicut infrà oſtẽdimus, primi omniũ
teſte Diodoro Siculo, libro ſuarũ hiſtoriarum
primo, geniti, duos eſſe deos, & eos æternos
arbitrati ſunt, Solẽ, & Lunã: & illum quidẽ
Oſirim, hãc Iſim, certa nominis ratione appel-
larunt. Verùm Lactantius in primo diuinarũ
Inſtitu. volumine, Saturnum omniũ deorum
parentem vocat, quòd, autore Ennio in ſacra
hiſtoria, ex Ope Iouem, Iunonem, Neptunum,
Plutonem, & Glaucam filios ſuſcepiſſet, qui
cùm de mortalibus plurimùm eſſent bene me-
riti, dij habiti ſunt. Sed multi denique ſunt
deorum ortus, cùm ſinguli populi, vt Perſeus
Zenonis auditor ait, eos à quibus magna vti-
litas ad vitæ cultum eſſet inuenta, vel gen-
tis & vrbis conditores, vel fœminas caſtitate
inſignes, ſeu viros fortiſſimos, etſi mortali ge-
nitos, in numero deorum habuerint, vt Aegy-
ptij Iſim, Mauri Iubam, Afri Neptunum, Ma-
cedones Gabyrum, Perſæ Mithram, Rhodij &

Universidad de Deusto Biblioteca

Maſſagetæ Solē, Pœni Vranium, Latini Fa-
unum, Sabini Sabum, Romani Quirinū, Athe-
næ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Vene-
rem, Delphos Apollinem, Lemnos Vulcanum,
Naxos Liberum, Cretenſes Iouem, Armenij
Anaitidem, Babylonij & Aſſyrij Belum, Be-
recyntes Rheam, & alij alios denique ex ho-
minibus, &, quod dictu poſt homines natos
valdè pudendum ac importuniſſimum eſt, ex
animalibus deos fecerint, ſibiq; conſtituerint.
Hinc Græci, teſte Herodoto in primo, non te-
merè ſentiebant deos ex hominibus eſſe ortos.
Quare eſſet admodum difficile, deorum origi-
nem definire, cùm dij ipſi præſertim vaniſſi-
mi, nullúmque eorū genus non mortale fuerit,
quandoquidem illi fugas, mortes, & vulnera
perpeſſi ſunt. Quātò igitur rectius eſt, eò ocu-
los & orationem tendere, vbi veri Dei ſedes
eſt, quem pura, integra, incorrupta & mente
& voce venerari debemus. Quāquam de deo
loqui, & vera dicere, vt ſapientes aiunt, pe-
riculoſum eſt, id quoniā oculi intueri nequeunt,
cùm ſiquidem acceſſu lucis & fulgore aſpe-
ctus mortalis, qui nobis diuino munere tribu-
tus eſt, prorſus amittitur, neque animo, neque
vlla mentis acie cōcipi poteſt, vt probè admo-
dum Simonides poëta ſapientiſſimus docuit:
nanque cùm ab eo, autore M. Tullio, tyrānus
Hiero quæſiſſet, quid aut qualis eſſet deus,
deliberādi cauſa ſibi vnum diem poſtulauit:
cum



cùm idē ex eo poſtridie quæreret, biduum pe-
tiuit: cùm ſæpius duplicaret numerum dierū,
admiranſque Hiero quæreret, cur ita face-
ret, Quia quantò, inquit, diutius conſidero,
tantò mihi res videtur obſcurior. Id quod ſi
feciſſent philoſophi, qui more Andabatarum
in tenebris verſantes, tot deliramenta cōmen-
tati ſunt, profectò deū creatorem ſuum tam
impijs ſententijs nō offendiſſent. Satius enim
propè eſt vera ignorare, quàm falſa docere.
Semper itaque deus eſt vnus, qui, teſte Macro-
bio, vices temporum neſciens, in vno ſemper
quod adeſt, conſiſtit æuo, & rerum omnium
principium nominatur, qui apud Eſaiam ait:
Ego ſum Deus, ante me non fuit alius, & poſt
me non erit: cuius, vt Cicero lib. Tuſculana-
rum 1. inquit, nulla eſt origo, dicente Moſe, In
principio creauit Deus cœlum & terram. Et
diuus Hieron. epiſtola 4. ad Damaſum ſcri-
bens ait: Vna eſt Dei ſola natura, quæ vera
eſt: ad id enim quod ſubſiſtit, nō habet aliun-
de, ſed ſuum eſt. Deinde & ſubdit: Deus ſolus
qui æternus eſt, hoc eſt, qui exordium non ha-
bet, eſſentiæ verè nomen tenet, &c. De quo
Vergilius, tametſi longè fuit à veritate, na-
tura tamen ducente, ita lib. ſexto Aeneidos
ceciniſſe videtur,

Principio cœlum ac terras campóſque li-
quentes,
Lucentémque globum lunæ, titaniáq; aſtra
Spiritus

Universidad de Deusto
Biblioteca



Spiritus intus alit, totámq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore
miſcet.

Et Ouid. in 1. Metamorphoſeos,

Ille opifex rerum mundi melioris origo.

Atque reliqua. Et Plato quoque, qui omnium ſapientiſsimus iudicatur, unum Deum nominat, & ab eo hunc mundum eſſe factum confirmat: quem licet nobis, vt poëtis, inuocandi mos non ſit, hoc tamen de primis rerum inuentoribus opus orſis proſperos ſucceſſus præſtet, omnibus oramus precibus, quando Deum dictum putant, quòd omnia dat commoda hominibus: licet alij nominatū Deū velint, quòd ei nihil deſit, vel ἀπὸ τοῦ θεῶ, quod eſt video, ſpeculor: aut ἀπὸ τοῦ δέομαι, timeo. Vtrunque diuus Ambroſ. probat ſcribens: Deus dicitur quod ſpectet omnia, & timeatur à cunctis.

## De initiis rerum. CAP. II.

ETſi noſtri operis exordium eſſe videbatur, vt primùm de rerum initijs diſſererem, deinde verò, vt deorum originem traderem, qui ab iiſdem principijs, vt oſtendimus, ortum habent, veri tamen Dei religio me monuit, fecitque, vt ab eo qui ante omnia eſt, hoc opus inchoare maluerim. Hoc igitur loco aliquāto rationabilius philoſophorum de rerum primordijs ſententias, donec ad veritatem me ſenſim inſinuauere, percurremus. Thales





itaque Mileſius vnus ex ſeptem ſapientibus, aquam, ſicut ſuprà demonſtrauimus, dixit eſſe initium rerum deúmque eſſe eam mētem, quæ ex aqua cuncta gigneret. Contrà Hippaſus Metapontinus, & Heraclitus Epheſius, qui propter obſcuritatē ſcripturæ, teſte diuo Hieronymo contra Iouinianū, à Græcis σκοτεινὸς, id eſt, tenebricoſus, eſt appellatus, omnia igne procreari cēſuerunt. Empedocles verò ex quatuor elementis. Hinc Lucretius.

Ex imbri, terra, atq; aīa naſcūtur, & igne.

Anaximenes principium aera opinatur. Metrodorus Chius ſempiternum eſſe vniuerſum dicit. Epicurus autem qui ex Democriti fontibus ſuos hortos irrigauit, ponit duo principia corpus & inane. omne enim quod eſt, aut cōtinet, aut cōtinetur, corpus vult eſſe atomos, id eſt, quaſdā minutiſsimas partes, quæ τομὴν, id eſt ſectionem nō recipiant. Vnde atomi dictæ ſunt, quas infuſis per feneſtrā ſolaribus radiis, videmus. Inane verò dicit ſpatiū, in quo ſunt atomi. Ex his principiis quatuor, ignem, aërē, aquam, terram vult creari, & ex illis cætera. Ex quo Maro in Sileno ait,

Nāq; canebat, vti magnū p inane coacta.
Semina terrarūq; animæq;, mariſq; fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis, vt his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mūdi cōcreuerit orbis.

De philoſophorum ſententiis hæc dicta ſint:

Universidad de Deusto Biblioteca

ea nunc quæ ſacris continentur literis proda-
mus, ne rationis aut veritatis expertes eſſe vi-
deamur. Deus igitur ab initio, vti Moſes teſta
tur, & ex eo Ioſephus in primo Antiquitatum
Iudaicarum pleniſſimè edocet, ex nihilo cũcta
fecit. Ioannes quoque Euangeliſta: Omnia per
ipſum facta ſunt. Id quod Lactãtius Firmia-
nus lib. Diuinarum inſtitu. II. perſpicuè demõ
ſtrat, ſcribẽs: Nemo quærat ex quibus iſta ma
teriis, tam magna, tã mirifica opera Deus fe
cerit: omnia enim fecit ex nihilo. Et alibi: De
autem facit ex eo quod nõ eſt. Et in lib. de ira
Dei: Vnus eſt igitur, inquit, princeps & orig
rerum Deus. Et diuus Hieron. Quis dubita
Deum omnium creatorem? Idem Plato in Ti
mæo ſenſit & docuit. Atque tale rerum deni
que omnium rerum principium fuit, vnde ge
niti homines multa, quæ ad vſum vitæ perti
nent, deinde adinuenerunt: de quibus cùm eg
ſcripturus ſim, operæpretium me feciſſe du
primum rerum originem prodidiſſe, vt intel
geretur, vnde materia orta eſſet, ex qua h
mines, qui ex eo quod eſt faciunt, aliquid eff
xerint.

De primo hominum ortu, & linguarum
varietatis origine, atque ibidem de prima
gentium diuiſione. CAP. II.

PRima hominum origo, vt teſtis eſt Di
dorus, apud præſtantiſſimos viros, qui de
natu



natura rerum tradiderũt, duplex fertur: qui-
dam enim ingenitum mundũ & incorruptibi-
lẽ, & genus hominũ ſine vllo ortus principio,
ab æterno fuiſſe opinati ſunt. Cuius ſentẽtiæ
teſte Cenſorino, fuerunt Pythagoras Samius,
Archytas Tarentinus, Plato Athenienſis, Xe-
nocrates, Ariſtoteles Stagirites, multique alij
Peripatetici idem ſenſerunt, dicentes, omniũ
quæ in ſempiterno iſto mundo fuerunt, & fu
tura ſunt, principium fuiſſe nullum, ſed orbem
eſſe quendam generantium naſcentiúmque,
in quo vniuſcuiúſque geniti initium ſimul &
finis eſſe videatur. Quidam verò mundum ge
nitum & corruptibilem arbitrati ſunt, & ho
mines ortus initium tempore eſſe conſecutos.
Quapropter Aegyptij apud ſe à principio, pri
mos homines genitos eſſe ferunt, cum propter
ſoli felicitatem, aëriſque temperiem, tum pro
pter Nilum, qui multa ob limi vbertatem ge-
neret, & ſuapte natura nutriat. nam eodem
Diodoro autore, in Thebaidis agro mures gig
nuntur, qua ex re multum ſtupent homines,
cùm priorem quorundam partem pectore te-
nus animatam moueri in limo videant, poſte
riore nondum inchoata, ſed informi. Verùm
Pſammeticho regnum adepto cùm inceſſiſſet
cupiditas dignoſcendi, qui reuera primi homi
num extitiſſent, ex eo tempore didicerunt
Phryges primos fuiſſe, ſe verò ſecundos.

Psammetichus enim, veluti libro ſecundo teſtatur Herodotus, cùm haud aliter deprehendere poſſet, duos pueros recens natos inter pecora educandos paſtori tradidit, iubens nequicquam coram eis vocem edere, ne alicuius ſermonem perdiſcerent, vt qualis eſſet prima vox, quæ erumperet, intelligeretur. Pueri itaque biennio poſt paſſa ianua, intus enim à capris nutriebantur, ambo porrectis paſtori manibus, βεκὸς, id eſt, Becus clamitarunt, quo quidem verbo Phryges conſtat panem appellare. Tali igitur modo, Phrygas primos omnium natos compertum eſt. Cæterùm magna diu inter Aegyptios & Scythas, autore Iuſtino lib. ſecundo, de generis antiquitate contentio fuit: in quo certamine ſuperatis Aegyptiis, Scythæ antiquiores viſi ſunt. Aethiopes itidem ferunt primos hominum omnium creatos eſſe, & eius rei coniecturam faciunt, quòd non aliunde homines in eam regionem acceſſerint, ſed in ipſa geniti meritò indigetes omnium conſenſu appellentur: de quibus Diodorus libro quarto ita diſſerit: Et equidem ſimile veri eſt, eos qui ſub meridiem habitant, primos è terra fuiſſe homines genitos: nam ſolis calore terram, quæ humida eſt, areſaciente, atque omnibus vitam dante, decens fuit locum ſoli propinquiorem primò naturam animantium tuliſſe. Hinc Anaximander Mileſius ex

aqua



aqua terráque calefactis homines exortos eſſe tradit. Empedocles ferè idem confirmat. ait enim, membra ſingula ex terra quaſi prægnante, paſſim edita, deinde coiſſe, & effeciſſe ſolidi hominis materiam, igni ſimul & humori permiſtam. Democritus Abderites ex aqua limóque, primùm homines creatos eſſe dicit. Zeno autem Citiæus principium humano generi ex nouo mundo conſtitutum putauit, primóſque homines ex ſolo adminiculo diuini ignis, id eſt, Dei prouidentia genitos. Poetæ verò fingunt homines primùm aut Promethei molli luto eſſe formatos, aut Deucalionis Pyrrhæque ex duris lapidibus natos. Vergilius.

Quo tempore primùm
Deucalion vacuũ lapides iactauit in orbẽ,
Vnde homines nati durum genus.

Verùm ne huiuſmodi ineptias referendo, probare videamur, ea quæ ſacris continentur literis, ac longè veriora ſunt, aperiamus. Primus hominum ortus apud Iudæos fuit. Deus enim diuûm pater atque hominum rex, vt Poeta ait, perfecto mundo: autore Ioſepho in primo Antiquitatum volumine, vt etiam in Veteri eſt inſtrumento, Adam primum omnium ex limo hominem fecit, dicẽte etiam Ouidio.

Natus homo eſt, ſiue hũc diuino ſemine fecit

*Ille opifex rerum, &c.*

*& diuo Hiero. Epiſt.* XXIX. *Fabricatur homo de limo. Et alibi. Deus nos ad imaginem ſui tales condidit. Quare Lactant. in 6. ſcienter hominem Dei ſimulacrum appellat. Item de opificio Dei: Vas eſt, inquit, quodammodo ſictile, quo animus, id eſt homo ipſe verus continetur, & quidem non à Prometheo ſictum, vt poëtæ loquuntur, ſed à ſummo illo rerum conditore & artifice Deo. Et Cic. hoc idē tradidit, quamuis expers cœleſtium literarum, in primo de legibus ſic ſcribens: Hoc animal prouidum, ſagax, multiplex, acutū, memor, plenum rationis & cōſilij, quem vocamus hominē, præclara quadam cōditione generatū eſſe à ſummo Deo: ſolus enim eſt ex tot animantiū generibus atque naturis, particeps rationis & cogitationis, cùm cætera ſint omnia expertia. Adam itaque primus à Deo creatus, poſtquā illius mandatum fregit, vti diuo Hieronymo placet, ducta in matrimonium Eua, totius futuri generis autor fuit. Idē Hieronymus: Duos homines ab exordio fecit Deus, ex quibus totius humani generis ſylua deſcēdit. Ita deinceps homines tanquam omnis rei expertes, nullique ſubſidio fulti duram agebant vitam, ſed paulatim, quemadmodum Vergilius ait, varias meditando extuderunt artes, nam multarum rerum notitia percepta, neceſſitate cō-*





*pulſi, breui tempore cæteras vitæ hominū commoditates adinuenerunt. Tunc igitur variæ venere artes, quando, ſicut idem poëta canit,*

*Labor omnia vincit*

*Improbus, & duris vrgēs in rebus egeſtas.*

*Cæterum cùm Deus, vt docuimus, hominem fecerit, illiq; in ore linguam incluſerit, quæ ſola animi interpres, vocem motibus variis in verba diſtinguit, non immeritò quiſpiam mirabitur, vnde tanta homini ſermonis varietas innata ſit, vt quot orbis regiones ſunt, tot hominum linguæ ſint: cuius rei originem nō prætereundam putaui. Cum enim Nemroth filius Cham, filij Noë, poſt diluuium homines à Dei timore aquarum vim formidantes auocare conaretur, ſpem ſuam in propria virtute ponendam ratus, turrim, velut alibi appoſitè dicemus, altiſſimā ædificandam ſuadebat, quam aquæ ſuperare nō poſſent. Iis itaq; iā incœpto opere ita inſanientibus, Deus linguā diuiſit, vt per multas abſonasq; voces, intelligentia inter ſe carerēt. Hæc igitur tot linguarū, quibus etiam nunc homines vtuntur, varietatis origo eſt: autor Ioſephus in primo Antiquitatum. At hic nō abs re videtur eſſe, vt aliquid dicatur de antiqua inter doctos cōtrouerſia, quærentes vtrū Romani generatim Latinè loquuti ſint, an duplicē habuerint linguā, quemadmodum nos & Græci ac aliæ gentes ad ho-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



diernum diem habemus, qui alteram vulgarem & vernaculam, alteram Latinam & Atticam appellamus. Et ne in re meo iudicio perſpicua laboremus, eam ex Cic. teſte locupletiſſimo, planam faciemus: is enim in lib. III. de Oratore, ait, certam fuiſſe Romani generis urbiſque propriam vocem. idque probat exemplo Læliæ mulieris, quæ ita loqueretur, vt qui eã audiret, ſibi Plautum aut Neuium audire videretur. Sed vt ne quiſpiam putaret Læliam alteram linguam didiciſſe, id eſt, Latinam, alteram domi ab ineunte ætate patrio ſermone imbibiſſe, paulò inferius inquit: Nemo enim vnquam eſt oratorẽ, quòd Latinè loqueretur, admiratus: ſi aliter, irridebant. Item de perfecto oratore: In verſu quidẽ theatra tota exclamant, ſi fuerit vna ſyllaba aut breuior aut longior. Et lib. I. Tuſcul. Frequens enim cõſeſſus theatri, in quo ſunt mulierculæ & pueri, mouetur audiens tam grande carmen. hæc ille. Ex quo ſatis patet vnam linguam, & eam quidem Latinam, omnibus communem fuiſſe quando pueri & mulierculæ Latinè ſciebant. Verùm ille erat literarum peritus, qui verborum delectum habere, ac eum recto aurium iudicio põderare ſciuiſſet, id quod ſine literis fieri non poterat: nam omnes Romanos Latinè locutos, non item literas ſciſſe, ex eiuſdẽ quoq; teſtimonio liquet, qui in Bruto T. Põponium





Atticum ita loquentem facit: Vides elocutionem emẽdatam Latinã, cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut ſcientiæ, ſed quaſi bonæ conſuetudinis. Et ſubiicit: T. Flaminium qui cum Q. Metello Cõſul fuit, pueri vidimus, exiſtimabatur bene Latinè, ſed literas neſciebat. Eſt igitur quiſquam, qui, ſi iſta conſiderauerit à principe Latinitatis dicta, poſſit ſuſpicari perinde Romanis nõ vnã fuiſſe linguam ac nobis eſt? Nanque vt apud Romanos illi minus purè & ornatè loquebantur, qui extra vrbem vixiſſent, ita apud Latinos, partim barbaries à feris populis qui Italiã aliquando occuparãt, profecta, partim vetuſtas ſermonẽ domeſticum iampridẽ infuſcauerat. Ad prima redeo. Idem Ioſephus inde quoq; factum prodit, vt poſt eiuſmodi linguarũ diſcrimen, ex Noë pronepotibus, & ex iis, qui ab illis orti ſunt, inter ſe quamprimum diuiſi, alij alias terrarũ oras velut in colonias profecti occuparint: atq; ita ſecutum, vt non ſolũ gentes populique, quorũ conditores fuiſſent, ab eorum ſint nominibus appellati, ſed pleraq; etiã vrbes inde nominatæ. Cæterum Græci poſtea barbaram vocem abhorrentes, aut illa ex integro, vt idem ait, immutarunt, aut magna ex parte inuerſa, vt à priſca voce multum diſcreparint, effecerunt. Probat tamen adhuc quædam durare, quæ veteri opinioni conſentiant,

Universidad de Deusto Biblioteca

id eſt, in Phœnicia, Tyrum, Tharſum in Cili-
cia, Cappadoces, Paphlagonas, Pamphylios,
Phryges, Palæſtinos, Cilices, Sabæos, Syros, &
ad meridiẽ Aegyptios, Libes & Mauros. Adii-
cit etiam Medos, Armenios, & Iberas, quæ ſa-
nè nomina ſint ab ipſarum gentium cõditori-
bus, qui iidem & Hebræi fuerunt, & ab Noë
prognati. Euſebius etiam docet idẽ, ita Chro-
nicorum libro ſcribẽs: Filij Noë, Sem, Cham &
Iaphet. Filij Sem Elam, vnde Elamitæ: Aſſur,
vnde Aſſirij: Arphaxad, vnde Arabi: Lud, vn-
de Lydi: Aram, vnde Syrij. Aramei autẽ Syria-
cè dicũtur filij Aram: Filij Cham, Chus, vnde
Aethiopes: Meſtre, vnde Aegyptij: Furſur, vnde
Aethiopũgẽt: Chanaam, Chananei. Filij autẽ
Chus, Saba vnde Sabæi dicti: Euilat, gens Eu-
lea. Filius Iaphet Gomer filius Gomer Aſce-
nez, vnde gentes Gothicæ. Hæc ille. Sicut item
æquum eſt credere, ab illis alias nationes pro-
fectas, quæ deinde orbem ipſum multitudine
oppleuerint.

De origine coniugij, & vario apud gen-
tes vſu, & qui in propatulo pecudum more
coirent, ac quis liceret ante virum, nouam
inire nuptam, & ibidem de diuortij initio,
ac qui in matrimonio veterũ ritus. CA. III.

DEus ſimulatque mũdo cæteriſque rebus
ſummam manum impoſuerat, vt Moſes
tradit, poſtremò hominẽ finxit, propter quem
haud



haud dubiè ipſum mundum, ſicut M. Tullius
in II. de natura Deorũ probè docet, cunctaq;
animalia fecerat. Vtrunq; etiam teſtatur Oui-
dius in primo Metamorphoſeos dicens:

Sanctius his animal, mentiſq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera
poſſet,
Natus homo eſt.

Et Cicero in primo libro de legib. ait: Nunc
quoniam hominem, quod principium reliqua-
rum rerum eſſe voluit, generauit, & ornauit
Deus. Et Ioſephus: Deus hominem omniũ do-
minum fecit. Plinius quoque: Principium iure
tribuetur homini, cuius cauſa videtur cuncta
alia genuiſſe natura. Etenim, vt eleganter idẽ
Cicero inquit: Quis cœlũ ſuſpicit, niſi homo?
quis ſolem, quis aſtra, quis opera Dei miratur,
niſi homo? terrenorum item cõmodorũ in quo
eſt dominatus, niſi in homine? nam nos terrã
colimus, ex ea fructum capimus, nos nauiga-
mus mare, nos piſces, nos volatilia, nos qua-
drupedes in poteſtate habemus. Cuncta igi-
tur propter hominẽ Deus fecit, cùm vſui ho-
minum omnia ceſſerint. Proinde ad propagã-
dum humanũ genus, vt vna nõ interiret æta-
te, neceſſum erat & fœminam formare, & eã
deinde viro, ne more ferarum degerẽt, ſacris
quibuſdã cõnubij vinculis adiungere. Quare
Deus (quæ finxerint fabulæ, poſtea ſubiiciã)
Adam

Universidad de Deusto
Biblioteca



Adam, autore Ioſepho in primo Antiquita-
tum, quē primum fecerat hominem, antequā,
ſicut quidam volūt, peccaret cōfeſtim Euam
ad ipſius hominis exemplar cōfectam, matrimo-
nio copulauit, vt duo inter ſe permiſti ſexus
propagare ſobolem poſſent, & omnem terram
multitudine opplere. Diuus autē Hiero. in epi-
ſtola ad Euſtochiū, de virginitate ſeruanda,
id à Deo factum tradit, poſtquā Adā & Eua
eius mādatum ſunt trāſgreſſi, ſic ſcribēs: Eua
in paradiſo virgo fuit, poſt pelliceas tunicas
initium ſumpſit nuptiarū. Item in libro cōtra
Iouinianum: Ac, inquit, de Adam quidem &
Eua illud dicēdum, quòd in paradiſo ante of-
fenſam virgines fuerint, poſt peccatum & ex-
tra paradiſum ſtatim nuptiæ. Atque hæc vera
cōiugij origo. Cæterū antiquitas, autore Tro-
go, tradidit Cecropem Athenienſium regem
ante Deucalionis tempora matrimonium cō-
ſtituiſſe, propter quod hunc bifrontem prodi-
dere. Verum enimuerò haud vnum omnes ma-
trimonij fœdus faciebant, nec vno modo ſerua-
bant, porrò Numidæ, Mauri, Aegyptij, Indi,
Hebræi, Perſæ, Garamātes, Parthi, Taxili, Na-
ſamones, & Thraces, atq; omnes penè barbari
ſinguli pro opibus, quiſque quamplurimas v-
xores, alij denas, alij plures habebāt. Scythæ,
Agathyrſi, Scoti Britanniæ populi, Attici
promiſcuas vxores & liberos ex Platonis re-

publica



publica communes habere, & more pecudum
laſciuè coire. Maſſagetæ ſinguli ſingulas duce-
bant vxores, ſed cōmuniter vtebantur, vti a-
pud Britannos etiam, teſte Cæſare, fieri con-
ſueuit. Apud Arabes, qui Felicē incolunt Ara-
biam, cōſuetudo erat, vt vna omnibus conſan-
guineis vxor eſſet: ex ijs etiam, teſte Strabone,
li. 26. Geographiæ, qui primus ingrediebatur,
poſito pro foribus baculo (nam baculum ex mo-
re quiſque gerebat) cum ea coibat, ipſa tamen
cum natu grandiore noctes agebat. Quapro-
pter omnes omniū erāt fratres. Adulter apud
eos capite damnabatur, qui ex eo deprehende-
batur, quòd alius generis eſſet. Hoc memoria
dignum aliquando accidit. Erat enim cuiuſ-
dam regis filia mira quidē pulchritudine, cui
quindecim erant fratres, qui eius omnes æquè
amore flagrabant, propterea alius ſub alium
continēter ad eam ingrediebatur. Illa autem
aſſiduo coitu iam defeſſa, rem huiuſmodi com-
mentata eſt: fecit enim ſurculos, non vtiq; fra-
trum ſurculis abſimiles, ac ſtatim vt quiſpiam
exibat, ſurculum aliquem ſimilem ante ianuā
ponebat, quo fratres, qui deinceps ſequebātur,
ſurculū pro foribus fixū cernentes, eorumq; alī-
quem intus eſſe arbitrātes, ab ingreſſu arcerē-
tur. Verùm cùm aliquādo omnes in foro eſſēt,
vnus ad fores acceſſit, & cùm baculum vidiſ-
ſet, ſuſpicatus adulterum intus eſſe (ſciebat

enim

Universidad de Deusto Biblioteca

enim ſe omnes fratres in foro reliquiſſe) cur-
rens ad patrem, ſororem ſtupri accuſauit, ſed
cognita re, eam falsò criminari cõuictus eſt.
Babylonij & Aſſirij vxores ex publica auctio-
ne emebant, quod hodie apud Arabes ac Sara-
cenos ſeruatur. Cantabri vxoribus dotes da-
bant. Alij cum ſanguine cõiunctis coibãt, præ-
ſertim cum matribus, & ſororibus, quas etiã
in matrimoniũ ducebant, vt Anthropophagi,
Medi, Magi, & Aethiopum quidam, atque
Arabes. Apud Naſamones & Augylas Libiæ
populos moris erat, cùm quis primum duxiſſet
vxorẽ, vt ſponſa prima nocte cum ſingulis con-
uiuis coiret, Veneris gratia, pòſt perpetuò ca-
ſtitatẽ ſeruaret, Adyrmachidæ, Pœnorũ popu-
li, qui ad Aegyptũ pertinent, teſte Herodoto
lib. IIII. ſoliti erant virgines nupturas regi
exhibere, qui quã vellet, primus vitiaret. Fuit
idem mos apud Scotos, vt nouam nuptam do-
minus loci ante virũ comprimeret. Quod ne-
pe inſtitutũ poſt homines Chriſtianos natos
turpiſſimũ, Malcolmus tertius eorũ rex prin-
ceps optimus ſuſtulit, circiter annũ ſalutis hu-
manæ M X C. conſtituitque vt nubentes pudi-
citiæ redimendæ cauſa, locorum dominis nu-
mum aureum penderent, id quod hodie etiam
ſeruatur. Lydorum filiæ eatenus vulgato cor-
pore quæſtum faciebant, quoad ſibi dotẽ com-
paraſſent, deinde nubebant. Alij demum ſine
coniug



coniugibus degere, vt quidam Thraces, qui
Ctiſtæ, id eſt, creatores vocantur: & Eſſeni,
tertium apud Iudæos philoſophorum genus.
Ex his autem in propatulo pecudum more con
cumbebant, Indi, Maſſagetæ, Naſamones, &
Anthropophagi. Sane hinc videre licet, quàm
turpiter iſti omnes libidini fræna laxarẽt. Sed
quid mirum eſt gentes huiuſmodi, quæ lumine
carebant, hoc eſt, Deum ignorabant, libidine
flagrantes in omne nefas ruiſſe, nulloq́; diſcri-
mine, omne facinus factu, dictúve pudendum,
ac fœdum edidiſſe? Nos igitur multò profectò
ijs feliciores ſumus, quibus ipſe Deus, teſte Hie
ronymo cõtra Iouinianum, & ad Euſtochium
de virginitate ſeruanda, illud magnum matri-
monij fœdus cõſtituit, quod nũc homines Chri
ſtiana religione imbuti, vna duntaxat vxore
cõtẽti longè mehercule ſanctius ſeruãt, atq;
venerantur, quàm olim Hebræi, qui tametſi
primi à Deo id acceperũt, vxorum tamẽ mul-
titudine (plures enim, vt diximus, habebant)
fœdè turpiſicabant. Id tamẽ qua ratione apud
illos factum aliquando fuerit, docebimus in
quinto huius operis volumine, cùm de re Chri
ſtiana agetur: ibidémque declarabitur, quo-
tus olim ac nunc propinquitatis gradus ſit nu
bentibus interdictus. Sed domum reuertamur.
Romanorum quoque inuiolatum prorſus ma-
trimonium fuiſſet, ſi diuortium non habuiſſet,
quod

Universidad de Deusto
Biblioteca



quod licet in cauſa eſſet, quamobrem matronæ conſtantius pudicitiam tuerentur, id tamen non tam facilè religio ſancta concedit. Primus enim Spurius Caruilius, Dionyſio Halicarnaſſeo libro ſecundo, & Plutarcho in vita Romuli, autoribus, anno vrbis cōditæ DXXIII. M. Pomponio II. C. Papyrio COSS. cum vxore ſterilitatis cauſa diuortium fecit. Hinc ſanè cognoſcere licet, iam inde ab initio apud Romanos fœdus matrimonij ſanctiſſimū fuiſſe, quando tandiu inuiolatum permanſit, & Sp. Caruilius, qui quanquam coram Cenſoribus iuratus ſe matrimonium liberorum tantùm cauſa colere, illud violarat, poſtea ob id facinus ſemper à populo malè audiuit. Quod ex Moſis decretis tralatitium eſſe conſtat, qui primus diuortij autor fuit, vt extat in Deuter. cap. XXIIII. Moſes enim videns, autore Hieron. Iudæorum alios auaritia, alios moleſtia domeſtica, alios libidine commotos, ſuas vxores iniuria, & aliquando morte afficere, quò ſibi integrum foret nouas duxere vxores aut ditiores, pulchriores, iunioreſve, vt domeſticæ quieti conſuleret, facultatem illis dedit diuortij faciendi cum prioribus vxoribus: ſed voluit, vt vir daret vxori ita reiectæ libellum diuortij, in quo teſte Ioſepho lib. Iudaicæ Antiquit. IIII. in hanc fermè ſententiam ſcriptum eſſet, Promitto me non repetiturum te,

qu



Quò ſic mulier poſſet cuiuis rurſum nubere. Nec de ea re aliter eſt lege ſancitum, ne fieret contra illud, Quod Deus copulauit, homo non ſeparet. Ac ita permiſſu Moſis, non iuſſu, diuortium primum apud Iudæos factum cōſtat. Teſtatur vtrunque Chriſtus apud Mat. cap. xix. Quod Deus copulauit, homo non ſeparet: & ſubijcit, Moſes ad duritiam cordis veſtri, permiſit vobis repudiare vxores veſtras. Cæterùm ab initio non fuit ſic. Ad duritiam dixit, quòd ſæuitiā exercuerint in vxores, quas nimis ferum ac durum ſit non diligere. Iſtuc exin diuortium minimè reſpuēdum Chriſtus ſanxit, ſi ſtupri tantum cauſa factum eſſet. Atque hæc de diuortiis Iudæorū Romanorúmque primordio dicere habui. Sed differebant tamen, quòd apud Hebræos non erat mutuum diuortij ius, ſed ſoli marito fas erat ab vxore diſcedere: contrà apud Romanos vtrique licebat id facere. Sed age iam dicamus, qui in matrimonio fuerint veterum ritus, quique adhuc durent. Apud Romanos, teſte Feſto, patrimi & matrimi pueri tres, id eſt, qui patrem & matrem haberent, nubentem ducebant, vnus qui facem ex alba ſpina præferret (nam noctu, vt ait Plutarchus in Problematis, nubebant) duo qui ſponſam tenerent: & ea fax vel Cereris honore præferebatur, vt, quemadmodum Ceres mortales alit, quæ terræ ma-

ter, ac cunctarum frugum creatrix habetur,
ita noua nupta materfamiliâs pòſt facta, ſu-
os nutriret. Quod quum alibi hodie, tum
præcipuè in Anglia ſeruatur, vt duo pueri ve-
lut paranymphi, id eſt, auſpices, qui olim pro
nuptijs celebrandis auſpicia capiebant, nu-
bentem ad templum, vbi ei & marito ſa-
cerdos benedicat, & inde domum duo viri de-
ducãt, & tertius loco facis, vaſculum aureum
vel argenteum præferat. Spicea item corona
ſponſa redimita caput, præſertim ruri, duci-
tur, vel manu gerit ipſam coronam: ſeu dum
ingreditur domum, boni ominis cauſa, ſuper
eius caput iacitur triticum, quaſi inde conſe-
cutura ſit fœcunditas. Interim autem Talaſſij
nomen ſæpe inuocabatur, velut virginitatis
aſſertoris, quòd ei in raptu Sabinarum, virgo
obtigiſſet: aut quòd matresfamiliâs ſic ope-
rum & lanificij admonerentur, per Talaſſij
vocem, qui dicitur Calathus ad id aptus. In-
de factum quoq; eſt, autore Plutarcho & Pli-
nio, vt ſponſæ colum lana comptam cum fu-
ſteum ferrent, quod in Venetia regione Italiæ
adhuc durat. Dabãtur præterea ante viri con-
greſſum, ignis & aqua attingenda, & quod
ijs elementis purgatio fieret, ſicut alio loco di-
cetur, per hoc ſignificãdo caſtam ac puram fu-
turam. Item ſponſæ introductæ potio factitia
porrigebatur deguſtanda. Ouid. in Faſtis:





Nec pigeat tritũ niueo cum lacte papauer
Sumere, et expreſſis mella liquata fauis.
Cũ primũ cupido venus eſt deducta mari-
Hoc bibat, ex illo tẽpore nupta fuit. (to,
Pro his omnibus nunc Romæ mel tantum de-
guſtandum tradunt. Sic ſponſa apud Anglos,
poſtquam benedixerit ſacerdos, in templo, in-
cipit bibere, ſponſo & reliquis aſtãtibus idem
mox facientibus. Tum ſupra caput haſtam de
gladiatoris corpore eductam ponebant, tan-
quam promptum violati tori ſupplicium, vel
quòd matronæ Iunonis Curetis in tutela ſint,
quæ ita appellabatur à ferẽda haſta, quæ Sa-
binorũ lingua curis dicitur: vel quòd nuptia-
li iure nubẽs viri imperio ſubijciatur, quia ha-
ſta armorum & imperij ſumma eſt. Germani
hunc morem nunc retinẽt cum primis. Fuerat
inſuper tum Græcis quàm Romanis virgini-
bus cõſuetudo faſcia genitalia ſuccingere vſ-
que ad diem matrimonij. Quod Homerus in
Odyſſea, de Tyro virgine à Neptuno compreſ-
ſa teſtatur. & Catullus: Quòd zonam ſoluit
diu ligatam. Noua præterea nupta cingulo
præcingebatur, id vir in lecto ſoluebat, factũ
ex lana ouis, vt cùm illa in domum ſublata, ſic
vir vinctus cinctuſque eſſet. Item Romæ, au-
tore Feſto, nubentes ſolebant aſſes tris ferre,
atque vnum quem in manu tenerẽt, tanquam
virum ementes, marito dare alterum: quem in



Universidad de Deusto Biblioteca

pede haberent, in foco larium familiarium ponere, quod hodie nonnullis in Italiæ locis ſeruatur: tertium in ſacciperio (ita Non. Mar. appellat hoc Marſupij genus) in compito vicinali reſonare certo tempore ſolere. Sed longè alia erat coëmptio, quæ fiebat, cùm conuenirent in manum quam Boëtius ſuper Topicis Ciceronis, refert his cerimonijs conſueuiſſe peragi: ſeſe enim in coëmendo inuicem interrogabant: vir ita, an ſibi mulier materfamiliâs eſſe vellet, illa reſpondebat velle. Item mulier interrogabat, an vir ſibi paterfamiliâs eſſe vellet, ille reſpondebat velle. Ita mulier viri conueniebat in manum. Quo facto, inter ſe iunctis dextris oſculabantur, ac poſtremò vir ſponſæ digitum annulo aureo ornabat, quaſi eam ſibi deuinciens tali inſigni pignore. Vtrunque teſtatur Tertullianus libr. de Virginibus velandis, & in Apologetico cap. v i. De hac coëmptione rei vxoriæ meminit Vergil. in illo verſiculo:

Téque ſibi generum Tethys emat omnibus vndis.

Sponſa rurſus domus coniugalis poſtes vngebat adipe ſuillo, quòd ſic ab ea mala depulſum iri ducerent. Vnde ab vngendo vxor dicta quaſi vnxor. Item non permittebatur trāſcendere limen, ſed tranſportabatur, perinde quaſi coacta pudicitiam amitteret. Ac non parū multa ſuperſtitionis plena alia alibi ſeruabantur,



quæ otioſum omnino duximus commemorare.

## De religionis origine, & qui colendorum deorum primi autores fuerint, & Deo vero ſacrificauerint. CAP. V.

Non dubium eſt, quin homines qui antea agreſtem vitam ſine vllo rectore viuebant, primos ſuos reges laudibus ac nouis honoribus vſque eò ad cœlum ferre cœperint, vt etiam dæmonum præſtigijs adducti, veluti docuimus, deos appellarent, ſiue ob miraculum virtutis, ſiue, vt ſolet, ad adulationem præſentis fortunæ, ſiue ob beneficia in ſe collata. Ita cùm ipſi reges chari eſſent, magnum ſui poſteris deſiderium relinquebant. Ex quo homines eorum ſimulachra fingebant, vt ex imaginum contemplatione voluptatem caperent: inde & honores illis habere tanquam dijs cœperunt, virtutis præſertim acuendæ cauſa: nam libentius Reipublicæ periculum optimus quiſque adibat, ſciens virorum fortium memoriam honore deorum immortalium conſecratum iri. Hac igitur ratione, vt diuus docet Cyprianus in libello de Idolis, paulatim vana religio eſſe cœpit, cùm primi parētes eo ritu ſuos liberos, & illi ſuos, ac deinde omnes poſteros imbuerent. Quare Iouis temporibus, autore Lactantio, lib. I I. cap. X I. primò templa conſtitui,

Universidad de Deusto Biblioteca

& noui deorum cultus eſſe cœperunt, vel paulò antè: quippe fieri poteſt, ſicut idem ait, vt vel antè, vel adhuc puero Ioue, Meliſſus Iouis nutritor, à quo, vt infrà dicemus, colendorum deorum ritus effluxit, colere inſtituerit alumni ſui matrem, & auiam Tellurem, & patrem Saturnum. Sed vt ad vnguem origo conſtet, faciamus initium huius rei fuiſſe tempore Beli patris Nini, qui anno ab orbe condito circiter ter milleſimo CLXXX. apud Aſſyrios primus regnauit. Hunc Belum ſibi Deum nominatum Babylonij & Aſſyrij colebant. Idcirco errant, qui deorum cultus ab exordio rerum fuiſſe contendunt. Veri autem Dei religio non equidem aliunde manauit, niſi ab ipſo Deo: etenim Deus, teſte Lactantio in libro de ira Dei, religionis cauſa nos fecit, vt ſibi nos ſtatim geniti, iuſtos & debitos honores haberemus, ipſum ſolum veneraremur, ipſum ſequeremur, in ipſo denique acquieſceremus, vti eſt in Deuteronomij cap. VI. ita iubente Domino: Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles. Ex quo, hoc vinculo pietatis obſtricti & religati Deo ſumus, vnde, vt eidem placet, religio nomen accepit. At Cic. in ſecundo de Natura deorum, à relegendo fluxiſſe opinatur, ſcribens: Qui autem omnia quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter tractarent, & tanquam relegerent, hi di-

hi di



hi dicti ſunt religioſi, ex relegendo, &c. Sed ad deorū cultores reuertamur, de quibus magna apud autores eſt quæſtio: nā primi omniū Aegyptij, autore Herodoto lib. II. & Strabone lib. Geographiæ XVII. dijs & aras, & ſimulacra, & delubra ſtatuere, ſacrificiáque curarunt, ritúſque eos deinde peregrinis cōmonſtrarunt. Quidā verò volunt Mercurium primum inſtituiſſe, quibus ſacris dij colerentur. At alij Mennam regem, autor Diodorus lib. I. Sed idem in quarto, Aethiopes primos Deos coluiſſe autumat, ita ſcribens: Aſſerunt autem deorū apud eos cultum primitus adinuentum, ſacra inſuper, pompas, celebritates, aliáque quibus dijs honores impenduntur, ab eis fuiſſe reperta. Quæ ex re ipſorum in deos pietate religionéque inter omnes vulgata, videntur Aethiopum ſacra dijs admodū grata eſſe. Huius rei teſtimoniū afferunt antiquiſſimi ac ferè celeberrimi apud Græcos poetarum, qui in ſua Iliade, Iouem reliquóſq; vnà deos introducit in Aethiopiam, tum ad ſacra quæ eis de more fierent, tum ad odorū ſuauitatem cōmigrantes. Aethiopes etiā dicuntur ſuæ erga deos pietatis præmium tuliſſe, quòd nunquam ab externis regibus ſubacti ſint, ſemper enim liberi permāſerunt. Verùm Lactantius lib. Inſtitut. primo, tradit Meliſſum Cretenſium regē primum dijs ſacrificaſſe, ac

 ritus

Universidad de Deusto
Biblioteca



ritus nouos ſacrorũmque pompas introduxiſſe. Huius Amalthea & Meliſſa filiæ fuerunt, quæ Iouem puerum caprino lacte ac melle nutrierant. Quamobrem poëtæ tradiderunt aduolaſſe apes, atque os pueri melle cõpleſſe. Alij præterea alia id genus ſacra apud gentes adinuenerũt, veluti Faunus in Latio qui, eodem Lactãtio autore, Saturno auo ſacra cõſtituit. Quidã ſcribunt ante Faunum imperaſſe Ianum, ac deorum cultum demonſtraſſe. Apud Romanos Numa Pomp. nouæ religionis autor fuit, ſicut Orpheus ſacra Liberi patris primus in Græciã introduxit, quæ Orgia vocabãtur, quo nomine, teſte Seruio ſuper IIII. Aeneid. olim apud Græcos omnia ſacra dicebantur, quemadmodũ apud Latinos cærimonia. Item initiãdi morẽ Atque alia myſteria intulit: Diodorus & Lactãt. autores. At Euſebius non planè hoc ſentit in x. de Euangelica præparatione, ſic ſcribens: Primus enim omniũ ex Phœnicia, Cadmus Agenoris filius myſteria & ſolẽnitates deorum Græciæ tradidit, ſimulacrorũ cõſecrationes etiã & hymnos, deinde ex Thracia Orpheus. Herodotus verò li. II. Græcos omnino religionẽ deorũ partim ab Aegyptijs, partim à Pelaſgis accepiſſe affirmat, & Athenienſes ante omnes, quando in Græcia Dodonæum oraculum omniũ vetuſtiſſimum conditum erat. Sed apud Græcos

ſicut



ſicut idem ait, Heſiodus & Homerus deorum opifices in primis extiterunt. Cum Herodoto cõſentit Euſebius, qui in præfatione in Chronicon ſuum ita dicit: Cecrops Diphyes primus omnium Iouem appellauit, ſimulacra reperit, aram ſtatuit, victimas immolauit, nequaquã iſtiuſmodi rebus in Græcia vſquam viſis. Siquidem Cecrops primus Atticæ rex fuit, & æqualis Moſi. Item Orgia Thracibus, teſte eodem Euſebio, Actio adinuenit. Ac talis fuit apud gentes religionis origo. Deo autẽ omnipotenti, quem nos Chriſtiani colimus, cuius nutu omnia geruntur, Cain & Abel Adam filij, autore Ioſepho in primo Antiquitatum, primi ſacrificarunt. Enos verò primus, vt teſtatur Hieronym. cõtra Iouinianum, & Euſebius, inuocauit nomen Domini, & ſic deinceps eorum poſteri nullis ſacris initiati ſacrificium fecere, quoad Deus ſacerdotium conſtituit, quod primo, teſte Ioſepho in III. Antiquitatum, Aaron Moſis fratri detulit. Ex quo ſolenne apud Hebræos fuit, vt nemo diuinum pontificatum gereret, niſi Aaron genere ortus foret: ijs enim ſacerdotibus tantum rem diuinam facere licebat, ſicuti nũc apud nos, ſacerdotes illi duntaxat illud idem factitant, qui per epiſcopos ſacris initiantur. Sed de veræ religionis ac ſacerdotij initio, in quarto operis huius volumine diffuſius tradetur.

## Quis primus literas inuenerit, vel in Latium attulerit, & de earum numero aucto, varietate, vi, atque ſono. CAP. VI.

*Quoniam ſolo literarũ vſu memoriæ fulcitur æternitas, ab omnique obliuionis iniuria res memoria dignæ vindicantur, de his ante omnia eſſe tractandũ ducimus, cùm earum inuẽtio planè demonſtret valde admirabilem fuiſſe vim iuxtà ingenij atque memoriæ in eo homine qui primus ſonos vocis, quæ infiniti videbantur, paucis eiuſmodi literarũ notis terminauerit. Mercurium itaque literas in Aegypto omnium primũ reperiſſe teſtatur Diodorus lib. I. Cicero lib. de Natu. deorum tertio, hunc quintum Mercurium fuiſſe tradit, qui literas Aegyptijs dederit. At idem Diodorus paulò inferius (de primo enim earũ inuentore, magnũ apud idoneos autores certamen eſſe video) Aegyptijs literarũ inuentionem attribuere videtur, ita inquiens: Aſſerunt Aegyptij, literas, aſtrorum curſus, geometriam, artéſque plurimas ab ſe fuiſſe inuentas. Nonnulli has in Aegypto inueniſſe quendam nomine Menona affirmant. Sed apud eos, quod non eſt ſilentio prætereundũ, animalium effigies loco literarum erant, quippe quæ ſenſus mẽtis, ſicut docebimus cum de obeliſcis meminerimus, repræſentabãt. Plinius autem lib. Naturalis hiſt. VII. circa finem, ait ſe literas ſemper arbitratum eſſe Aſſyrias fuiſſe. Cadmum verò à Phœnicia primum in Græciam attuliſſe ſexdecim numero, A B C D E G I L M N O P R S T V. quibus Troiano bello Palamedem adiecisse quatuor hac figura, Θ Ζ Φ Υ, Totidem poſt eũ, Simonidem Melicum, Ψ Ζ Η Ω. quarum vis in noſtris recognoſcitur. Ariſtoteles decem & octo priſcas fuiſſe commemorat, Α Β Γ Δ Ε Ζ Ι Κ Λ Μ Ν Ο Π Ρ Σ Τ Υ Φ, & duas ab Epicharmo, nõ à Palamede additas, hoc eſt, Θ & Ρ, vel Τ, vt Hermolaus prodit. Quidã verò aut nõ Cadmum literas in Græciã, ſed Phœnices, qui cũ eo venerant: aut omninò nõ primò Cadmum, ſed multis pòſt ſeculis aduexiſſe contendunt. Nam Herodotus Halicarnaſſeus hiſtoriarum pater, vt aiunt Græci, lib. quinto de Phœnicibus ita loquitur: Phœnices iſti qui cum Cadmo aduenerunt, quorum Zephyrei fuere, dum hanc regionẽ incolunt, cum alias multas doctrinas in Græciã introduxere, tum verò literas, quæ apud Græcos, vt mihi videtur, antea non fuerãt: & primæ illæ quidem extiterunt, è quibus omnes Phœnices vtuntur. Affirmat itidem Diodorus lib. ſexto, dicens: Nã qui dicunt Phœnices à Muſis perceptas literas tradidiſſe poſtmodum Græcis, hi ſunt qui cum Cadmo in Europam nauigarunt. Ex quo à Græcis literæ Phœnicææ appellatæ ſunt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſunt. Hinc Lucan.

Phœnices primi,famæ ſi credimus,auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

At omnino Cadmum non primum ad Græcos
literas portaſſe,ſed longo pòſt tẽpore,Diodo-
rus perſpicue demonſtrat,qui ait:cùm Actinus
Solis filius in Aegyptum tranſiens aſtro-
logiam Aegyptios docuiſſet,demum Græcia
diluuio oppreſſa,plurimos homines periiſſe,li-
terarúmque monimenta deleta fuiſſe.& eam
ob cauſam poſt multa ſecula,exiſtimatũ eſſe
Cadmum Agenoris filium primùm literas in
Græciam adduxiſſe,atque ideo Græcos quã-
dam cõmuni ignorantia ductos,literarũ in-
uentionem illi acceptã retuliſſe. Cæterùm Io-
ſephus in primo Antiquitatis contra Appio-
nem,Græcos omninò ante Homeri ætatem li-
teris caruiſſe affirmat,inquiens:Poſtea mul-
ta quæſtio atque cõtentio facta eſt,vtrum li-
teris vſi ſint:& magis veritas obtinuit,ea-
quòd vſus recentium literarũ illis fuiſſet in-
cognitus:cõſtat autem,quoniam apud Græcos
nulla inuenitur abſolutè conſcriptio poëmatis
Homeri vetuſtior,& hunc etiam poſt bella
Troiana fuiſſe manifeſtum eſt. Atqui Cicero
in Bruto ſecus tradit,aiens:Nec dubitari de-
bet,quin fuerint ante Homerum poëtæ:quod
ex eis carminibus intelligi poteſt,quæ apud
illum & in Phæacum,& in Procorum epulis

canuntur



canuntur. Itẽ Euſebius in x. de Euang. præp.
oſtendit ſcripſiſſe apud Græcos ante Home-
rum,Linũ,Philamonem,Thamyram,Amphio-
nem,Orphæum,Muſæum, Demodocũ,Epime-
nidem,Ariſtæum,& pleroſque alios. Alij,te-
ſte Diodoro in IIII. aſſerunt Aethiopes lite-
ras primùm reperiſſe,ab iiſq; Aegyptios eorũ
colonos exin illas accepiſſe,& ab eis deinde
reliquos. Verum Eupolemus,vt Euſebius opi-
natur,proculdubio veram literarũ originem
reddit,affirmans Moſen,qui,teſte eodẽ Euſe-
bio de Tẽporibus,& in x. de præparat. Euan-
gel longè ante Cadmum fuit,literas Iudæis
primùm tradidiſſe,& à Iudæis Phœnices ac-
cepiſſe,Græcos verò poſtremos à Phœnicibus.
Idem etiã Euſeb. lib. VIII. & x. pulcherri-
mè probat. Cui opinioni congruit illud,quod
ex Plin. antè retulimus apud Syros literas re
pertas eſſe,quando Syri ipſi quoque,teſte Eu-
ſeb. Hebræi ſunt,atque adeò Iudæa Syria eſt,
ita Plin. lib. v. dicẽte: Syria quondã terrarum
maxima, & pluribus diſtincta nominibus:
namque Palæſtina vocabatur quà contingit
Arabas,& Iudæa, & Cœle,dein Phœnice,
&c. Sed reperimus ante diluuium Noë,apud
eos omnino vſum fuiſſe literarum. Ioſephus
enim in I. Antiq tradit liberos Seth Adam fi-
lij,in duabus columnis,vti cùm de Aſtrolo-
gia tractabitur ſubtilius dicemus, diſcipli-

num

Universidad de Deusto
Biblioteca



nam rerum cœleſtium à ſe primò inuentã con-
ſcripſiſſe. Quo apparet iam tum literas fuiſſe,
quas fieri potuit vi aquarum deletas Moſe
dein adinueniſſe: quãuis ex his columnis alte-
rum, id eſt, lapideam, Ioſephus vſque ad æta-
tem ſuã in Syria duraſſe aſſirmet. Quapro-
pter rectius mea quidē ſententia, Philo pri-
mam literarum inuentionem Abraham aſſi-
gnat, qui Moſe antiquior eſt, niſi hoc ſit po-
tius filijs Seth attribuendũ, qui ipſum Abra-
ham multis annis præceſſerant. Hebræorum
autem literæ, vt idē Euſebius ait, numero vi-
gintiduæ ſunt, quot idē noſtræ Latinæ, quæ
ſi diuo Hieronymo credimus, nouæ ſunt, &
ab Eſdra inuentæ. Ille enim in præfatione in
libros Regum ita ſcribit: Certũmq; eſt Eſdrã
ſcribam legiſque doctorem poſt captam Hie-
roſolymam, & inſtaurationē templi ſub Zo-
robabel alias literas reperiſſe, quibus nunc
vtimur, cùm ad illud vſque tēpus, eſdem Sa-
maritanorum & Hebræorũ characteres fue-
rint, &c. Græcas verò veteres literas fuiſſe
eaſdem penè, quæ nunc Latinæ ſunt, indicio
eſt Delphica tabula ænea, quæ Romæ in pa-
latio Mineruæ dicata, in bibliotheca conſpi-
ciebatur, Plinij, vt ipſe teſtatur, temporibus.
In Latium eas, teſte Plinio & Solino, intule-
re Pelaſgi. Quidam volunt Nicoſtratam
Euandri Arcadis matrem Latinis primùm
dediſſe.



dediſſe. Dionyſius in primo ait ipſos Arca-
des primos attuliſſe in Italiam, qui poſt Pe-
laſgos venerant. Liuius Euandrum autorem
vocat, libro ab vrbe cond. primo ita ſcribens:
Euander tum ea profugus ex Peloponneſo au-
toritate magis quàm imperio regebat loca ve-
nerabilis vir miraculo literarum, rei nouæ in-
ter rudes artium homines. Sentit idē Cornel.
Tacitus qui tradit Aborigines ab Euandro
Arcade didiciſſe literas. Quod autem Plin.
in VII. Epigenis autoritate probare conatur
æternum literarum eſſe vſum, qui veluti ex
Ioſephi teſtimonio probauimus, omnino anti-
quiſſimus eſt, non id planè ſentit Herodotus,
qui vt ſuprà demonſtratum eſt nullas literas
ante Phœnices, in Græcia fuiſſe autumat: neq;
Eupolemus, aut Euſebius, qui Moſi primam li-
terarum inuentionem, ſicut oſtendimus, aſſi-
gnant: neque demum Diodorus, qui in primo
inquit: Qui primi fuerint in orbe reges, ne-
quaquam compertum habemus, cùm nulli hi-
ſtorici eos tradant: fieri quippe non poteſt li-
teras æquè ac primos reges vetuſtas extitiſ-
ſe. hæc ille. Serò etiam in Latiũ venere, quod
teſtatur Liuius ita ſcribens in fronte lib. VI.
ab vrbe condita: Tum quòd paruæ & raræ
per eadem tēpora literæ fuere, vna cuſtodia
fidelis memoriæ rerum geſtarum. Quapropter
idem libro nono ait, Romanos deinde pueros
non

non modò Græcis, ſed Hetruſcis quoque literis erudiri ſolitos. Ex quo ſcire licet Hetruſcos etiam ſuas olim habuiſſe literas, quas, vt noſtra denique cætera omnia, ita tempus conſumpſit, vt nunc ne nota quidem illarum cognita extet. Has autẽ literas Cornelius Tacit. lib. Auguſtæ hiſtoriæ XI. autor eſt Demaratum Corinthiũ Hetruſcos primum docuiſſe. Phrygibus quoque proprias fuiſſe literas, teſtatur Cic. de Natur. deor. ſic ſcribens: Alter Hercules traditur Nilo natus Aegyptius, quem aiunt Phrygias literas conſcripſiſſe. Atqui cùm Græci ita ſuarum literarum numerum paulatim auxiſſent, ſicut ſuprà demonſtrauimus, Latini quoque idem ſtudẽtes, poſtea literas ſex ad ſuas priſcas ſexdecim addiderunt, F X Q X Y Z & H. hæc tamen non eſt litera, ſed tãtùm aſpirationis nota. F digammon ab Aeolibus acceperunt, quod, teſte Priſciano apud antiquiſſimos Latinorum eandem vim atque apud ipſos Aeoles habuit: eum enim prope ſonum quem nunc habet F, ſignificabat P. cũ aſpiratione, quo nos in verbis Græcis vtimur, vt Orpheus. Deinde Claudius Cæſar, prout Tacitus prodit, F loco V conſonantis recipiendum cõſtituit, vt fulgus, pro vulgus, fixit, pro vixit. Quintilianus: Nec inutiliter, inquit Claudius, Aeolicam illã ad hos vſus F literam adiecerat. Ita Germanum

vulgus



vulgus Latinè loquendo etiamnum pronunciat. Poſtremo in Latinis vocibus pro P & H. poni F cœptum eſt, vt fama, facio. K etiam litera à Græcis accepta, in nullis verbis apud nos boni autores vtendum putant. Q adiecta eſt, quòd pinguiorem ſonum edere viſa eſt, quàm C. X de Græcis quæſiuimus, qua tamen carere potuimus, vt ait Quintil. nam pro ea C & S, vel G & S vtebamur, vt apecs & gregs, pro apex, & grex. Y & Z ex Græco ſimiliter fonte manarunt, & id quidem, vt iſtarum literarũ vſus in Græcis foret duntaxat verbis.

## De origine Grammaticæ, & quantum valeat.

CAPVT VII.

Conſentaneum videtur, vt prodita literarum origine antequam ad alia explicanda aggrediar de Grammatices origine diſſeram, vt pote quæ pluris eſt, quã omnium liberalium artium ſcientia, quia reliquarum vnicum eſt fundamentum, nomẽque à literis accepit: nam γράμμα Græcè, litera dicitur. Grãmatica ipſa apud nos, teſte Fabio, literatura nuncupatur, & grammatici literatores, aut literati, quamuis nonnulli, autore Trãquillo de Grãmatica, literatores vocent mediocriter doctos, ſicut Græci grãmatiſtas. Eſt autẽ grãmatica ars, quæ in emendatè loquendo ſcribẽdoq́; conſiſtit, vt literæ ſuas cuſtodiãt voces, & velut depoſitum reddant legentibus, & autore

e Quia

Universidad de Deusto Biblioteca

Quintiliano libro primo, in duas partes diui-
ditur, in rectè loquẽdi ſcientiã, & poëtarum
enarrationem. Cic. de Oratore: In grãmaticis
poëtarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio,
verborum interpretatio, & pronũtiãdi quidã
ſonus. Eius autem initiũ, vt teſtis eſt Suetonius
in libro de Grammatica, tale fermè fuit, quale
habuit Rethorice: ex obſeruatione enim eorum
quæ in loquendo apta aut inepta erant, homi-
nes ea ipſa ad imitandum vitãdũmque notan-
tes, hãc artem fecerunt, veluti oratoriam: nam
grãmatici pariter ac oratoris ſcientia eſt, quo-
modo loqui deceat, vt ex Cicerone colligere li-
cet, cum lib. III. de Orato. ait: Atque vt Lati-
nè loquamur, nõ ſolùm videndum eſt, vt & ver-
ba efferamus ea, quæ nemo iure reprehẽdat: &
ea ſic & caſibus, & temporibus, & genere &
numero conſeruemus, vt ne quid perturbatum
ac diſcrepans, aut præpoſterum ſit, ſed etiam
vocis ſonus eſt ipſe moderandus. Iſta omnia
grammatica ſola docet. Hanc autem, vt Laer-
tius lib. x. ait, Hermippus autor eſt Epicurum
primum docuiſſe, cuius vim Plato primus ſpe-
culatus eſt. Romæ verò, autore Suetonio, adeo
ne in vſu quidem, nedum in vllo honore fuit.
inde in vrbem eius ſtudium intulit Crates Ma-
lotes miſſus ad Senatum ab Attalo rege, inter
ſecundum & tertium bellum Punicum, ſub ip-
ſam Ennij mortem. Ceterùm hæc omnium ar-
tium



tium præclariſſima eſt: præbet enim iter ad cæ-
teras capeſſendas. Fabius: Nec ad vllius rei
ſummam, niſi præcedentibus initiis, peruenirẽ
poteſt. Et alibi: Quò minus, inquit, ſunt feren-
di, qui hanc artem vt tenuem ac ieiunam ca-
uillantur, quæ niſi oratoris futuri fundamẽta
fideliter iecerit, quicquid ſuperſtruxeris, cor-
ruet, neceſſaria pueris, iucunda ſenibus, dulcis
ſecretorum comes, & quæ vel ſola omni ſtudio-
rum genere plus habet operis, quàm oſtenta-
tionis. hæc ille. Illud præterea quamobrem ma-
gnifieri debeat, facilè docet: quia ex huiuſmo-
di artis negligentia, in poëtis, oratoribus, hi-
ſtoricis, in arte medicinæ, in iure ciuili, cæte-
riſque diſciplinis quotidie ſexcẽti errores exi-
ſtunt, ineptiſſimæq; interpretationes, id quod
non accideret, ſi grammaticam primùm diſce-
rent, qui aliquando eſſent ſeſe ad ſcribendum
daturi: aliòve nõ ignorarent grammatici par-
tes eſſe, vt cunctas ferè calleat artes, quando
apud antiquos ſoli grammatici omnium ſcri-
ptorum cenſores & iudices fuere, qui idcirco
critici ἀπὸ τοῦ κρίνειν appellati ſunt. Igitur cũ
quis pingue quiddam Latinè ſonare incipit,
non debet ad opus aliquod ſcribendum aggre-
di prius, quàm grãmaticam didicerit. In hac
autem olim præcelluerunt, Didymus, quem Ma-
crobius omnibus grammaticis præponit: Anto-
nius Gnipho, cuius ſcholam M. Tullius poſt fo-

Universidad de Deusto
Biblioteca



renſia negotia frequẽtabat: Nigidius Figulus, M. ille Varro omnium doctiſſimus: M. Valerius Probus, Palæmon ille arrogãtiſſimus, multique deinde alij. Apud Græcos Ariſtarchus, Ariſtoteles, Theodotes.

De poëticæ artis origine, & eius præſtantia, ibique locus Ciceronis in Catone emendatus. CAP. VIII.

POëtica ars multis mehercle de cauſis, reliquas antecedit diſciplinas, vel quia homines nullam penè artem aſſequi poſſunt, niſi in illam diu incubuerint, vel quòd ſciẽtiæ ſerè, vt Strabo in primo Geographiæ aduerſus Eratoſthenẽ pulchrè demõſtrat, in ſe cõtinet omnes: vel demum quòd ex omnibus artibus quæ ab humani ingenij excellentia proficiſcuntur, ſola poëtica diuino furore percipitur. Nã Poëtæ furore afflati res omni admiratione & ſtupore dignas canunt, ſine quo, teſte Cicerone in primo de Diuinatione, Democritus negabat magnos eſſe poëtas: quippe qui, vt idem quoque Democritus & Plato aiebant, non arte, ſed natura conſtãt, tùncq; veri vates ſunt, cùm inſaniunt. Horatius in poëtica arte:

Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credit, & excludit ſanos Helicone poëtas
Democritus. Et alibi:
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt.





Non fiunt igitur poëtæ, ſed naſcuntur. Vnde in Bucolicis Vergilius:

Paſtores hedera creſcẽtem ornate poëtam.

Quare Ouidius in III. de arte amandi dicit:

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cœli.

Et Maro diuinum vocat poëtam:

Tale tuum carmen nobis diuine poëta, &c.

cùm vatem eſſe, Dei munus ſit. Sed Cicero pro Archia poëta, multò luculentiſſimè illud quo fiat pacto, docet, dicens: Atqui ſic à ſummis hominibus, eruditiſſimiſq; accepimus, cæterarũ rerum ſtudia & doctrina, & præceptis, & arte cõſtare, poëtam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodam ſpiritu afflari: quare ſuo iure noſter ille Ennius ſanctos appellat poëtas, quòd quaſi Deorum aliquo dono atq; munere cõmẽdati nobis eſſe videãtur. Origo autem huius artis admodum vetuſta eſt, & teſte Euſebio in II. de præparat. Euangel. apud antiquiſſimos Hebræorum, qui multò ante Græcorum poëtas fuere, primum floruit. Nam Moſes magnus Hebræorum imperator, cũ ex Aegypto eos in patriam reduceret, ſtatim atq; mare rubrũ diuiniꝭus cedentibus aquis, trãſgreſſus eſt, diuino numine afflatus, autore Ioſepho in II. de Antiquitatib. Iudæorum, hexametrum carmen, quo Deo gratias ageret, edidit. Deinde Dauid ille diuinus Dei vates vario metro hymnos compo-

fuit. Idem Ioſephus lib. VII. Antiquitatum
Expeditus itaque Dauid à prælijs, & pericu-
lis, cùm pace iam altiſſima frueretur, cantica
in Deum hymnosq́; vario metro cõpoſuit, alios
quidẽ trimetros, alios quidẽ quinquemetros:
hæc ille. Diuus quoque Hieronymus in præfa-
tione in Chronicon Euſebij, longè ſcienter id
demonſtrat, ſcribens: Denique quid pſalte-
rio canorius? quod in morem noſtri Flacci &
Græci Pindari, nunc iambo currit, nunc alcai-
co perſonat, nunc ſapphico tumet, nunc ſemipe-
de ingreditur. Quid Deuteronomij & Eſaiæ
cantico pulchrius? Quid Solomone grauius?
Quid perfectius Iob? quæ omnia hexametris
& pentametris verſibus apud ſuos compoſita
decurrũt. Non immeritò igitur huius artis ini-
tium Hebræis acceptum referre debemus, velu-
ti reliquarum propemodum diſciplinarũ. Ora-
cula quoque aliorum vatum verſibus edita
ſunt, quod Horatius in poëtica dicens:

Dictæ per carmina ſortes.

Verùm Orpheus, autore Porphyrione, primùm
poëticam illuſtrauit, deinde Homerus & He-
ſiodus. Nos autem ſerius illam accepimus: nam
Liuius Andronicus, vt M. Tullius in primo
Tuſculanarum, & Fabius Quintilianus in x.
prodiderunt, fabulam primus dedit, Appio
Claudio Cæci filio, M. Tuditano COSS. an-
no ante natum Ennium, qui fuit annus ab vr-
be con



be condita quingenteſimus tertiuſdecimus.
Cæterùm ex ratione temporis inita à Liuio,
ac teſtimonio eiuſdem Ciceronis in Catone,
cùm Liuij Andronici meminit, ſatis conſtat
M. Sempronij Tuditani id temporis collegam
fuiſſe C. Claudium Centonem, licet exẽplaria
in Catone perperam habeãt pro Centone Ce-
thego, non Ap. Claudium. Ac ſic ratio tempo-
ris, cuius rei cauſa hoc loco Conſulum mentio
facta eſt, conueniet, ſi ita legas: ſin minus, non
item. Antea enim, velut idem Cicero ait, nul-
lus honos erat poëticæ artis, quinetiam vſque
adeò probro habebatur, vt ſi quis, quemadmo
dum Gellius ex Catone, libro Noctium Attica-
rum XI. cap. II. teſtatur, eam rem ſtuderet,
graſſator vocaretur.

### De origine metri, & metrorum plura eſſe genera. CAP. IX.

QVanquam nonnullis fortaſſe haud iniu-
ria accuſandus videbor, quòd antea de
poëticæ artis initiis ſcripſerim, quã metri ori-
ginem traderem, ex quo illa conſtat, nec eò ta-
men quiſpiam mihi ſuccenſeat: rei enim digni-
tas in cauſa fuit, cur id fecerim, nõ valde in-
decens ratus de metro ſtatim tractare. Metri
itaq; origo à Deo optimo maximo eſt, qui hũc
terrarum orbem & omnia ab eo contenta, cer-
ta ratione quaſi metro diſpoſuit: harmoniam

enim, vti Pythagoras docuit, in cœleſtibus terenisque rebus nemo hercle eſſe dubitat. Nam quo pacto mundus cōſiſteret, niſi certa ratione & numeris præſinitis ageretur? Omnia quæque inſtrumenta quibus vtimur, mēſura quadam, id eſt, metro ſunt. Quòd ſi hoc in cæteris rebus accidit, quantò magis in oratione, quæ cunctas complectitur? Diodorus etiam, tametſi fabulas ſequitur, cùm de Muſarum officio libro VI. loquitur, metri inuētionē Ioui, hoc eſt, Deo immortali aſsignat: Muſis, inquit, à patre cōceſſa eſt literarum inuentio, & carminum, quæ poëſis appellatur, ratio. Atque metrum à Deo initium habuit, quo apud mortales, eius vates, quos commemorauimus, diuini ſpiritus pleni primū vſi ſunt. Sed metrorū plura ſunt genera, quæ autore Seruio, vel à rebus quæ deſcribuntur, nomina accepere, vt heroicū, quod hexametrum, licet Moſes, vti dictum eſt, primus vſurpauerit, tamē quia Homerus, & cæteri qui deinceps ſecuti ſunt, heroū res geſtas hoc carmine ſcriptitarunt, heroicum nominatum eſt, quo etiam ante Homeri ætatem, Apollinis Pythij oracula reddi cōſueuerāt: propter quod, vt opinor, Plin. in VII. ait, Verſum heroicum Pythio oraculo debemus. Ipſa inſuper oracula ſoluta etiam oratione, teſte Strabone libro nono Geographiæ, referebantur: id quod affirmat Cicero in ſecundo de Diuinatione, di-

cens:



cens: Præterea Pyrrhi temporibus iam Apollo verſus facere deſierat. Vel ab inuentoribus, vt Aſclepiadeū: vel à pedibus, vt iābicū, quod Archilochus primꝰ inuenit. Horatius in poëtica.

Archilochū proprio rabies armauit iambo.

Vel à numero pedum, vt hexametrum & pentametrum, quæ & elegiaca dicuntur, quorum repertor, vt aiunt, ignoratur. Horatius:

Quis tamē exiguos elegos immiſerit autor,
Grammatici certant, & adhuc ſub iudice
lis eſt.

Bucolicum carmē, autore Diodoro in V. Daphnis Mercurij filius excogitauit: & ſic alij alia metra adinuenerunt, quæ nos impræſentia ſtudio breuitatis omittimus, metri tantùm originem prodidiſſe contenti.

## De tragœdiæ atque comœdiæ initiis.

CAP. X.

INitium tragœdiæ & comœdiæ, teſte Donato, à rebus diuinis eſt factum quibus antiqui pro fructibus vota ſoluentes operam dabant: nam olim incenſis altaribus, & admoto hirco, id genus carminis, quod ſacer chorus reddebat Libero patri, tragœdia dicebatur: autoribus enim tragicis hircus præmium cantus proponebatur. Horat.

Carmine qui tragico vilē certabat ob hircū,

qui Libero patri immolabatur, quia, vt ait Varro, noxium eſt vitibus animal. Vnde tra-

Universidad de Deusto Biblioteca



gœdia ἀπὸ τοῦ τράγου, hoc eſt, ab hirco, nominata eſt, vel vt quibuſdam placet, quòd hirco donabatur eius carminis poeta, vel quòd vter ex hircina pelle vini plenus pro præmio erat, vel à fæce, quia ante vſum perſonarum ab Aeſchylo repertum, mimi peruncti ora olei fæcibus fabulas agebant. Horatius in poëtica:

> Ignotum tragicæ genus inueniſſe camœnæ
> Dicit, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
> Quæ canerēt, agerētq; perūcti fæcibus ora.
> Poſt hūc perſonæ, pallæq; repertor honeſtæ
> Aeſchylus.

Tragœdias, authore Fabio in x. primus in lucem protulit Aeſchylus, ſed longe clarius illuſtrarunt Sophocles atque Euripides. Apud nos, autore Donato, Liuius Andronicus tragœdiā primus inuenit, in qua floruit Accius, Pacuuius, Ouidius, & Seneca. At verò nondum coactis in vrbem Athenienſibus, cùm vt teſtatur Varro, iuuentus Attica circum vicos, villas, pagos, & compita, feſtum carmē ſolenniter quæſtus gratia cantaret, orta eſt comœdia, ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, quod eſt laſciuè agere, vel κώμων, hoc eſt, à comeſſatione, ſeu κώμης, qui vicus eſt, & ᾠδή, cantus, quam tamen apud Græcos, vt Donatus ſentit, dubium eſt quis inuenerit primus, apud quos, ſicut infrà dicemus, duplex erat, antiqua & noua. Præcipui autem eius autores fuerunt Ariſtophanes,

Eupo-



Eupolis, & Cratinus. Apud Latinos eam primus omnium, vt Liuius ab vrbe condita & Donatus teſtātur, reperit Liuius Andronicus. In tragœdia autē heroes, Duces, Reges introducuntur, & eſt ſermo grādiloquus. Ouidius:

> Omne genus ſcripti grauitate tragœdia
> vincit.

In comœdia verò amores ferè & virginum raptus. Triſtitia tragœdiæ peculiaris eſt: propter quod Euripides, petente Archelao rege vt de ſe tragœdiam ſcriberet, abnuit, & precatus eſt, ne accideret Archelao aliquid tragœdia dignum, quoniam ſemper infelices exitus habet, contra comœdia felices.

## De origine Satyræ, nouæque Comœdiæ.

### CAPVT XI.

SAtyrarum genera duo eſſe manifeſtum eſt, alterum antiquius tam à Græcis quàm à Latinis vſurpatū, quod ſola carminū varietate cōſtabat, comœdiæ penè par, niſi plus habuiſſet laſciuiæ. Huius ſatyræ ſcriptores fuerunt Demetrius ex Tharſo, poeta ſatyricus, vt autor eſt Laertius, & Menippus ſeruus, ſicut Apuleius & Gellius oſtendunt, cuius libros M. Varro in ſatyris imitatus, eas Latinè Menippeas appellauit. Alterum ſatyrarum genus recentius maledicum, & ad carpenda hominum vitia compoſitum, quod ſoli Latini excogitauerunt, teſte Fabio Quintiliano, ſatyra quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca



dem tota noſtra eſt, quæ, autore Donato, hinc exordiũ ſumpſit. Nam cùm in veteri comœdia per priſcos poetas non penitus ficta argumenta, ſed res geſtæ à ciuibus palàm, tum eorum crebro qui geſſiſſent nomine decantarentur: quod tunc nequaquã moribus hominũ obfuit: cùm pro ſe quiſque caueret, culpa aut domeſtico probro ne ſpectaculo cæteris eſſet, & inde ipſi poetæ abuti licentius ſtylo, & paſſim ex libidine lædere cœpiſſent plures bonos, id propter, ne quiſpiam hominũ vitia amplius nominatim carperet, lege ſanxerunt. Ex huius igitur hoc pacto veterũ comœdiæ interitu, Satyra, quam noſtri condiderunt, initium habuit. Tunc autem poetæ nouam comœdiam inuenerũt, quæ generatim ad omnes homines qui mediocribus agunt fortunis, pertineret, & minus amaritudinis, & eadem opera multũ delectationis ſpectatoribus afferret: cuius Menander & Philemon autores fuere, qui omnem prioris comœdiæ acerbitatem mitigarunt. Ab illis noſtri poetæ Latini, Cæcilius, Neuius, Licinius Plautus, Terẽtius, atque alij antiquiſſimi Comici modũ componendæ comœdiæ iucundæ pariter ac gratæ ſumpſerũt. Verùm ij, ſi Quintiliano credimus, vix leuem Græcorũ vmbram conſecuti ſunt, quòd ſermo Romanus non videatur poſſe recipere illam dicendi venerem ſolis Atticis in hoc genere linguæ conceſſam.

Satyra



Satyra verò à ſatyris, vt Donato placet, qui illoti ſemper & petulantes dij ſunt, nomen traxit: vel à ſatyra cibi genere, quod, autore Feſto, ex varijs rebus conditum erat. In hac Satyra, teſte Quintiliano in X. primus inſignem laudem adeptus eſt Lucillius: ſed eiuſdem iudicio, purus magis ac terſior fuit Horatius. Perſius iuxtà, quamuis vno libro, multum gloriæ promeruit. Sed in primis Iuuenalis lepidus fuit, de quo Quintilianum, cùm in X. dixit, Sunt clari hodie quoque, & qui olim nominabuntur, intellexiſſe ferunt.

## Qui primus hiſtoriam condiderit, & de eius vtilitate, aut ſolutam orationem inuenerit. CAP. XII.

Hiſtoria, quæ tantò cæteris ſcriptis antecellit, quantò plura exẽpla rerum complectitur diuturnitas tẽporis, quàm hominis ætas, ad vitæ inſtitutionem vtiliſſima cenſenda eſt, quòd, vt Cicero de Oratore præclarè ait, ſola ſit teſtis temporũ, lux veritatis, vita memoriæ, & magiſtra vitæ: multarũ enim rerum exemplis priuatos viros imperio dignos reddit, Imperatores ob immortalem gloriã, ad præclara facinora impellit, milites propter laudẽ, quæ eos qui vitã egregiè profuderint, comitatur, promptiores efficit ad pericula pro patria adeunda, improbos infamiæ metu à vitijs deterret. Hæc, vt Plinius libro VII. ait, Cadmus

Mileſi

Universidad de Deusto
Biblioteca

*Mileſius omnium primus cōdidit: ſed Ioſephus
in primo Antiquit. volumine rectius omnium
ſentiēs, cum apud Græcos duntaxat primū hi-
ſtorias ſcripſiſſe tradit: nam Græci cum, vt idē
inquit, heri & nudiuſtertius fuerint, veriſi-
milius eſt, antiquiſſimos Hebræorū qui ſacros
libros ſcripſerant (Cadmus enim Mileſius, vt
apud Euſebiū colligimus, in x. de præparatio-
ne Euang. longè poſt Moſen fuit) hiſtorias pri-
mò condidiſſe: vel Aegyptiorū aut Babylonio-
rum ſacerdotes, ſicut ipſe Ioſephus in primo
contra Appionē ſentire videtur, aiens: Quo-
niam verò apud Aegyptios & Babylonios, ex
longiſſimis olim tēporibus, circa cōſcriptionū
diligentia fuit, quando ſacerdotibus erat in-
iunctū, & circa eas ipſi philoſophabantur. Et
deinde infert: De noſtris verò progenitoribus
quia eandem quam prædicti habuerūt in cō-
ſcriptionibus diligentiā, deſino dicere, etiā po-
tiorem, pontificibus & prophetis hoc imperan-
tes. Ex quo Euſebius veriſſimè, vt mea fert o-
pinio, hoc potius Moſi aſſignare videtur, in II.
de præparat. Euang. dicens: Vnde ſapientiſſi-
mus ille Moſes, qui primus cuiuſque hominis
vetuſtiſſimi vitas Hebræorū conſcripſit, ciui-
lem atque in actione poſitum viuendi modum
narratione hiſtorica docuit. Verùm nec illud
profectò probabile videtur, quod idem Plin. in
VII. & Apuleius in Floridis tradit, Pherecy-
dem*



*dem Syrum primùm ſolutā orationem condere
inſtituiſſe, tēpore Cyri regis: nanq; quis non
videt hoc potius eſſe illis tribuendū, qui primū
hiſtorias ſcripſerint? quæ vti luce clarius eſt, ſo-
luta oratione cōſcribuntur: quando etiam Phe-
recydes, vt de Aegyptiorum & Babyloniorum
ſacerdotibus ſileā, qui & ipſi longè ante Græ-
cos hiſtorias ſcriptitarunt, multò poſterior
Moſe fuit, quē ex teſtimonio Euſebij, primùm
omniū hiſtoriam cōdidiſſe diximus. Pherecy-
des enim Syrus, autore Euſebio de præparat.
Euange. volumine X. circiter primæ Olympia-
dis tēpora floruit. A Moſe autem, quemadmo-
dum ex eodem collegimus, ad Ioathan Iudæo-
rum principē, cuius temporibus Olympiades
cœperunt, interfuerunt anni DCC. & circiter
LXXXVIII. At Strabo in primo Geogr. non
ſolum Pherecydi, ſed Cadmo ac Hecatæo parē
ter aſſignat, qui & ipſi Moſe, vti liquido con-
ſtat, poſteriores fuerūt. Ex philoſophis autem,
Laertio Diogene autore, hiſtorias primus com
poſuit Xenophō, de quo Quintilianus cum de
hiſtoricis loquitur, ait: Xenophon non excidit
mihi, ſed inter philoſophos reddendus eſt. In
ea apud Græcos floruit Thucydides, Herodo-
tus, Theopompus. Apud nos T. Liuius, Criſpus
Salluſtius, & plerique alij. A principio Roma-
ni, veluti Fabius teſtatur, pro hiſtorijs, anna-
les pontificum habebant, in quo res geſtæ per
annum*

Universidad de Deusto
Biblioteca



annum referebantur. De hiſtoriæ initio hæc dicere habui, nunc de cõponendæ regula aliquid ſubijciẽdum duximus. Prima eſt lex hiſtoriæ data, teſte Cicerone de oratore, ne quid falſi dicere audeat: deinde, ne quid veri nõ audeat: ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis. Ipſa autem hiſtoriæ ædificatio poſita eſt in rebus & verbis: rerũ enim ratio tam temporis ordinem quàm locorum deſcriptionẽ poſcit, item hominũ mores, vitas, conſilia, cauſas, dicta, facta, caſus, & exitus. Verborum verò ratio orationis genus deſiderat lene, fuſum ac pura illuſtrique breuitate ornatum.

De origine rhetorices, & quibus rebus eius ratio contineatur. CAP. XIII.

NOn dubium eſt, quin geniti protinus homines ab ipſa rerum natura, hoc eſt, à Deo, à quo primùm creati ſunt, ſermonẽ acceperint: qui mox, vt Fabius ait, ſicut in medicina, cùm viderẽt alia ſalubria, alia inſalubria, ex obſeruatione eorum effecerunt artem: ita cùm in dicendo alia vtilia, alia inutilia deprehenderent, rhetoricen conſtituerunt, cuius, vt Diodor. in primo, & poetæ volunt, Mercurius autor fuit. Flaccus Horat. in carmine:

Mercuri facunde nepos Atlantis
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti, &c.





Quamuis in ſexto idem Diodor. ſibi repugnare videatur, dicẽs: Vnde interpretis nomen aſſumpſit, non quòd nominum aut orationis, vt quidam tradunt, fuerit inuentor, ſed quia diligentius quàm cæteri mãdata referebat. niſi intelligatur, vt ſui moris eſt, alibi fabulas, alibi veritatem eſſe ſecutus. Verùm Ariſtoteles primum Empedoclem artis inuentorem fuiſſe ait. Et Quintilianus idẽ ferè ſentit in tertio, ſic ſcribens: Nam primus poſt eos, quos poetæ tradiderunt, mouiſſe aliqua circa rhetoricen, Empedocles dicitur. Hanc autore Suetonio de claris Oratoribus, conſtat nonnunquam Romæ prohibitã eſſe exerceri: ſed cùm paulatim deinde ipſa vtilis & honeſta apparuiſſet, adeò multi eam præſidij cauſa & gloriæ expetiuere, vt nonnulli ex infima fortuna, in ordinẽ ſenatorium atque ad ſummos honores aſpirarint. Artis autẽ huius ſcriptores antiquiſſimi fuerunt Corax & Thyſias Siculi, quos Gorgias Leontinus eiuſdem inſulæ inſecutus eſt. Sed inter cæteros, apud Græcos longè princeps fuit ille Demoſthenes, ſicut apud nos M. Tullius Cicero lux doctrinarum fulgentiſſima, ac Romanæ eloquentiæ fons vberrimus. De initio rhetorices hactenus, ſed & eius vis atque facultas dicatur. Ea, autore Cicerone de Oratore, in quinque diuiditur partes: vt orator debeat primùm reperire quæ dicat, deinde in-

Universidad de Deusto Biblioteca



menta ordine diſpenſare, tum ea denique ornare oratione, pòſt memoriæ mandare, & ad extremum cum dignitate æquè vt venuſtate agere, & agendo illud, teſte Quintiliano, præſtare, vt delectet, doceat, moneat. Bonus enim orator delectat audientium animos, cùm aptè dicit: nam quod decet, ferè prodeſt, atque delectat. Deinde docet, cùm exponit negotium, quod in controuerſiam venit, & quales ſint perſonæ, inter quas illud ſit. Poſtremò monet, cùm iudicum affectus excitat ad fauendum miſerendúmve, aut triſtes ſoluit, digna riſu tempeſtiuè interponendo, ſi id opus eſſe perſpicit. Atque ijs rebus & verbis omnis fermè rhetorices ratio continetur. Quòd autem Græci oratores cauſarum ῥήτορας, id eſt, rhetores vocant, nos tamē ita diſtinguimus, vt orator ſit, qui cauſas agit: rhetor, qui rhetoricen profitetur: declamator verò, qui ſiue alios docendi, ſiue ſe exercendi gratia, fictam cauſam orat.

### Quis primus muſicā repererit, & quantum ea valeat ad tolerandos humanæ vitæ labores. CAP. XIIII.

MVſicem antiquiſſimam eſſe, poetæ clariſſimi teſtimonio ſunt: nam Orpheus & Linus ambo dijs geniti, muſici inſignes fuerunt, cùm alter eorum rudes atque agreſtes hominum animos demulceret, cantúſque ſuauitate non feras modò, sed ſaxa etiam, vt fa-





bulæ tradunt, ſyluáſque duceret. Horat. in poetica arte.

Syluestres homines ſacer interpreſq; deorū
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidóſque leones.

Vergilius in Ecloga quarta:

Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamuis, atque huic pater adſit,
Orphei Calliopeia, Lino formoſus Apollo.

Apud quoque eoſdē autores, inter regalia conuiuia, laudes deorum atque heroum ad citharam canuntur, vt Iopas ille Vergilianus canit errantem lunam, ſoliſque labores. Muſices autem repertor, teſte Plinio lib. VII. Amphion ex Antiopa, Iouis filius fuiſſe dicitur, propter quod poeta in Bucolicis ait:

Cāto, quæ ſolitus, ſi quādo armēta vocabat
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Ipſe quoque ſaxa mouiſſe fertur. Flaccus Horat. in poetica:

Dictus & Amphiō Thebanæ cōditor vrbis
Saxa mouere ſono teſtudinis.

Et Statius in primo Thebaidos:

Penitúſque ſequar, quo carmine muris
Iuſſerit Amphion Tyrios accedere mōtes.

Sed Græci, teſte Euſebio, de præparat. Euang.

Universidad de Deusto
Biblioteca



lib. I I. muſicæ harmoniæ inuentionem Dionyſio attribuūt. Ipſe verò in X eiuſdē operis Zethum & Amphionē fratres, qui Cadmi tēporibus fuerunt, muſicæ repertores vocat. At Solinus huius artis ſtudium ex Creta manaſſe ſentit, inquiens: Studium muſicum inde cœptū, cùm Idæi Dactyli modulos crepitu ac tinnitu æris deprehenſos, in verſificū ordinem trāſtuliſſent. Polibius tamen in I I I I, hoc Arcadum maioribus aſſignat, quippe qui huius rei ſemper ſtudioſi fuerint. Vocum harmonias Mercurium adinueniſſe, Diodorus eſt autor in primo. ἁρμονίαν Græci vocant, quam nos diſsimilium concordiam appellamus. Verùm Amphionem & cæteros poſthac huius rei autores fuiſſe ratio poſcit, cùm Iubal Hebræum Lamech filium, qui multis ætatibus præceſſerat omnes illos qui muſicæ inuentores produntur, Ioſephus in primo Antiquitatum dicat muſicam ſtudioſè coluiſſe, & pſalterio citharáque ceciniſſe, hæc hactenus. Sed artis origo nihilominus in dubio verſari videtur: igitur expeditum vt quæſtio eiuſmodi tandem aliquando planaſiat. Itaq; natura iam inde à principio mortalibus muſicam velut muneri dediſſe videtur, quando id ad tolerandos humanæ vitæ labores plurimum valet. Siquidē homo ſtatim natus cùm in cunabulis vagire incipit continuò nutriculæ cantitātu, voce ſopitus dormitat.



tat. quippe infantes ſtatim plorant: quod crurum brachiorúmque rectè producendorū cauſa, faſcijs colligantur, ac ita à ſupplicio miſeram vitā viuere incipiūt. Deinde in omnibus fermè operibus modulatio aliqua rudis hominum defatigationem ſemper conſolatur. Vergilius:

Hinc alta ſub rupe canet frondator ad
auras.

Sic remiges incitātur, ſic arator, auriga, mulio, longo inter laborem viámque ſibilo reficitur. Quid, quòd nō modò ij, verumetiā eorum ſarcinaria iumenta eo cantu ſimul labore leuantur? Nā aſsiduo vſu compertum eſt mulos valdè delectari tintinnabulorū ſonitu: quapropter muliones multiiugia tintinnabula ad illorum colla ſuſpendere ſolent, quò facilius ſarcinarum labores perferant. Eandē vim in cætera ſimiliter animalia muſicam habere inter omnes cōſtat. ita equi in bello tubarū clangore arrecti, ſtare loco neſciunt, ac iamiam in certamen ruere ardent: ita leones ſtridore ferri maximè irritātur. Sed quæſo, vnde ille auiū concentus, quo omnis ager ſuo tempore reſonat? ecquis docuit luſciniam varios canendi modos? hæc enim auicula ſonum edit perfecta muſicæ ſcientia modulatū, qui nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nūc variatur inflexo, nunc diſtinguitur cōciſo, copulatur intorto,

Universidad de Deusto
Biblioteca



torto, promittitur, reuocatur, infuſcatur ex inopinato: interdũ & ſecum ipſa murmurat: plenus, grauis, acutus, creber, extentus: & breuiter, audire licet omnia tam paruulis in faucibus concini, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis, vt ait Plinius, ars hominum excogitauit. Huius harmoniæ natura magiſtra eſt, quæ vel ab initio alias animantes, quibus ad ſonum quempiã vox apta eſt, muſicam docuit, quemadmodum oſtendimus. Atque hæc vera artis origo. Cæterùm muſicã, quam Aegyptij, vt Diodorus teſtis eſt, tãquam virorum effeminatricem prohibebãt iuuenes perdiſcere: & Ephorus autore Polybio, in proœmio ſuarum hiſtoriarum, ad deludẽdos ac fallendos homines inuentã tradidit, magno olim pretio æſtimatam teſtatur Fabius, qui dicit Socratẽ iam ſenem inſtitui lyra non erubuiſſe: & Cicero, qui libro Tuſculanarum primo ait Themiſtoclem, quòd in epulis recuſaſſet lyram, eſſe habitum indoctiorẽ: & Salij apud Romanos, qui per vrbem verſus canebãt: ſed in primis Dauid ille magnus vates, qui diuino carmine Dei myſteria canit: illud quoque Græcorum adagium. Indoctos à Muſis atque Gratijs abeſſe, quod in noſtris prouerbijs explanaui. Tria præterea genera ſunt, ex quibus muſica conſtet, vnum genus eſt, quod inſtrumẽtis agitur, de quo infrà dicetur: alterũ, quod fingit carmina,



mina, ex quo vt poëſis pars ſit muſices, neceſſe eſt: tertium, quod inſtrumentorũ opus carmenque diiudicat. Ex quo rectè ait Cicer. de Oratore, lib. I. muſicam verſari in numeris, & vocibus, & modis.

Qui primùm inſtrumenta diuerſi generis inuenerint, & ea in Latium attulerint: ac quod ſit organum, & de antiquiſsimo tibiarum vſu in prælijs. CAP. XV.

MErcurius Maiæ filius lyram omniũ primus ex teſtudine feciſſe dicitur. Tradunt enim cùm aliquãdo Nilus ſuum egreſſus alueum totã inundaſſet Aegyptũ, eo poſtea intra ſuos limites regreſſo, varias animantes in campis relictas, inter eáſque remanſiſſe teſtudinem, & hãc cùm ille inuenisſet, cõſumpta iam carne, ſed ſuperſtitibus neruis, & percuſſu ſonũ excitaſſet, ad exẽplum illius lyram cõpoſuiſſe. Horatius in primo carminum:

Te canam magni Iouis, & deorum
Nuntium, curuæq; lyræ parentem.

Cui ex neruis trium chordarum, inſtar trium anni tẽporum, autore Diodoro Siculo, tres inſtituit voces, acutam, grauem, & mediã: acutam ab æſtate, grauẽ ab hyeme, mediam à vere ſumens, quã teſte Seruio ſuper quarto Aeneidos, donauit Apollinem, accepto ab eo caduceo, de quo Vergilius,

Tũ virgã capit, hac animas ille euocat orco

 Pallentes

Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit.
Quidam eã non Apollini, ſed Orpheo primùm
tradidiſſe ferunt, alij verò ab Apolline poſt
Orpheo cõceſſam volunt. Ad eã qui decãtan-
dos faciebant verſus, Lyrici poëtæ nuncupati
ſunt. Reperio inſuper (vt nihil quod attinet
ad hanc rem, omittatur) ſeptem in ea chordas
appoſitas, iuxta numerũ ſeptem Atlantidum,
quòd Maia Mercurij mater ex illarum numero
fuiſſet: deinde ſuperadditas duas, vt repræſen-
taretur vnum nomẽ Muſarum. Hæc autẽ tan-
tæ ſuauitatis fuiſſe perhibetur, vt arbores, ſa-
xa, feras, veluti ſuprà dictum eſt, traxiſſe Or-
pheus dicatur. Mercurius præterea, teſte Pli-
nio lib. VI. monaulũ, id eſt, ſimplicem tibiam
inuenit. Primus autem tibias, autore Diodoro
& Euſebio, Marſias adinuenit. Plinius verò
geminas illũ reperiſſe tradit. Alij hoc Apolli-
ni aſſignant, ſicut lyræ & fiſtulæ inuentionẽ:
nam ſimulachrum eius quod erat in Delo, ha-
buiſſe dicitur in dextera quidẽ arcum, in læua
Gratias, quæ ſingulæ ſingula muſicæ inſtru-
menta manibus gerebant, vna lyrã, altera ti-
bias, quæ autẽ media erat, fiſtulam tenebat.
Obliquæ tibiæ Midas in Phrygia autor fuit.
Tibiæ primò ex gruũ tibijs, vnde nomẽ habẽt,
tum ex arũdinibus facta ſunt, cũ quibus voce
canere Træzenius Dardanus inſtituit. Lydios
modulos Amphion excogitauit, Dorios Tha-
myras

Universidad de Deusto Biblioteca



myras Thrax, Phrygios Marſias Phryx, plu-
res alios Terpãder. Fiſtulam, vt Plin. & Ser-
uius aiunt, Pan deus ruſticus inuenit: nã cum
Syringam Arcadiæ Nymphã, autore Ouidio,
in primo Metamorph. ardenter amaret, & il-
la fugiẽs ad Ladonem fluuium perueniſſet, &
fluuio impedita nõ amplius fugere poſſet, im-
plorato aliarũ Nympharum auxilio, in palu-
ſtres cannas mutata eſt: quas cùm Pan exci-
diſſet, ex ijs ad amoris ſolatium, primus ſibi fi-
ſtulam confecit. Maro in Corydone:

Pan primus calamos cera cõiungere plures
Inſtituit.

Sunt tamen, qui hoc Apollini attribuant. Ve-
narum pulſum in muſices pedes Herophilus
primus diſcreuit per ætatis gradus. Fiſtulam
verò, quam Græci ſyringa vocãt, teſte Euſe-
bio, in II. de præpar. Euang. Cybele inuenit.
Citharæ, vt Plinio placet, repertor fuit Am-
phion: vt alij, Orpheus, vt alij, Linus: vt ve-
rò Diodoro, Apollo, qui lib. V. inquit: Apollo
primùm cithara ſimplici vſus eſt, Marſias ve-
rò tibijs. Sentit idem Higinius. Septem chor-
das addidit Terpander. Verg. in ſexto:

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina
vocum.

Octauam appoſuit Simonides, nonam Timo-
theus. Citharæ ſine voce primus cecinit Tha-
myras, cũ cantu Amphion, vt alij, Linus. Hæc

ex Plinio. At Cithara tamen longè antè, vt ſuperiore capite oſtendimus, Tubal Hebræ[illegible] eſt, quam omnino ab ea diſsimilē fuiſſe, quam illi inuenerunt, quos cōmemorauimus. Teſtatur diuus Hieronymus in epiſtola de Inſtrumentis muſicis, ad Dardanū, aut quiſquis illius autor eſt, quia de ea re ambigitur, ſcribens citharā apud Hebræos vigintiquatuor chordas habuiſſe, factā ad formam Δ literæ. Dauid etiā ille magnus Dei vates varia inſtrumēta inuenit, teſte Ioſepho in ſeptimo Antiquitatum, qui ait: Diuerſáq; faciēs organa docuit vt Leuitæ ſecundū ea Deo hymnos cinerent per ſabbatorū dies, aliáſque ſolennitates. Organorū autem ſpecies huiuſmodi eſt: canora cithara quidē decem chordis coaptata, & hæc cū plectro percutitur. Nabla verò duodecim ſonos habēs, digitis tāgitur, & reliqua. Hinc perſpicere licet iſtiuſcemodi organa à Dauid confecta diuerſa fuiſſe à noſtris, quorum nunc vſus in tēplis eſt perquam frequens: quādo illa plectro pulſabantur, noſtra verò inſtantur follibus, vnde multis meatibus quaſi cientis imparibus vox erumpit, concentúmque efficit. Quanquam Ioſephus hoc loco dicens, Diuerſáq; faciēs organa, videtur organum pro inſtrumēto quocunq; muſico ponere. Idipſum ſentit Auguſtinus, qui inſtrumenta muſicorum cuncta ſpeciatim excellentiora

etiam



etiam organa vocat. At autor noſtri organi tam concinni non proditur, cum magna eius nominis iactura ſicut in extremo tertio libro dicetur.

Sambucam itē muſicum inſtrumentum autore Clemente, Troglodytæ Africæ, vt Solino placet, populi inuenerunt. Tubā æneam, teſte Plinio, Piſæus Tyrrhenus reperit: quod Diodorus libro ſexto, non Piſæo tantùm, ſed Tyrrhenis omnibus tribuit, ita ſcribens: Tyrrheni pedeſtri quoque exercitu præualidi tubam primam adinuenerunt, bello admodū vtilem. Non eo tamen inficias, Diodorum in Plinij ſententiam ire: quandoquidem iure à Græcis dicitur victus Hector, quamuis à ſolo Achille interemptus fuerit. Sentit idem Vergilius in octauo Æneidos, dicens:

Tyrrhenúſque tubæ mugire per æthera
clangor.

Verùm Acron ſuper hoc Horatianū in poëtica arte,

Poſt hos, inſignis Homerus,
Dircæúſque mares animos in martia bella
Verſibus exacuit.

tradit Dircæum poëtam primùm tubā comperiſſe, quoniā is, vt Porphyrio dicit, primus tubæ modulos dedit, hac de cauſa. Nam cùm Lacedæmonij, autore Iuſtino lib. III bellum aduerſus Meſſenios gererent, diúque extraherent

herent

herent dubiũ Martis euentũ, reſponſum acce-
perunt ab Apolline, ſi vellent vincere, Athe-
nienſi duce vterentur: à quibus rogati Athe-
nienſes, cõtumeliæ cauſa ipſis Dircæũ quen-
dam claudũ, luſcum, omnique ex parte corpo-
ris deformem dederunt. Vſi ſunt auxilio eius
Lacedæmonij, quibus ille cantum monſtrauit
tibiarum, quarũ inaudito territi ſono Meſſe-
nij fugã fecerunt, adeptique ſunt victoriam
Lacones. Sed in codicibus Iuſtini inuenio Ty-
tæum per t. & t in antepenultima, vt in alte-
rutro mendum ſit. Quidã etiã tubæ autorem
volunt Malerum, ſiue Maleum dictũ. Verùm
quid multa? cùm tubæ inuentor fuerit Moſes
ille diuinus Hebræorũ dux, dicente Ioſepho in
tertio Antiquitatum: Adinuenit autẽ modum
tubæ ex argẽto factæ, quæ eſt huiuſmodi, lon-
gitudinem habẽs penè cubiti: eſt autẽ anguſta
fiſtula calamo capacior, præbens latitudinem
quæ conueniat ori, ad ſuſceptionẽ ſpiritus, &
claſſico ſono vicina, quæ Hebraica lingua vo-
catur Aſoſra, hæc ille. Sed haud ſcio vnde de
primis tubæ inuentoribus tanta diſſenſio in-
ter ſcriptores orta ſit: niſi intelligamus alios
aliud tubarũ genus, ſunt enim plura genera,
& alibi inueniſſe. In Latium inſtrumẽta mu-
ſica, teſte Dionyſio Halic. Arcades primi o-
mnium attulerunt, cùm antea fiſtulis paſtora-
libus tãtùm vterentur. Placet inſuper anti-
quum



quum vſum tibiarum in prælijs ponere, Thu-
cydides itaque autor grauiſſimus, tradit La-
cedæmonios tibiarum modulis in prælijs eſſe
vſos: etenim cùm paratæ eſſent claſſes & in-
ſtructæ acies, captùmque iri in hoſtem, tibici-
nes inter exercitum poſiti canere incæpta-
bant, non voluptatis cauſa, ſed vt æquali mo-
dulatóque ſenſim ingreſſu conuenientes, pu-
gnam capeſſerent. Cuius rei Polybius libro
quarto, & Fabius in primo, Gellius itidem in
primo, & Plutarchus in vita Lycurgi memi-
nit. Hunc morem, addito tympano, etiã nunc
noſter peditatus ſeruat. Alyates quoque Ly-
dorum rex, autore Herodoto libro primo, in
bello aduerſus Mileſios, fiſtulatores & fidi-
cines concinentes habuit: ſicuti memoriæ pro-
ditum eſt, Cretenſes prælia ingredi ſolitos,
præcinente ac præmoderante cithara greſ-
ſus, autor Gellius. At Parthos conſueuiſ-
ſe tympanorum ſonitu pugnam inire, teſta-
tur Plutarchus in vita Craſſi, & Appia-
nus Alexandrinus in libro parthico. Reliqui
ferè omnes, vt hodie fit, tubis in prælio vte-
bantur. Vnde Vergilius de Miſeno tubicine
inquit:

-Quo non præſtantior alter
Aere ciere viros, Martémque accende-
re cantu.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca



De origine Philoſophiæ, & de duobus eius principiis, & quis primus inuenerit ethicen, & dialecticen, ac dialogos introduxerit. CAP. XVI.

PHiloſophiam, quam Cicero in Officiorũ
libris ſtudium ſapientiæ vocat, & in Tu-
ſculanis, virtutis indagatricem atque vitio-
rum expultricem, à barbaris ad Græcos flu-
xiſſe plerique volunt, nã apud Perſas primùm
Magos eorum ſapientes claruiſſe dicunt: apud
Babylonios & Aſſyrios, Chaldæos: apud In-
dos, gymnoſophiſtas, quorum ſectæ princeps, te-
ſte Hieronymo cõtra Iouinianũ, Buddas nun-
cupatur: apud Britannos, & Celtas ſiue Gal-
los, Druides: apud Phœnices, Ochum: apud
Thraces, Zamolſim, & Orpheum: apud Liby-
cos, Atlantem: quos omnes, autore Laërtio, pro
ſapientibus habuerunt. Aegyptũ verò Nili fi-
lium Vulcanum fuiſſe dicunt, eũmque philo-
ſophiæ aperuiſſe principia. Sed idem Laërtius
à Græcis philoſophiam manaſſe affirmat, quo-
niam apud eos Muſæum & Linũ primos fuiſ-
ſe ſapientes ferunt. Verùm, teſte Euſebio, pri-
mùm philoſophia, ſicuti reliquæ ferè omnes
diſciplinæ, ab Hebræis originẽ duxit. Ex quo
philoſophos Græcorum, qui Porphyrionis te-
ſtimonio, amplius mille annis poſt Moſen fue-
re, Euſebius in 11. de præparatione Euãgel.
philoſophiam à Iudæis accepiſſe pleniſſimè
demonſtrat



demonſtrat, quando nec ipſum nomen philo-
ſophiæ apud eos primùm fuit, ſed deinde nã
Pythagoras omnium primus, Lactantio au-
tore in tertio, philoſophiam, id eſt, amorem ſa-
pientiæ, & ſe philoſophum, id eſt, amatorem
ſapientiæ nominauit, dicens ſolum Deum ſa-
pientem eſſe: antea enim ſophia, hoc eſt, ſapien-
tia dicta eſt, quæ nunc philoſophia vocatur:
& qui hanc profitebantur, ſophi, id eſt, ſa-
pientes vocitati ſunt. Philoſophiæ autem duo
fuere principia: alterum, quod ab Anaximan-
dro Ionicum eſt appellatum, eò quòd Tha-
les Mileſius fuerit ex Ionia, & hic Anaxi-
mandrum inſtituit: alterum verò ex Pytha-
gora Italicum eſt, dictum, quoniam eius au-
tor Pythagoras valdè multum in Italia phi-
loſophiæ operam dedit. Euſebius in x. de
præparatione Euangel. tertium addit, id eſt,
Eleaticum, cuius Xenophanes, Colophonius
autor dicitur. Diuidunt inſuper philoſo-
phiam, autore Cicerone de Oratore, in tres
partes, in naturæ obſcuritatem, in diſſeren-
di ſubtilitatem, in vitam atque mores: & pri-
mam phyſicam, alteram dialecticam, ter-
tiam ethicam Græci vocant. Quam etiam
diuiſionem Plato, vt ait Euſebius, ab Hebræis
ſumpſit, ſicuti ſingula ipſius philoſophiæ præ-
cepta. Phyſicæ proprium eſt de mundo, &
de his quæ ſunt in eo, diſſerere, quam ex
Ionia

Universidad de Deusto Biblioteca

Ionia Athenas Archelaus primus importa-
uit. Ethicæ verò, de vita moribúſque tracta-
re, quam Socrates cōperit. Cicero libro quin-
to Tuſculanarum: Socrates autē primus phi-
loſophiam deuocauit è cœlo, & in vrbibus col-
locauit, & in domos etiā introduxit, & coë-
git de vita & moribus, rebúſque bonis & ma-
lis quærere. Dialectica autem ambarum par-
tiū affert rationes, quæ à Zenone Eleate ini-
tium ſumpſit. Quāuis ſecundū alios, in quinq;
partes diuidatur, in phyſicam, metaphyſicam,
ethicam, mathematicam, & logicam. Verum
nos iam fines noſtros egreſſi ſumus: non enim
res definire, & de ſingulis planum facere, ſed
de earum initijs tractare, noſtri tantummodò
eſt muneris: proinde ad inſtitutum opus re-
deamus. Dialogos, vti apud Laërtium diſi-
mus, Plato omnium primus introduxit, vel po-
tius maximè omnium illuſtrauit: nam Ariſto-
teles libro de poëtis primo, illud ſcribendi ge-
nus inuentum tradit ab Alexameno Scy-
reo, Teiōve.

Qui primi aſtrologiā adinuenerint, aut quorundam ſyderum curſus, & ſphæram, ventorúmque rationē: atque quot illi ſint, & obſeruationes ſyderum in nauigando.

CAP. XVII.

TErra potiſſimum ex ſyderum tempera-
tione fructus fert vberiores, vt nos in
eo prouerbio demonſtrauimus, Annus fructifi-
cat, non tellus: hominúmque natura, ſi Iulij
Firmici, vt ita dicam, ſomnijs credimus, ma-
ximè ſyderibus ſubiecta eſt: ait enim, Qui ha-
bebit horoſcopum in quarta parte Mercurij,
erit ratiocinator: qui in equo, auriga: qui in ſe-
ptima parte arietis, gibber aut gibberoſus. Et
alibi: Luna, inquit, candidos, Saturnus nigros,
Mars rubicundos gignit. Et hoc ab Aegyptiis
profectum dixerim: nam Herodotus de hac re-
ligione ita ſcribit: Alia inſuper ſunt Aegyptiis
excogitata, quis menſis diés ve cuius deorum
ſit, & quo quis die genitus, qualia ſortietur,
& quam mortem obibit, & qualis exiſtet.
Chaldæi verò, teſte Diodoro libro tertio, dice-
bant planetas plurimum conferre ad bona vel
mala conſequenda. Vnde Hermione apud Oui-
dium ita conqueritur:

Quæ mea cœleſtes iniuria fecit iniquos?
Quodq; mihi miseræ ſydus obeſſe querar?

Hinc igitur ab hominibus ex obſeruatione cæ-
leſti, inuenta eſt aſtrologia, in qua cœli con-
uerſio, ortus, obitus, motúſque ſyderum, arte
quadam concluſus eſt. Hanc Aegyptij, vt au-
tor eſt Diodorus, à ſe primùm repertam aſſe-
runt, alij verò à Mercurio. Sed idem libro quin-
to Actinum Solis filium ad eos aſtrologiæ noti-
tiam traduxiſſe docet, id quod Clemens pri-
mùm Chaldæis, dein ipſis Aegyptiis aſſignat.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*At Ioſephus in primo Antiquitatum perſpi-
cuè demonſtrat, Abrabam primùm Aegyptiis
aſtrologiam inuentam à ſuis maioribus, vt
infra dicemus, tradidiſſe, cùm in Aegyptum
ille aufugerat, & ab his eam inde ſimulque
Chaldæis, qui huius quoque diſciplinæ auto-
res feruntur, ob ingem operam, quam obſeruan-
dis ſyderibus impendebant, ad Græcos fluxiſ-
ſe tradit, in primo contra Appionem dicens.
Sed eos etiam qui de cœleſtibus & diuinis pri-
mi tus apud Græcos philoſophati, id eſt, Phere-
cydem Syrum, & Pythagoram, & Thaletem,
omnes concorditer conſitentur Aegyptiorum
& Chaldæorum fuiſſe diſcipulos. Cæterùm
Plinius libro ſeptimo, Atlantem Libyæ filium
aſtrologiam inueniſſe dicit. Quapropter poe-
tæ tradiderunt hunc ſuſtinere cœlum hume-
ris. Vergilius in ſexto:*

*-Vbi cœlifer Atlas*
*Axem humero torquet ſtellis ardentibus*
*aptum.*

*Sed idem Plinius lib. VI. Ioui Belo hoc ad-
ſcribit, dicens: Durat adhuc ibi Iouis Beli tem-
plum, inuentor hic fuit ſyderalis ſcientiæ. Et
in V. lib. aliter ſcribens: Ipſa gens Phœni-
cum in gloria magna literarum inuentionis
& ſyderum. Alij volunt Aſſyrios reperiſſe,
quibus tamen Seruius ſuper ſexta Ecloga Bu-
colicorum ait, Prometheum prius aſtrologiam
indicaſ-*



*indicaſſe. Verum enimuerò horum quos prodi-
dimus, poſtea alios alibi huius rei autores fuiſ-
ſe ducimus, quando à primordio ſtatim orbis,
liberi Seth, Adam primi hominis filij, teſte Io-
ſepho autore ſanè grauiſſimo, in primo Anti-
quitatum, diſciplinam rerum cœleſtium pri-
mum inuenerunt, qui, vt ne dilaberentur,
quæ reperiſſent, néve antequam venirent ad
cognitionem, deperirent, cùm prædixiſſet
Adam rerum omnium futurum interitum,
duas columnas fecerunt, ex quibus vna ex la-
teribus conſtructa erat, altera ex lapidibus,
vt ſi lateritia ab imbribus deſtrueretur, lapi-
dea permanens integram ſcripturam legen-
tibus præberet. Hi igitur in columnis ea quæ
ad obſeruationem ſyderum pertinerēt, inſcri-
pſerunt. Proinde ab Hebræis ad Aegyptios &
Chaldæos, & deinde ad reliquos aſtrologiam
manaſſe credere par eſt. Ac tale fuit aſtro-
logiæ artis, nempe ad ſanarum mentium dely-
rationem duntaxat excogitatæ, initium. De-
fectus ſolis & lunæ primus Romani generis, te-
ſte Plin. lib. II. Sulpitius Gallus, apud Græ-
cos Thales Mileſius deprehendit: Lunæ cur-
ſum, vt idem ait, Endymion. Sed defectum
lunæ Plutarchus Anaxagoram primum mon-
ſtraſſe dicit, in vita Niciæ dicens: Primus
autem qui lunaris luminis atque vmbræ cau-
ſam deprehenderit, ac literis mandare auſus*

 ſit,

Universidad de Deusto
Biblioteca



*ſit, Anaxagoras fuit: etenim quòd is antea ignotus eſſet, ex eo probat, quòd cùm Nicias malè geſtis rebus Siciliam deſerere decreuiſſet & noctu fortè luna defeciſſet, omnes milites propter rei ignorationem, quanquam paulò antè Anaxagoras clarueras, turbati, malum aliquod ſibi portendi arbitrati ſunt. Veneris ſyderis naturam Pithagoras Samius inueſtigauit: quod idem eſſe, quem Luciferum vocamus, qui ante matutinum tempus oritur, & veſperum, quia poſt ſolis occaſum refulget, Parmenides primus animaduertiſſe dicitur, autor Laertius in nono. Sphæræ, teſte Cicerone libro Tuſcula. primo, Archemides Syracuſanus repertor fuit, quod Diogenes Muſæo adſcribit: Plinius verò in VII. Anaximandro, vel potius, vt eſt in ſecundo volumine cap. VIII. Atlanti. Ventorum rationem Aeolus reperiſſe fertur: quod ideo proditum eſſe duco, quia, autore Strabone lib. VI. & Solino in tertio, ex fumo inſularum prope Siciliam, in quibus ipſe Aeolus regnauit, incolæ quinam flaturi eſſent venti, triduò prædicebant, vnde etiam Aeolo ventos parère exiſtimatum eſt. Ventos autem nonnullis placuit eſſe quatuor: ab Oriente æquinoctiali Solanum, à Meridie Auſtrum, ab Occidente æquinoctiali Fauonium, à Septentrione Septentrionem, vt vnaquæque cæli regio ſuum haberet ven-*

tum



*tum: ſunt enim totidem regiones, ortus, occaſus, meridies, ſeptentrio. Ortus & occaſus mobilia atque varia, meridies verò ſeptentrioq; ſtatu perpetuo permanent. Sed qui diligentius rem hanc pertractarunt, tradiderunt ventos eſſe numero octo, reliquóſque quatuor poſuerunt, Eurum, Africum, corum, ſiue caurum, Aquilonem: & id in primis Andronicus Cyrrheſtes: is Athenis, teſte Vitruuio, locauit turrim, & in ſingulis lateribus imagines ipſorũ ventorum exculptas, contra cuiuſque flatus, ſupráque metam marmoream poſuit, ac in ea Tritonem æreum dextera manu virgam porrigentem, quem ita fabricatus eſt, vt vẽto circumageretur, ſtarétque ſemper contra venti flatum, virga interim ad eius venti imaginẽ verſa. Eſt itaque Eurus ab oriente hyberno, collocatus inter Solanum & Auſtrum, inter Auſtrum & Fauonium: ab occidente hyberno, Africus inter Fauonium & ſeptentrionem Corus: inter ſeptentrionem & Solanum, Aquilo, à vehementi aquilæ volatu dictus, Græcè Boreas vocatur, ἀπὸ τοῦ βοᾶν, quod eſt clamare, quia ſonoro flatu eſt. Igitur orientales venti tres ſunt, id eſt, vt ab hyberno orientali incipiamus, Eurus, Solanus, quem quidam Vulturnum nuncupant, & Aquilo: ac totidem occidentales, Africus, Fauonius, Corus. Atque ita Eurus flat aduerſus Africum, Solanus aduer-*

 ſus

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſiu Fauonium, Aquilo contra Corum. Verùm Fauonius clarus & ſaluberrimus eſt, quem nos à fouendo nominamus, quòd genitalem habeat ſpiritū: à Græcis Zephyrus vocatur, quaſi ζωήν φέρων, hoc eſt, vitam afferens: quemadmodum Auſter nebuloſus & peſtifer, præſertim Romæ, qui à Græcis Notus dicitur, quibus veris humor eſt. Per hunc modum Andronicus Cyrrheſtes oſtendit, vnde certi ventorum flatus ſpirarent, quem nunc vbique gentium ſeruant, poſitis in ſummitate locorū pinnis æneis, per quas ventorū flatus indicetur. At quoniā ventus nihil aliud eſt, niſi aëris fluctus, & idē fluctus pro locorū natura, alius alibi cōcitatur, idcirco factum eſt, vt incolæ in ſuis quiſque regionibus nomina aliquot ventis dederint, cōque ſuos proprios habuerint, vt Scyron Athenienſium, vt Circius Narbonenſis prouinciæ, vt Iapyx Apuliæ ventus eſt, & alij aliarum regionum. Obſeruationes autem ſyderum in nauigando Phœnices adinueniſſe, autor eſt Plinius in VII. Naturalis hiſtoriæ.

## Qui primi geometriam, & arithmeticam inuenerint. CAP. XVIII.

NIlus totius orbis fluuiorū celeberrimus, à ſolſtitio æſtiuo, vſque ad autumnale æquinoctium, vt Herodotus libro II. & Diodorus in primo teſtatur, immenſa aquarum mole

quotan



quotannis totam Aegyptum exundat: ex cuius incremento, Aegyptij vim aut penuriam futurorum frugum præuidēt. Aegyptus enim, cùm Nilus in VII. cubitos excreſcit, famē ſentit: in XIII. etiamnum eſurit: XIIII. cubiti hilaritatem afferunt XV. ſecuritatem, XVI. delicias, quod iuſtum fertur eſſe incremētum: maximum autem, ætate Claudij principis, fuit cubitorum XVIII. ſicut minimum Pharſalico bello, veluti cædem magni Pompeij prodigio quodam auerſante: autores Plinius lib. V. & Strabo XVII. Cum huiuſmodi itaque Nili inundationes limites agrorum confunderent, nunc minuendo, aliâs immutando, nonnunquam delēdo ſigna quædā, quibus propriū ab alieno diſcerneretur, iterū atq; iterū metiri eā terrā oportebat: propter quod Strabo XVII. Geograph. & Herodotus II. aiunt, nonnullos prodidiſſe geometriā ab Aegyptiis primò inuentā eſſe, quēadmodū arithmeticā, id eſt, numeralē ſcientiā à Phœnicibus propter mercaturas. Sed Ioſephus vtrúmque Hebræis attribuere videtur, in primo Antiquitatum ſic ſcribens: Illi nanque cùm eſſent religioſi, cum & eis pabula ad maius tempus exiſterent præparata, tot annorum circulis ritè viuebant: deinde propter virtutes, quas iugiter perſcrutabantur, id eſt, aſtrologiam & geometriam, Deus eis amplius viuendi ſpatium condonauit.

Universidad de Deusto Biblioteca



*nit. Et deinde cùm de Abraham mentionem facit, ſubiicit: Arithmeticam eis quoque contulit, & quæ de Aſtrologia ſunt, ipſe quoque contradidit. nam ante aduentum Abraham in Aegyptum, hæc Aegyptij penitus ignorabant. Artem poſtea, vt M. Tullius autor eſt, Pithagoras multum amplificaſſe dicitur. Geometria, teſte eodem Cicerone de Oratore, verſatur in lineamentis, in formis, in interuallis, in magnitudinibus: quæ ita ſub ſe continet geographiam, quæ ſitum orbis pingit, in qua floruit Strabo tempore Tiberij Cæſaris, & Ptolemæus Traiani & Antonini Imperatorum principatu. Apud nos Plinius abſolutiſſimè de hac re tractauit, & Solinus in collectaneis.*

Quis primus reperit pondera, & menſuras, ac numeros, & de vario apud gentes numerandorum annorum modo. CAP. XIX.

*Videtur omnino locus exigere, vt antequàm hinc digrediamur, quis pondera & menſuras ac numeros repererit, indicemus, cùm præſertim Geometriæ atque Arithmeticæ partes ſint, ſcriptoréſque de hac re non planè inter ſe conſentiant. Eutropius itaque ſtatim in principio primi libri, ſiderum menſuras & pondera eo tempore inueniſſe tradit, quo apud Albanos Procas, apud*

*Iudæos*



*Iudæos Aza, apud Hieroſolymos Hieroboam regnauit. Alij ſecundum Mercurium, ex Creta, Iouis filium comperiſſe volunt. At Plinius lib. VII. in primis hoc Phidoni Argiuo, vel, vt Gellio placet, Palamedi aſſignat. Strabo autem lib. V. Phædonem Elidenſem reperiſſe affirmat. Ex quo ita intelligendum puto, vt alij alijs primum menſuras & pondera inuenerint, velut Diogenes Laërtius libro IX. affirmat, Pithagoram primum adinueniſſe Græcis, & Ioſephus primo Antiquitatum dicit, Cain Adam filium mortalium omnium vt credere conuenit primum, hæc conſtituiſſe. Numerorum autem repertorem ſunt qui dicant Samium Pythagoram: alij non hunc, ſed alium Pythagoram Rhegynum ſculptorem: alij verò Mercurium. Liuius dicit numerum putari inuentum Mineruæ. Modus numerandi annos apud Græcos per Olympiades fuit, qui aut per notas ſuarum literarum numerum notabant. Apud Romanos, primùm per luſtrum, quod quinto quoque anno claudebatur, de quo fuſius lib. proximo, cap. IIII. diximus. Deinde per clauos, qui idcirco annales vocabantur, aut per conſules, id fiebat. Claui enim in pariete ædis Iouis ea parte qua erat tẽplum Mineruæ, in ſingulos annos figebantur, vt per eos numerus annorum colligeretur. Sanè lex priſcis literis ac verbis ſcripta erat, vt qui præ*



*tor*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tor maximus eſſet, idibus Septembris clauum pangeret: nam quia raræ per ea tempora literæ erant, notæ numeri annorum, claui fuere. Mineruæ autem templo ea lex dicata erat, quòd numerus eius deæ inuentum ſit. Volſinij quoque clauos numerorum indices habuere fixos in templo Nortiæ Hetruſcæ deæ. Poſtea Conſules id officium fecere, & poſtremò ſolenne claui figendi ad Dictatores tranſlatum eſt. At more intermiſſo, cùm poſt longum tempus peſtilentia laboraretur, & ſeniorum memoria repetitum foret aliquando eum morbum ſedatum fuiſſe, ob clauum à Dictatore fixum, eius rei cauſa Lucius Manlius Dictator dictus eſt, qui T. Pinnarium magiſtrum equitum dixit. Bella ſcilicet placatio, vel potius puerorum certamen, qui ita ſolent ludere. Ecquid religionis cultúsve in eo pangendo clauo eſſe potuit, qui parietem templi magis aperiebat, quàm claudebat? Sed ea erat illius temporis calamitas, cùm nondum ad Romanos perueniſſet Dei optimi maximi cognitio. Nos ſimiliter his ſeptem literis, C I D L M V X, numerum notamus: vel aliis notis, 1 2 3 4 5 6 7 8 9 ſatis omnibus cognitis, vt nihil ſit, quod reliquas ponamus, earúmve rationem explicemus.

Quis



Quis primus medicinam inuenerit, & in quot ea diuiſa ſit partes, ac apud quos olim non fuerit medicorum vſus. CAP. XX.

MEdicina, quæ ſuis diuinis, vt ita dicam, remedijs haud dubiè mortalibus inter tot morborum vndique erumpentium genera verſantibus, magno vbique præſidio præſtòque eſt, dijs primum inuentores ſuos, nec mehercule iniuria, aſſignauit, & cœlo dicauit: ipſaque ab oraculis deorum multifariam petita eſt. Hanc enim, teſte Diodoro, volunt Mercurium apud Aegyptios primum inueniſſe: ſecundum verò veteres, Apis Aegyptiorum rex reperit, quod alij, autore Plinio libro ſeptimo, Arabo Apollinis & Babylonis filio tribuunt, alij verò ipſi Apollini. Vnde ad Daphnen virginem apud Ouidium libro primo Metamorphoſeos dicit:

Inuentũ medicina meũ eſt, opiferq; per orbẽ
Dicor. Et Oenone apud eundem:
Ipſe repertor opis vaccas pauiſſe Pheræas
Fertur.

Macrobius in primo Saturnalium, huius rei veram reddens rationem, de Apolline ait: Hinc eſt quod eidem attribuitur medendi poteſtas, quia temperatus Solis calor morborum omniũ fuga eſt. Clemẽs autem Aegyptiis omninò adſcribit, eius verò amplificationem Aeſculapio primo Apollinis filio. Meruit & in ea arte laudem ter

Universidad de Deusto
Biblioteca



dem tertius Aeſculapius Arſippi & Arſinoæ filius, qui præter cætera primus, teſte Cicerone de natura deorum dentis euulſionem, ac purgationem aluis inueniſſe fertur. Hanc tamē quiſquis primitus inuenerit, hoc quippe pacto excogitaſſe fertur. Nam cùm homines, vt Fabio Quintiliano placet, ſicut antea diximus, ex obſeruatione rerum, ea quæ ſalubria aut inſalubria viſa ſunt, probè notaſſent, huiuſcemodi artem corpora curādi gratia confecerunt. At qui Cornelius Celſus inuentionem artis ſcienter ponit libro primo ſcribens: Sæpè cauſa apparet, vt puta lippitudinis, vulneris, neque ex his patet medicina: quòd ſi ſcientiam non ſubijcit euidens cauſa, multò minus ea poteſt ſubijcere quæ in dubio eſt. Cùm igitur illa incerta incomprehenſibiliſque ſit, à certis potius & exploratis petendum eſt præſidium, id eſt, ab his quæ in ipſis curationibus experientia docuit, ſicut in cæteris omnibus artibus: nam nec agricolam quidem aut gubernatorem diſputatione, ſed vſu fieri liquet. Ac iſtæ cogitationes nihil ad medicinam pertinent, cùm de his rebus qui diuerſa ſenſerunt, non ab obſcuris cauſis, neque à naturalibus actionibus, ſed ab experimentis, prout cuique reſponderant in perducendo homines in eandem ſanitatem, medendi vias traxerint. Notarunt enim ægrorum qui ſine medicis erant, alios propter auid-



auiditatem, primis diebus cibum protinus ſumpſiſſe, alios propter faſtidium abſtinuiſſe, & leuatum magis morbum eorum qui abſtinuiſſent: itémque alios in ipſa febre aliquid ediſſe, alios paulò ante eam, alios poſt remiſſionem eius, & optimè ijs ceſſiſſe, qui poſt finem febris id feciſſent. Eadem ratione alios inter principia ſtatim vſos eſſe cibo pleniore, alios exiguo, & grauiores eos factos, qui ſe impleuiſſent. Hæc ſimiliáque cùm quotidie inciderent, diligentes homines talia animaduertentes, ad extremum perceperunt quæ ægrotantibus vtilia forent. Sic medicinam ortam inter omnes conſtat. Hæc ille. Poſtea medicina in tres diuiſa eſt partes, vt vna eſſet quæ victu, altera quæ medicamētis, tertia quæ manu mederetur. Primam Διαιτητικὴν, ſecundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν Græci appellant. Ita morbi aut victu, aut medicamentis purgantur, manúve curantur. Huius autē partis, id eſt, Chirurgiæ inuentor dicitur primus Aeſculapius, quē Græci tradunt primū obligaſſe vulnus. Sed medicina, cum nulla artium, vt plinius ait, inconſtantior ſit, & ſæpius mutetur, quia nulla eſt fructuoſior, longo tēpore in nocte denſiſſima delituit, quā omnino perditam, teſte eodem plin. lib. Natural. hiſtor. xxix. Hippocrates genitus in inſula Co, Aeſculapio dicata, in lucem reuocauit: nam cum fuiſſet

fuiſſet mos, vt ait Strabo in VIII. Geograph. liberatos morbis inſcribere in tẽplo eius Dei qui auxiliatus eſſet, quò poſtea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe ea traditur, & ita ex his hanc artem excerpſiſſe, qui, teſte Plin. libro XXXVI. primus medẽdi præcepta longè poſt hominum memoriã clariſſimè condidit. Romæ conſtat primũ ex medicis veniſſe Peloponneſem Archagathũ Lyſaniæ filiũ, L. Aemilio Paulo, M. Liuio COSS. anno vrbis DXXXV. eique ius quiritum datum, & tabernam in compito Acilio emptam. Is primò vulnerarius, inde ob ſecandi vrendíque ſæuitiam, carnifex appellatus fuit: & cùm alij accurrerent Græculi medici, idémque facerent, omnes ſimul cum ſua medicina in tædium venerunt. Quare à M. Catone Cẽſorio reprobati, vrbe & Italia pulſi ſunt, de quibus ipſe Cato ad filium in hunc modum ſcripſit: Dicam de iſtis alio loco Marce fili, quid Athenis exquiſitum habeam, & quid bonum ſit illorum literas aſpicere, non perdiſcere. Vincam nequiſſimum & indocile genus illorum, & hoc puta vatem dixiſſe. Quandocunque iſta gens ſuas literas dabit, omnia corrumpet, tunc etiam magis, ſi medicos ſuos huc mittet. Iurarunt inter ſe, barbaros necare omnes medicina: ſed hoc ipſum mercede faciunt, vt fides his ſit, & facilè diſperdant. Nos quoque dictitant barbaros & ſpurios, nóſque magis



magis quàm alios opicos appellatione fœdãt. Plin. etiam de huiuſmodi carnificibus (ſunt enim & medici periti ſſimi, vnicũ profectò aduerſus tot morborum genera, hominibus ſubſidium) in fronte XXIX. libri ait: Nec dubium eſt, omnes iſtos famam nouitate aliqua aucupãtes, animas ſtatim noſtras negotiari. Hinc illæ circa ægros miſeræ ſententiarum concertationes, nullo idem cenſente, ne videatur acceſſio alterius. Hinc illa infelicis monumentĩ inſcriptio, Turba ſe medicorũ periſſe. Et paulò inferius ſubdit: Nulla præterea lex, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ: diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt, medicoq; tantum hominem occidiſſe, ſumma impunitas eſt, &c. At qui ſapienter Babyloniĵ factitabant, qui, teſte Herodoto lib. I. & Strabone in XVI. Geogra. medicis non vtebantur, ſed ægrotos in forum efferebant, vt viri qui eos adirẽt, conſulerent, hortarentúrque ad ea, quæ ipſi faciendo effugiſſent ſimilem morbum, aut alium noviſſent effugiſſe, nec fas erat quempiam ægrotum ſilentio præterire. Idem factitabant Baſtetani homines montani, qui id Hiſpaniæ latus incolunt, quod ad Aquilonem ſpectat, & Aegyptĳ. Ex quo Strabo lib. III. Geograph. cùm de Luſitanis meminit, Baſtetani, inquit, ægrotos vetuſto ritu Aegyptiorum, in plateis deponunt, vt qui

*vt qui eo morbi genere tentati ſunt, communeſacere eos valeant. Quanquam non eundem ſemper ritum Aegyptijs fuiſſe, Herodotus docet lib. II. ita ſcribens: Iam verò medicina apud eos hunc in modum diſtributa eſt, vt ſingulorum morborum ſinguli ſint medici, non plurium. Itaque omnia referta ſunt medicis: alij enim ſunt oculis curandis conſtituti, alij capiti, alij dentibus, alij alui partibus, alij morbis occultis. In medicina verò deinde quàm plurimi floruerunt, & in ijs Caſſius Calpitanus, Aruncius Rubrius, Antonius Muſa Auguſto Cæſari chariſſ. Galenus tempore Antonini pij, & non longè poſt Auicenna.*

### De herbariæ & medicamentariæ, atque melleæ medicinæ inuentoribus, & quæ homines ab animalibus remedia didicerint.

### CAPVT XXI.

*NOn dubium eſt, quin natura herbas aut ſalutis, aut voluptatis gratia, vt multis conſtat exemplis, genuerit: nam Xanthus hiſtoriarum autor, teſte Plinio libro XXV. tradit occiſum draconis catulum reuocatum ad vitam à parente, herba, quam Balin vocant. Picus itidem auis, adactum eius cauernis cuneum, admota quadam herba, exiiire cogit. Quinimò Indorum quidam, ait Herodotus libro II. herba tantùm victitant. Appianus etiam Alexand. ſcribit, Parthos ab Antonio fugatos, cùm fame premerentur, in quandam herbam*



*herbam incidiſſe, quam qui comederent, nihil aliarum rerum reminiſcerentur, aut intelligerent, niſi quòd lapides continuè effoderent, quaſi quidpiam magni operis facturi, & ſic debacchari bilem demũ euomentes interirent. Quid demum plura? nihil non herbarum vi effici poſſet, ſi plurimarum vires non ignorarentur. Hæc itaque, teſte Plinio, erat antiqua medicina, cuius, idem teſtis in VII. repertor fuit Chiron Centaurorum iuſtiſſimus, Saturni ex Phyllira filius, qui & medicamentariam medicinam ad vulnera aut vlcera & huiuſmodi curanda inuenit, quam tamen alij Apollini aſſignãt. Ex quo ipſe apud Ouidiũ dicit,*

*-Herbarum ſubiecta potentia nobis.*

*Alij verò Aeſculapio eius filio, quem Ouidius in II. Metamorph. dicit medicinã hanc à Chirone didiciſſe, cùm illi nutriendum Apollo pater tradidiſſet. Alij demum Samothracum filijs, teſte Euſebio, adſcribũt. Verùm Chironẽ ideo fortaſſe dixerunt hanc primum cõperiſſe, quia, vt Plin. ait lib. XXV. cap. IIII. herbam Centauream reperit, qua, ſicut idem teſtatur, curatus dicitur à vulnere pedis inflicto ex lapſu improuiſo ſagittæ Herculis ex ſuis manibus, illitæ veneno hydræ. Nam Chiron cùm attrectaret arma Herculis, quem receperat hoſpitio, ſagitta in eius pedem decidit. Ouidius in quinto Faſtorum:*



Universidad de Deusto Biblioteca

Dúmque ſenex tractat ſqualentia tela venenis,
Excidit, & leuo fixa ſagitta pede.

Ouidius tamen eum ex hoc vulnere periſſe ſentit, ita ſcribens:

Nona dies aderat, cùm tu iuſtiſsime Chiron,
Bis ſeptem ſtellis corpore cinctus eras.

At medicamentorum, quibus morbi curantur, vſum Celſus in principio libri quinti dicit antiquiſſimum eſſe: autorem tamẽ non ponit, ſed tradit Aſclepiadem medicum peritiſsimum magna ex parte eum vſum ſuſtuliſſe, quòd omnia medicamina & mali ſucci ſint, & ſtomachum lædant: & definit omnes medicinæ partes ita innexas eſſe, vt ſeparari nequeant, at ideo medicinam quæ victu curat, aliquando adhibere medicamentum, & eam quæ medicaminibus purgat, adhibere rationem victus, atque hoc pacto ſanitatem aut conſeruari, amiſſámve recuperari. Ad herbas reuertor. Et ſic alij alias herbas inuenerunt, vt Mercurius moly, Achilles achilleam, Aeſculapius panacem, compluréſque alias, quod admodum longum eſſet, minimèque neceſſarium perſequi, cùm præſertim Plinius illud ipſum diſertiſsimè prodat. Medicinam verò ex melle, teſte Plinio, Sol Occeani filius inuenit. Animalia præterea quædam (mirum quàm multa à be-





ſtijs homo didicerit) nonnullas herbas atque remedia commonſtrarunt, quæ homini poſtea vſui forent: nam dictamum herbam ad extrahendas ſagittas vtilem, cerui hominibus monſtrauere, percuſſi eo telo, paſtúque eius herbæ eiecto: id quod Cicero in ſecundo de natura deorum feris capris adſcribit. Idem cerui percuſsi à phalangio, quod eſt aranei genus, aut aliquod ſimile, cancros edendo ſibi medentur. Chelidoniam viſui ſaluberrimam hirundines docuere, vexatis pullorum oculis illa medentes: id quod Cornelius Celſus libro VI. naturæ eius auis, non herbæ aſsignat, ita ſcribens: Si extrinſecus ictus oculum lædat, vt ſanguis in eo ſuffundatur, nihil commodius eſt, quàm ſanguine vel columbæ, vel palumbi, vel hirundinis inungere. Neque id ſine cauſa fit, cùm horum acies extrinſecus læſa, interpoſito tempore in antiquum ſtatum redeat, celerrimèque hirundinis. Vnde etiam locus fabulæ factus eſt, per parentes id herba reſtitui, quod per ſe ſaneſcit. Teſtudo cunilæ, quam bubulam vocant, paſtu, vires contra ſerpentes refouet. Hedera apri in morbis ſibi medentur. Ab hippopotamo, id eſt, ab equo quaſi fluuiatili (eſt enim animal in Nilo) medici mittere in morbis ſanguinem, quod phlebotomare vocant, didicerunt: aſsidua namque is ſatietate grauedinoſus factus exit in littus,

Universidad de Deusto Biblioteca



recentes harundinum cæſuras perſpeculaturus, atque vbi acutiſſimum videt ſtipitem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atq; ita profluuio ſanguinis morbidum corpus exonerat, plagam verò rurſus limo obducit. Simile quiddam & auis in eadem Aegypto monſtrauit, quæ vocatur Ibis, ciconiæ ferè ſimilis, & ipſa quoque ſerpentum pernicies. Hæc roſtri aduncitate per eam partem ſe perluit, qua reddi ciborum onera cõſueuere. Hinc clyſteris vſum medici primùm didicerunt. Muſtela in anguium venatu ruta ſibi ſalutẽ quærit, Ciconia origano. De herbis autem primus omnium quos memoria nouit, Orpheus accuratiſſimè ſcripſit: poſt eum Muſæus, etſi per idem temporis fuiſſe dicuntur, necnon & Dioſcorides. Apud nos primùm M. Cato, deinde Pompeius Lenæus Magni Pompeij libertus, qui exemplaria Mithridatis Regis de vi herbarũ, iuſſu Magni Pompeij, omnia, regia præda potiti, in noſtrum ſermonem tranſtulit. Quo primùm tempore Plinius ſe animaduertiſſe ait hanc ſcientiam ad Romanos perueniſſe.

### Quis primus magicam artem inuenerit, & à quibus celebrata: & quis modum effugandi dæmones, aut incantationes ediderit quibus morbi ſedarentur. CAP. XXII.

Exigit locus, vt de origine magicæ artis prius dicatur, quàm libri finem facia-





mus, quandoquidem natam primùm à medicina nemo dubitat. Hæc itaque à Zoroaſtre in Perſide, autore Plin. lib. XXX. vt inter autores conuenit, ortum habuiſſe fertur. Iuſtinus in principio ſuæ epitomes, hunc Zoroaſtrem, qui magicam artem reperit, Bactrianorum regem fuiſſe dicit, qui, teſte Euſebio de Temporibus, & in X. de præparat. euangel. plus DCCC. ferè annis ante Troiana tempora fuit, quo etiam tempore Abraham & Ninus fuerunt, cùm ageretur annus ab orbe condito, ter milleſimus ac CLXXXV. At annos deinde poſt DCCC. & circiter XV. Troia à Græcis capta eſt, qui fuit annus orbis conditi quater milleſimus. Lactantius autem & Euſebius, malos dæmones hanc ſimul cum cæteris improbis artibus inueniſſe tradunt: quam omnium artium fraudulentiſſimam Plinius eſſe aſſerit, miratúrque, quo modo multis ſeculis in toto terrarum orbe valuerit: atque id ob eam cauſam eueniſſe putat, quòd ſola artium treis alias imperioſiſſimas humanæ mentis complexa, in ſe vnam redegerit. Quippe à medicina primò, vt dictum eſt, manauit, ac ſpecie ſalutari irrepſit ſanctior quàm medicina: ita deſideratiſſimis promiſſis addidit vires religionis, ad quam maximè alligantur hominum mentes: poſt hæc miſcuit mathematicas artes, nullo non auido de ſe futura ſcien-

Universidad de Deusto Biblioteca



di, atque ea è cœlo veriſsimè peti credente. Ita poſſeſsis hominum ſenſibus, triplici vinculo eò vſque adoleuit, vt in magna humanarum gentium parte plurimum valuerit, magnámque vim, vti poëtæ teſtimonio ſunt, ſemper habuerit. Nam Vergilius in Damone de Circe ait:

Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſsis.

Et quemadmodum fruges aliò pellicentur, Idem:

Atque ſatas aliò vidi traducere meſſes.

Quinetiam elementa quoque concuti, & mentes hominum turbari, & ſine vllo veneni hauſtu ſola carminis violentia homines interimi putarunt. Maro.

Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunã.

Item:

Frigidus in pratis cãtãdo rũpitur anguis.

Et Ouidius de ſine titulo:

Carmine læſa Ceres ſterilem vaneſcit in herbam,
Deficiunt læſi carmine fontis aquæ.

Lucanus:

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Incantata perit.

Huius autem veneficij, quamuis per totum orbem terrarum peruaſerit, Lucano in ſexto Pharſaliæ, & Apuleio de Magia libro primo & ſecundo, & Plinio in XXX. autoribus

Theſſal



Theſſaliam inprimis infamia flagraſſe conſtat. Extabant etiã ætate Plinij, vt ipſe teſtis eſt, eius veſtigia apud Italicas gentes in XII. tabulis. Circe etiã Circeum montẽ habitans iuxta Caietam, ex ea arte mirandos oſtendit euentus. Ac tale eſt magiæ inuentũ. De hac quis ſcripſerit, non planè compertum habemus. Plinius libro triceſimo dicit Hoſtanem de ea primùm cõmentatum eſſe, atq; Pythagoram, Empedoclem, Democritũ, & Platonem, ad hanc diſcendã nauigaſſe, hanc reuerſos prædicaſſe, & in arcanis habuiſſe, ſed præſertim Democritũ: vnde magiam Democrito, medicinam eadẽ ætate, Hippocrate illuſtrante, floruiſſe approbat, circiter CCC. vrbis annum. Idẽ Plinius in hac parte longè poſt homines natos haud modeſtiſsimus: Eſt & alia, inquit, magices factio, à Moſe etiamnum & Iochabel Iudæis pendens. Fuit autem Iochabel ipſius Moſis mater. Cæterùm ex Plinij ore piaculũ illud idcirco, vt arbitror, temerè prodijt, quoniã cùm Deus ſigna quædam edidiſſet, quibus Hebraicus populus facilè crederet, Moſen ſibi ab ipſo ducem eſſe conſtitutũ, rex Pharao (ſic enim Aegyptij patria lingua, teſte Ioſepho in octauo Antiquitatũ, regem nominant) hæc tanquam vana deridẽs, iuſsit Aegyptiorum ſacerdotes eadẽ facere, qui ſtatim virgas in draconem verterunt. At Moſes

 vt

vt humanis diuina multò maiora eſſe demonſtraret, virgã in terram proiecit, quæ in colubrum verſa, Aegyptiorum virgas in draconẽ tranſlatas repentè vorauit. Autor Ioſephus in ſecundo de Iudæorum Antiquitatibus, & Euſebius libro nono de præparatione Euangelica. Cùm Moſes igitur hæc & plura alia diuinitus ageret, homines qui magis falſis quàm veris inhærent, magica arte fieri putabãt. Modum autem effugandi dæmones, quibus ſæpè corpora humana vexantur, & incantationes, quibus morbi ſedari ſolent, Salomon rex primus docuit, dicente Ioſepho in octauo Antiquitatum: præſtitit autem Deus etiã ei, vt cõtra dæmones, artẽ ad vtilitatem hominũ diſceret, & incãtationes inſtituit, quibus ægritudines ſoleant mitigari: modũ etiã coniurationum, quibus obſtricti dæmones ne denuò redeant, effugantur, inuenit. Et quonã pacto huiuſmodi dæmones expellerentur, perſpicuè demonſtrat: Vidi etenim, inquit, quendam Eleazarum de gente noſtra, præſente Veſpaſiano, & eius filiis, & tribunis, aliòque ſimul exercitu, curantẽ eos qui à dæmonibus vexabantur. Modus autẽ medicinæ fuit huiuſmodi: Intulit naribus eius qui à dæmone vexabatur, annulum habentẽ ſubter ſignaculũ radicem à Salomone monſtratã, deinde dæmonem per nares odorantis abſtraxit, & repentè





cecidit homo, poſtea coniurauit eum, iuramentum obiiciens Salomonis, ne ad eũ denuò remearet, id eſt, cantica, quæ ille cõpoſuit, ſuper eum dicenda volẽs, &c. Hodie etiã ſacerdotes noſtri, vti videmus, ſacris quibuſdam verbis dæmones ex humanis corporibus exire cogũt, & quibus benedicunt ægrotis, ij vt plurimum bellè habent. Quam ſanè poteſtatẽ CHRISTVS ſeruator noſter apoſtolis dedit, cùm apud Marcum euãgeliſtam dixit: Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autẽ eos qui crediderint, hæc ſequentur: Per nomen meũ dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, & ſi quid mortiferum biberint, non nocebit eis. Super ægrotos manus imponent, & benè habebunt. Hæc autem mihi hoc loco potiſſimum commemorare placuit, quò legentes facilè intelligerent, diuina verba longè quàm dæmones aut artem magicam, vim maiorem habere.

### De origine necromantiæ, pyromantiæ, aëromantiæ, hydromantiæ, geomantiæ, & chiromantiæ. CAP. XXIII.

MAgi, qui Perſica lingua ſapientes appellantur, apud Perſas potiſſimũ, teſte Laërtio, deorũ cultui vacabant, precando illis vota & ſacrificia faciebãt, de eorũ ſubſtãtia,

Universidad de Deusto Biblioteca



id eſt, vi ac natura, & genealogia diſſerẽtẽ, vitam in primis frugaliter viuẽtes. Sed vſque eò aucta eſt eorũ vanitas, vt nõ ſolùm obſeruatione ſyderũ futura prædicere, verùm artibus quibuſdam veritatis vmbras habentibus, & rerum ac verborũ maleficijs, & ſcire ſe omnia & facere poſſe profiterẽtur. Ab his igitur ſex magices artis ſpecies fluxerunt, necromantia, pyromãtia, aëromãtia, hydromantia, geomantia, atque chiromãtia: quãuis M. Varro lib. VII. Diuinarum rerum, illas priores quatuor tãtùm aſſignauerit. Eſt autẽ necromantia, diuinatio per cadauera, vt mortuus apud Luca. in ſexto ſuſcitatus, euentum belli pharſalici Sexto Pompeio prædixit. Pyromantiam vocãt, quæ per ignẽ diuinatur, dum inſpicimus, quid fulgur, quid fulmen, quid ve ignea vis ſignificet, vt Tanaquil Tarquinij Priſci regis vxor, teſte Liuio ab vrbe condita, & Dionyſio in IIII. vidẽs flammã lambere Seruij Tullij caput, illũ Romanorũ regem fore prædixit. Aëromãtia diuinatio per aërem, vt puta per auium volatũ, geſtum, cantũ, ac ventorum grandinúmque inſuetas procellas: vt ferrum ſicut ait Plin. lib. II. quo in Lucanis pluit, ſignificauit M. Craſſi in Parthis interitum: veluti quoque lapides, quibus, autore Liuio in I. de ſecundo bello Punico, in Piceno pluiſſe nunciatũ fuit, ſtrages illas indicarũt,

quas



quas Annibal Italiæ intulit. Hydromantia, ex aqua, quemadmodũ Varro prodidit, puerũ vidiſſe in aqua effigiẽ Mercurij, quæ CL. verſibus omnem Mithridatici belli pronuntiauit euentum. Geomantia, diuinatio per terrarum hiatus. Chiromantia, diuinatio per linearum manuum inſpectionem. Iuuenalis ſatyra VI. Frontémque manúmque præbebit vati. Quæ omnia ſuperſtitioſa ſunt, atque omnino ridicula: nam illis qui ea exercent, egeſtas ſemper imperat, qui, vt M. Tullius lib. I de Diuinatione prope finem, ait, ſibi ſemitã nõ ſapiunt, alijs monſtrant viã, quibus diuitias pollicentur, ab ijs drachmas ipſi petunt. Hos igitur tanquam maleficæ ſuperſtitionis homines omnia corrumpentes, omnia inquinantes, ac propterea dignos qui malè ſemper audiant, declinemus, ac potius inſectemur, vt vera ſanctáque religione imbutos decet.

## De duobus diuinandi generibus, & de origine aruſpicinæ artis, & ſortium Prænestinarum, & quis ſomniorum interpretationem docuerit. CAP. XXIIII.

DVo ſunt, autore Cicerone de Diuinatione volumine primo, diuinandi genera, quorum vnũ naturæ eſt, alterũ artis. Eſt autẽ natura in ijs, qui non ratione, aut coniectura obſeruatis ac notatis ſignis, ſed concitatione quadã animi, aut ſoluto liberóq; motu futura

præſentiunt:

præſentiunt: quod & ſomniantibus ſæpe contingit, & nõnunquam vaticinãtibus per furorem, vt accidiſſe legimus ſibyllæ Erythrææ, & ſacerdotibus nonnullis: cuius generis oracula etiã habenda erant, qualia fuerũt oracula Apollinis, aut Ammonis, aut reliquorũ, in quibus homines crebrò illudebantur, veluti quæ arte dæmonũ, humanáq; fraude reddebantur. Verùm prophetæ, qui diuino ſpiritu, nõ furore lymphatico afflati erãt, nunquam fallebãt. Ars verò in iis eſt, qui nouas res coniectura perſequuntur, & veteres obſeruatione didicerunt: quæ apud priſcos habuit aruſpicinã, auguria, aſtrologiã, & ſortes. Aruſpicina, teſte M. Tullio lib. I de Diuinatione, apud Hetruſcos, vt illi futiliter prædicabãt, primũ ortũ habuit: nã, vt idẽ in II. de Diuinatione ait, aranti cuidã in agro Tarquinienſi, & ſulcum altius imprimenti, ſubitò è terra extitit quidam, qui Tages appellatus, facie quidẽ puerili, ſed ſenili prudentia, à quo vniuerſa Hetruria aruſpicinã edocta eſt, quæ ab ara & inſpiciendo ſibi nomẽ vindicauit. Sed Plin. li. VII. aruſpiciũ inuentionẽ cuidam Delpho tribuit, ſicut ignispiciũ Amphiarao. Hæc autẽ continet in ſe exta, fulgura & oſtenta: mactata enim hoſtia ad aram, eáque aperta, quomodo cor, hepar, & reliqua exta ſeſe haberẽt, inſpiciebãt, ex eorúmq; habitu atq; colore futura

coniectabant:



coniectabant: vt, quo die primùm in ſella aurea ſedit Cæſar, in boue quem immolauit, cor non apparuit. Cicero & Appianus Alexandrinus libro II. de bellis ciuilibus autores. Ex quo futuram infelicitatem prædixerunt aruſpices. Oſtẽta autem ſunt, quæ præter naturam euenientia, futurum aliquid ſignificant: vt cùm in exercitu Xerxis, autore Hedoto, libro Hiſtoriarum VII. in Europam traiecto, equa bellicoſiſſimum animal, leporem timidiſſimam ferã peperit: quod fertur portendiſſe tantum exercitum fugam moliturum. Hæc verò, vt Cicero inquit, quia oſtendunt, portendũt, monſtrant, prædicunt, oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur. Tertia pars aruſpicinæ in fulmine, & in fulgure, & tonitru conſiſtit. Vergil.

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Hæc omnia ſub aruſpicina ſunt, nam idem Cicer. ait: Sed quoniam de extis & de fulguribus ſatis eſt diſputatum, oſtenta reſtant, vt tota aruſpicina ſit pertractata. Atque hæc eſt aruſpicina, quam qui exercent, tum aruſpices, tum extiſpices nuncupantur. In ſecunda autem parte eius diuinationis, quæ eſt artis, auſpicia, ſiue auguria ponuntur. Auſpicia quæ ab auibus inſpiciendis, ſicut auguria ab auium guſtu, vel garritu dicuntur,

Tireſiam

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



Tireſiam Thebanum inueniſſe, Plinius in VII. autor eſt. Auguria verò idem teſtis, ex auibus Caras, à quo Caria dicta eſt, reperit: ex cæteris verò animalibus adiecit Orpheus. Verùm huiuſcemodi augurandi artem quidam à Chaldeis ad Græcos, apud quos Amphiaraus, Mopſus, Chalchas, ſummi augures fuerunt, à Græcis ad Hetruſcos, ab Hetruſcis ad Latinos veniſſe volunt. In auibus autem tria erant diuinandi genera: aliæ enim aues volatu, vt præpetes, quarum volatum Phryges, teſte Clemente, primi obſeruauerunt: aliæ cantu, vt oſcines: aliæ guſtu futura prædicebant. Tertium genus ex tripudio ſoliſtimo futura indicabat. Porrò ſoliſtima tripudia dicebãtur auguria, quæ fiebant quoties oſſa, quæ pullis dabatur, aliquo modo cadebat in ſolum, ac ita à ſolo ſoliſtimum vocamus. Sed hæc augurandi ars quanti facienda ſit, Moſſolamus Iudæus, vir equidem ſapientiſſimus, perſpicuè demonſtrauit. Is enim ſicut Ioſephus in primo Antiquitatum contra Appionem, ex Hecatæo tradit, cùm in bello eſſet, & vates quidam dum iter facerent, ſtatim iuſſiſſet omnes eatenus conſiſtere quoad ex aue, quæ in proximo erat, augurium ageret, tacitus ſumpto raptim arcu, ac emiſſis ſagittis, auem interemit: ac vati & nonnullis aliis id iniquo animo ferentibus,

Quid



Quid furitis, inquit, mali dæmones? hæc enim auis ſuæ ipſius ſalutis neſciens, noſtri itineris euentum nobis potuit prædicere? ſi enim præſcire futura potuiſſet, in hunc locum nequaquam veniſſet, metuens vt ſagittis à Moſſolamo Iudæo peteretur. Cæterùm hæc quantum olim apud omnes ferè gentes autoritatis haberet, multis in locis teſtatur Cicero de Diuinatione, præſertim in primo ſcribens: Quis rex vnquam fuit, quis populus, qui non vteretur prædictione diuina, neque ſolum in pace, ſed in bello? & reliqua. Sed Romani in primis vſi ſunt, eodem dicente: Omitto noſtros, qui nihil in bello ſine extis agunt, nihil ſine auſpiciis domi habent. hæc ille. Apud eos inſuper, vt Liuius, Dionyſius, & Feneſtella teſtimonio ſunt, ſumma religione augurum collegium colebatur, quorum ius in Romana republica Cicero in ſecundo de Legibus, maximum & præſtantiſſimum appellat. Quid, quod augur, vt ait Plutarchus in Problematis, ob nullum maleficium ſacerdotio priuabatur? quia non honoris & magiſtratus, ſed ſcientiæ & artis nomen eſt augur. Diuinabant etiam per ſortes, quas in Latio Numerius Suffuſius, teſte M. Tullio in ſecundo de Diuinatione, primus inuenit, apud Prœneſtinos, ſculptas in robore literarũ priſcarum notis, quæ fortunæ monitu, pueri manu

miſcebantur,

Universidad de Deusto
Biblioteca



*miſcebantur atque ducebantur, de quibus etiam Tranquillus in Tiberio meminit. Somniorum interpretationem, autore Plinio in ſeptimo, Amphictyon primus docuit, quod Trogus Ioſeph Iacob filio attribuit, quem omnino peritiſſimè ſomnia eſſe interpretatum Ioſephus in ſecundo Antiquitatum itidem affirmat. Clemens verò Telmeſſinis aſſignat. Sed hæc omnia fallaciis inuenta ſunt, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem, vel ad quæſtum, quando homines qui hæc profitentur, tantũ abeſt vt vlla in parte prodeſſe queant, vt etiam maximè noceant: nam, ſicut Phauorinus, teſte Gellio lib. noctium Atticarum decimoquarto dicebat, ſi dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies, fruſtra expectando: ſin aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies, fruſtra timendo. Si verò non proſpera reſpondent, iam inde ex animo miſer fies, antequam fato fias: ſin felicia ventura omnino promittunt, expectatio ſpei te adeò ſuſpenſum fatigabit, vt omnem futurum gaudiũ fructũ ſpes ipſa tibi ademerit. Præterea ecquid iuuat, aut quid affert ad cauendum, ſcire aliquid futurum, cùm id certè futurum ſit, cùm tamen nullo modo prænoſci poſſit? Vergilius:*

*Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ.*

*Quapropter Moſes ille ſapientiſſimus, iſtiuſmodi*



*modi peſtiferas artes populo ſuo vetuit mãdãs ac dicẽs: Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia, nõ declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini. Et per illud primum diuinæ legis præceptum, Vnum verum Deũ colito, iuxtà prohibuit eaſdem, imò Deus ipſe. Quæ omnia & ſeruator noſter* CHRISTVS *procul nobis eſſe voluit, cùm dixit, Serua mandata. Sed hæc alibi, cùm de re Chriſtiana agetur.*

LIBRI PRIMI FINIS.

i

Universidad de Deusto Biblioteca

# POLYDORI VERGIL. VRBINATIS DE INVENTORIBVS RERVM

## LIBER II.

De Iuris ac legum origine, & qui primi mortalibus leges dederint, & quæ cauſa à principio dandi fuerit. CAPVT I.

QVANQVAM disciplinarũ liberalium originem primo tantùm libro complecti, deinde autem in reliquis aliarum rerum inuentionem tradere ſtatueram, rei tamẽ magnitudo fecit, vt multò ſanè quàm volebam, longior eſſem. In hoc itaq; ſecundo libro de Iuris primũ atq; legis origine commodè dicã. IVS, vt Paulo Iuriſconſulto placet, vno modo bonum ſemper dicitur. Lege verò nihil aptius eſt ad conditionem humanæ naturæ, dũmodò, vt Cicero vult in tertio de Legibus, pro imperio capiatur, ſine ea enim nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominũ vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt: nam & hæc Deo paret, & huic obediunt maria, terræque & hominum vita



vita iuſſu ſupremæ legis obtemperat. Eſt itidem lex, vt Chryſippus definit, diuinarum humanarúmque rerum notitia, item recti iuſſio, prauique depulſio, donum Dei, dogma hominum ſapientum, de qua mox dicemus. Ius autem, quamuis plurimis modis dicatur, Vlpianus diuidit in naturale, gentium, & ciuile. Naturale appellat, quod non ſolùm humani generis proprium eſt, ſed omnium quæ in terra, quæ in mari, cœlóque naſcuntur: nam in nonnullis animalibus videmus maris & fœminæ coniunctionem, liberorum procreationem, educationémque quodam iure naturæ, quod, teſte M. Tullio in primo de Legibus, in natura poſitum eſt, & ab ea, hoc eſt, à Deo initium habet. Ius gentium, quo ſolùm homines vtuntur. Ciuile, vt Romanorum, Spartanorum Athenienſium, quod legibus, interpretatione duodecim tabularum, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, decretis principum, & autoritate prudentum conſtat. Principiis verò legis non ſcriptæ, ſed in natura poſitæ, ex qua homines deinde leges condiderunt, quæ origo ſit, & quid ipſa ſit, Cicero in ſecũdo de Legibus facilè declarat, cuius ideò verba ponam. Hanc igitur, inquit, video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod vniuerſum mundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

regeret, imperandi prohibendique ſapientia.
Ita principem legem illam & vltimam men-
tem eſſe dicebant, omnia ratione aut cogentis,
aut vetantis Dei. Ex quo illa lex, quam dij
humano generi dederunt, rectè eſt laudata,
eſt enim ratio ménsque ſapientis, ad iuben-
dum, & ad detrahendum idonea. Et in-
frà ſubdit: Orta eſt autem ſimul cum mente di-
uina. Quamobrē lex vera atq; princeps, apta
ad iubendum, & ad vetandum, ratio eſt recta
ſummi Iouis. Deinde ſuggerit ita cõcludens:
Eſt ergo lex iuſtorum iniuſtorúmque diſtin-
ctio ad illam antiquiſſimam & rerum omniū
principem expreſſa naturam, ad quam leges
hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos
afficiunt, & defendant & tuentur bonos. Hu-
iuſcemodi ergo legum originem hoc loco pro-
dendam cenſeo. Has itaque leges mortalibus
omnium prima dedit Ceres. Ouidius in v. Me-
tamorphoſ.

Prima dedit leges, Cereris ſunt oīa munus.
Diodorus itidem lib. ſexto, ait: Nam præter ab
ea repertum frumentum, leges dedit, quibus iu-
ſtè piéque homines viuere aſſueſcerent, ex quo
& legiſferam dixerunt. Herodotus etiam in
ſexto, inquit: Cùm in agrum Epheſium ingreſ-
ſi eſſent, ſub noctem ad vrbem contendebant,
cùm illic à mulieribus ſacra legiferæ Cereri
fierent. Et Vergilius in quarto Aeneid.

Mact-



-Mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri.

Idem ſentit Plin. lib. VII. Ceterùm vt alij vo-
lunt, Rhadamanthus primus edidit, poſtea alij
alijs primò leges tulerũt. Draco enim primus
dedit Athenienſibus, deinde Solon: Aegyptiis
Quintus Mercurius, aut Aethiopes, quorum ip-
ſi Aegyptij coloni dicuntur. Minos Cretenſi-
bus, Lycurgus Lacedemoniis, Tyriis Charan-
des, Phoroneus Argiuis, Romulus Romanis,
Italis Pythagoras, vti Dionyſio placet, Arca-
des, ipſis vero Arcadibus Apollo quartus. Sed
ne veri Dei erga nos diuini muneris immemo-
res videamur, ipſi primum hanc rectè beatéq;
viuendi normam, ſicuti cætera omnia, acceptā
referre debemus: quod nec Ciceronem etiam
tam propè, vt monſtratum eſt, duce natura
ad verum accedentem latuiſſet, ſi vllam veri
Dei vnquam cognitionem habuiſſet: Deus
enim autore Ioſepho lib. III. Antiquitatum,
leges quas deinde hominibus conſtitutas vo-
lebat, primò Moſi tradidit, qui deinde pri-
mus legiſlatorum omnium quos commemora-
uimus, quippe quibus, teſte Euſebio, longè
ætate ſuperior fuit, eas Hebræis dedit. Teſtis
idem Ioſephus contra Appionem: Dico igitur
noſtrum legiſlatorem quemlibet qui memorā-
tur legiſlatorum, antiquitate præcedere: Li-
curgus enim & Solon & Zaleucus Locrenus,



&

& omnes qui apud Græcos mirabiles ſunt, no
uelli atque recentes, quantum ad illum compa
rati, eſſe noſcuntur, quando nec ipſum no-
mẽ legis fuiſſe olim apud Græcos agnoſcitur:
teſtis Homerus eſt, qui nuſquam in opere ſuo
hoc vſus eſt nomine. Et paulò inferius addit:
Nam cùm ſit tempus infinitũ, ſi quis eum com-
paret aliorum legiſlatorum ætatibus, hunc vl-
tra omnes inueniet. Euſebius quoque in x. de
præparat. Euang. Moſen multò ante Cererem,
quæ fertur prima, vt diximus, leges edidiſſe,
fuiſſe teſtatur. A Deo igitur, quem Cicero Io-
uem vocitat, lex originem habet, & eam mor-
talium omnium primus Moſes Hebræis conſti-
tuit, quæ cæteris deinceps hominibus conden-
darum legũ haud dubiè exemplar fuit. Ac ta-
lis iuris atque legum origo. Verùm hoc loco il
lud diſputandum videtur, quid fuerit, quam-
obrem lex iſta ſcripta non perinde vt altera
bona, poſtremò lata ſit, quæ, vt Apoſtolus Pau
lus ait, iram operatur, & ſexcentis pœnis mor
tales obligat. Cõtrà illa prior lex quæ nõ ſcri-
bitur, ſed naſcitur ac profluuio quodam natu-
ræ fonte in humanum ingenium à primo fluit:
ſine fraude, ſine dolo, eſt, particeps iuſtitiæ, ex-
pers iniquitatis. Quapropter è re noſtra mi-
nus fuiſſe videtur, vt altera introducta ſit,
quæ nobis malo eſt. Proinde operæpretium eſt
de origine iſtius legis ſubtilius tractare, &
quia



quia diuus Ambroſius epiſtola LXXI. ad Ire-
neum, illud planè facit, cum ideo ita dicentem
attendamus: Certum eſt, inquit, non fuiſſe le-
gem neceſſariam, quæ per Moſen data eſt: nam
ſi naturalem legem, quam Deus creator infu-
dit ſingulorum pectoribus, homines ſeruare po
tuiſſent, non fuiſſet opus ea lege, quæ innoda-
uit magis quàm ſoluit humani generis infir-
mitatem. Soluit eam naturæ legem Adam, qui
voluit ſibi arrogare, quod non acceperat, vt eſ
ſet ſicut eius creator, qui ita per inobedientiã,
contraxit offenſam: nam ſi non rupiſſet impe-
rium, prærogatiuam naturæ atque ingenitæ
ſibi innocentiæ, heredibus propriis reſeruaſſet.
Ergo quia lex violata eſt, ideo præſcriptum no
uæ legis neceſſarium fuit, vt vel partem habe
ret, qui totum amiſerat. Simul quia cauſa de
iectionis ſuperbia fuit, debuit ea lex dari, quæ
eum Deo ſubiectum redderet: nam ſine iſta le
ge peccatum neſciebatur, & minor erat cul-
pa, vbi erat culpæ ignorantia. Vnde Domi-
nus ait: Si non veniſſem, & locutus nõ fuiſ-
ſem eis, peccatum non haberent: nunc autem
excuſationem non habent. Lata eſt ergo lex,
primùm, vt excuſatio tolleretur, cùm præſcri-
ptum antè non eſſet, quod pro ſe quiſque ca-
ueret: deinde vt omnes ſubiicerentur Deo.
Sed dices: Lex auxit peccatum: cœpit mihi ob
eſſe ſcire. Verùm dicis: eſt tamen quod con-
ſolari

Universidad de Deusto Biblioteca

ſolari poteſt tuam ſolicitudinem: quia ſi per
legem abundauit peccatum, per eandem abun
dauit & gratia, per IESVM CHRISTVM:
ſicut teſtificatus eſt Ioannes, dicens. Ecce
agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.
Habes igitur legem non neceſſariam fuiſſe, ſi
illam naturalegem ſeruare potuiſſemus: ſed
quia non ſeruauimus, idcirco iſta lex per Mo-
ſem data, facta eſt neceſſaria, vt doceret nos
obedientiam, & transgreſſionis Adam ſolue-
ret laqueum, qui totam aſtrinxit hæreditatẽ,
&c. Cæterùm extra tripartitam illam iuris di
uiſionem, quam Vlpianus fecit, habemus in
noſtra religione ius pontificium, in quo multi
cùm memoria noſtra excellunt, tum antea cla
ruerunt, qui olim non ſine honoris præfatione
nominabantur, & in primis Theſeus Pinnius
auunculus meus, quem nemo aut nimis valde
vnquam, aut nimis ſæpe laudauerit. Fuit
enim vir pontificij pariter atque ciuilis iuris
peritiſſimus, qui in præclariſſimis Italiæ ciui-
tatibus maximis honoribus functus, vbique
ſummæ iuſtitiæ virtutiſque omnis ſe ſpeci-
men præſtitit: à quo profectò haud lõgè abeſt
Petrus Matthæus eius frater, Iuriſconſultiſ-
ſimorum conſultiſſimus.

Qui



### Qui regiam vel popularem ciuitatẽ prin cipiò inſtituerint, tyrannidémque exercue- rint, & diadema vel ſeruitium inuenerint, & quis Areopagitarum magiſtratum conſti tuerit, aut ſuffragia inuenerit. CAP. II.

QVoniam de legis origine, ſine qua nulla
Reſpublica conſiſtere poteſt, proximo ca
pite huius voluminis docuimus: porrò res ipſa
poſtulat, vt priuſquam hinc digrediar, qua-
le apud gentes regimen ciuitatis principiò
fuerit, demonſtremus. Eſt igitur apud mor-
tales, teſte Platone lib. de Regno, trifariam
diuiſa reip. adminiſtratio: vna enim voca-
tur monarchia, id eſt, vnius imperium: alte-
ra ariſtocratia, hoc eſt optimatum regimen,
tertia verò democratia, id eſt, popularis prin-
cipatus: quarum quæ præferenda ſit, non faci-
lè dixerim: rex enim cui pro libidine omnia li-
cet impunè agere, ac ob id nihil interdum po-
tius eſt, quàm quod in rem ſuam eſſe videt, ra
rò bene imperat. Plebs etiam, cui proprium
eſt nihil intelligere, aliquanto peius. Pauci
verò, id eſt, optimates, cùm princeps eſſe pro
ſe quiſque optet, nec ſatis concordes regnant.
Quare Diocletia. autore Vopiſco, dicere ſoli-
tus erat, nihil eſſe difficilius, quàm bene im-
perare. Optimè tamen vnus, optimè populus,
optimè pauci imperant, ſi boni ſunt. Ex quo
alij aliam conſtituerunt ciuitatem, Aegyptij

 primi

Universidad de Deusto Biblioteca

*primi omnium, teſte Plinio libro ſeptimo, re-
gium principatum habuerunt, vt qui, velu-
ti ait Herodotus, nullo temporis momento,
poterant ſine rege viuere: apud quos primus,
quòd memoriæ proditum ſit, mortalium Me-
nes regnauit, autores Herodotus libro ſecun-
do, & Diodorus, in primo. Cæterum nemo,
teſte Platone in libro de Regno, rex creaba-
tur, niſi qui ſacerdotio præditus foret. At ſi
ita vſu veniret, vt vnus aliquis prophanus
regnum per vim adipiſceretur, is poſtea ſa-
cris initiari cogebatur, quò eſſet rex, & ſa-
cerdos. Diadema autem, quod regium eſt in-
ſigne, Liberum patrem adinueniſſe, autor eſt
Plinius in ſeptimo: cuius nimirum rei Dio-
dorus veram rationem reddere videtur, aiẽs:
Mitra verò caput ei ligatur, propter dolores,
qui fumante vino, caput aggrediuntur. Po-
pularem ciuitatem Attici, vt Plinius in ſe-
ptimo tradit, primi inſtituerunt: ſed iidem
reges etiam habuere, quorum primus fuit Ce-
crops Diphyes, æqualis Moſi: nam, autore
Iuſtino libro primo, ab initio quæque ciuitas
& gens, rerum publicarum imperium penes
reges habebat, quos ad faſtigium huius ma-
ieſtatis, non ambitio popularis, ſed ſpectata
inter bonos moderatio prouehebat. Ex quo,
teſte Aemilio Probo, in vita Ageſilai, apud
Lacedæmonios reges erant, qui nomine ma-*

gis,



*gis quàm imperio reges appellarentur: & pri-
mus rex fuit Euryſteus, Argis II. Archeſtra-
tus III. Lobotes IIII. Doriſtus V. Ageſilaus
VI. Archelaus VII. Telechus VIII. Alcame-
nes IX. & vltimus. Ninus autem, teſtis eſt idẽ
Iuſtinus, rex Aſſyriorum primus omnium ve-
terem gentium morem noua imperij cupidita-
te mutauit: atque idem primus omnium, ſi-
cut ait Euſebius in decimo de præparat. Euan
gelica, totius Aſiæ, excepta India, imperio
potitus eſt. Verum quòd Attici popularem ci-
uitatem primùm conſtituerunt, vti Plinius
prodidit, nemo eſt qui ambigat hoc à verò val
de eſſe alienum. Hebræi enim, à quibus Ioſe-
phus in primo Antiquitatum, cæteras natio-
nes originem traxiſſe pulcherrime probat, vti
ſuperius oſtendimus, multis antè ſeculis, quã
aut Attici imperarent, aut Athenæ conditæ
forent, regnarunt, quorum reſpublica, eo-
dem Ioſepho autore libro vigeſimo Antiquita-
tum, primò quidem ſub populari poteſtate
diu permanſit. Ab his proinde democratiam
primùm manaſſe rectius eſt credere, quàm
ab Atticis, qui poſteriores fuerunt. Ariſtocra
tiam, id eſt, optimatum imperium, quale
Romani poſt exactos reges diu habuerunt, qui
primi conſtituerint, non facilè tradiderim,
ſi illud non ſit aſſignandum Thebais, qui te-
ſte Euſebio, temporibus Nini regis, Aegy-*

ptiis

Universidad de Deusto Biblioteca

*ptiis imperabant, quorum dominatus Δυναστεία dicebatur, hoc eſt, poteſtas, quòd qui potentiores nobilioréſque eſſet, iis reipub. adminiſtrandæ imperium daretur. Et hoc circiter annum ab orbe condito ter milleſimum, &* CLXXXV. *quo Abraham natus eſt. Poſt Theſeum tyrannum, primus fuit Phalaris Agrigenti, ait Plinius in ſeptimo: propter quod innuere videtur Theſeum primum omnium fuiſſe tyrannum, ſecundum verò Phalaridem. Sed Nemroth ex ſtirpe Noë ortus, non multò poſt diluuium, Babylone tyrannus fuiſſe perhibetur. Ita ait Ioſephus in primo Antiquitatum: Nemroth quoque filius Chuſi permanens apud Babylonios, tyrannidem exercuit, ſicut à me primò etiam declaratum eſt. hæc ille. Tyrannum olim vocabant bonum dominum, ac teſte Trogo, fortem. Vergilius:*

> *Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe tyranni.*

*Poſtea hæc vox ad eos tranſlata eſt, qui vi quadam ac libidine dominantur, quorum lex eſt, Hoc volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas, quando omnia ex potentia & voluntate metiuntur. Seruitium, teſte Plinio, Lacedæmonij inuenere, quandoquidem Cleomenes Lacedæmonius, teſte Macrobio libro primo Saturnalium, ex ſeruis manumiſsis, bellatorum nouem millia conſcripſit, qui quoniam in*





*bello non necabantur, ſed viui ſeruabantur, ſerui appellati ſunt. Hi ſub corona poſtea vendebantur. Cato: Vt populus ſua opera potius ob rem bene geſtam, coronatus ſupplicatũ eat, quàm re malè geſta coronatus veneat. Reperio tamen, antequam Lacedæmonij, teſte Ioſepho contra Apionem, rerum potirẽtur, apud Hebræos multos fuiſſe ſeruos, & eius ſeruitutis originẽ profectam à Chanaan, filio Cham, qui fuit vnus ex filijs Noë: is enim treis genuit, Sem, Cham, & Iaphet. Quippe Cham cùm videret patrem Noë fortè ebrium humi parum honeſtè iacentem, vituperauit eum apud fratres. Quare permotus ſenex, Chanaan nepotem ex filio Cham, ſeruitute mulctauit, re tum noua ac grauiſſima, vti in libro Geneſis, capite nono eſt. Sed hic dices: Ecquid fuit quamobrem Chanaan ob patris peccatum ſeruitute affectus fuerit, cùm iuxta prouerbium, filius non debeat plecti ob patris culpam? Non equidem de nihilo dubitas, id etenim factum tradunt, vt pœna Chanaan filio illata, dolori eſſet patri Cham, quando ita ſolent parentes angi filiorum cruciatu. Nam cùm Deus Noë pariter atque eius filijs antea benedixiſſet, ſenex poſtea non eſt auſus in filium, etſi impium, quicquam ſtatuere, idcirco nepotem puniuit, quò eius pater filij vicem dolens, ſic delicti pœnas daret. Ac tale ſeruitutis initium, cùm*

inciperent homines iam molliter viuere. Forma autem manumittendi ſerui talis apud antiquos fuit: Dominus caput, aliúdve membrum ſeruitenens, aiebat, Hunc hominem liberum eſſe volo: atque his dictis, cum de manu emittebat. Areopagitarum autem magiſtratum, Plutarchus à Solone conſtitutum affirmat, quòd de Areopagitis à Dracone nulla vnquam mentio facta ſit. In eo primùm Athenis capitis iudicium actum eſt, autor Plinius libro ſeptimo. Areopagus verò Latinè dicitur curia, ſiue pagus Martis. Cauſa nominis ex iudicio eſt, quo Mars, qui Græcè Ἄρης vocatur, cùm homicidij reus fieret, iudicantibus duodecim dijs in eo pago, vt ſcribit Auguſtinus in XVIII. de ciuitate Dei, ſex ſententijs abſolutus eſt: vbi enim pares ſunt ſententiæ, abſolutio damnationi præponitur. Fuit inde Areopagitarum magiſtratus, vti dictum eſt, inſtitutus, quorum ſumma erat autoritas. Ij erant iudices, qui de capitalibus cauſis pronuntiabãt, tanta grauitate, tantáque integritate, vt noctu, non interdiu, cauſas cognoſcerent, quò non dicentes, ſed duntaxat quæ dicerentur, ſpectarent, ſecúmque ponderarent. Suffragia quibus in deliberando iudicandóque vtimur, Palamedes primus omnium reperit.

De tri



De triplici regiminis genere Romanæ ciuitatis, & de origine inſignium regum, & ex qua arbore fierent magiſtratuum virgæ, atque quis primus cenſum inſtituerit, & de ſenatorio atque equeſtri cenſu, vel carcerẽ ædificauerit: & ibidem quid eſſet luſtrum conditum, ac de initio tributi imponendi.

CAPVT III.

EGo mediusfidius ſemper illam Plinij ſententiam, noſtris laxitas mundi, & rerũ amplitudo damno fuit, tanquam omnium veriſſimam plurimi feci. Etenim ne à primordio vrbis repetam, cum homines rerũ ferè omnium egentes probè degebant, quot nobis florentiſſimæ ciuitates exemplo ſunt? quæ paucis minimiſque contentæ, dum in illis paupertati parſimoniæq; honos fuit, indies magis imperio, moribus, boniſque artibus excelluerunt: at contrà vbi diuitiæ, vbi ſacra pecuniæ fames, vbi voluptas immigrauit, tunc ire cœperunt præcipites, tunc ſenſim dominandi libido deſiderium per luxum perdendi omnia innexit. Quod Lycurgus legũlator ſapientiſſimus proſpiciens animo, numum omnem aureum & argenteum, teſte Plutarcho, irritum fecit, ferreóque ſolùm vtendum imperauit: cuius ſanctionem vt primùm Lacedæmonij exceſſere, ex maximis longè minimi ſunt effecti. Sed, vt de cæteris ſileam, hoc potiſſimum Ro-

mana

Universidad de Deusto Biblioteca

manæ ciuitati accidit: ea enim vbi Publicolas,
Aemilios, Fabritios, Curios, Scipiones, Scau-
ros, paupertatis continentiæq; amantiſſimos
Imperatores ſibi deligabat, incredibile me-
moratu eſt, quàm breui creſceret, quantùm-
que cum ipſa præclarè ageretur: contrà vbi
Senator cenſu legebatur, iudex fiebat cenſu,
magiſtratum ducémque nil magis exornabat
quam cenſus captatio in quæſtu fertiliſſimo,
ac ſola gaudia in poſſidendo erant, adeò de-
clinare de ſtatu ſuo cœpit, vt nunquam in a-
liquo poſtea conſiſtere potuerit. Námque o-
mne regiminis genus perpeſſa eſt: primùm e-
nim monarchiam, hoc eſt, regium imperium
habuit: nam Romulus, autore Floro, eius con-
ditor à Marte genitus & Rhea Syluia, pri-
mùm imperium tenuit: poſt quem ſex deinde
reges ſecuti ſunt, ſub quibus, teſte Liuio in
primo ab vrbe condita CCXLIIII. annos
monarchia durauit. Exin pulſo Tarquinio Su-
perbo, qui regum vltimus fuit, mutata ciui-
tatis forma, ſecuta eſt ariſtocratia, id eſt, o-
ptimatum principatus: nam proregibus, cùm
Conſules, vt Liuius in ſecundo, & Dionyſ-
ſius in quarto teſtatur, creati ſunt, L. Iunius
Brutus qui libertatis vindex extiterat, &
L. Tarquinius Collatinus qui Conſules dicti
à conſulendo, hoc eſt, prouidendo: apud eos
ſumma totius imperij erat: ij exercitum du-
ctabant



ctabant, & ab eorum magiſtratu, qui an-
nuus erat, vti alibi dicemus, numerus anno-
rum notabatur. Poſt annum deinde duodeci-
mum, vel, vt non nemo vult, octauum quàm
exacti ſunt Reges, quod Liuius & Feneſtel-
la non ſatis conſtare aiunt, cùm quadragin-
ta Latinorum vrbes, concitante Octauio Ma-
milio Tarquinij genero, coniuraſſent in Ro-
manos, T. Largius primus dictator creatus
fuit. Autor Liuius in ſecundo ab vrbe condi-
ta. Quod inſtitutum Dionyſius libro quinto
Antiquitatum, putat Romanos à Græcis ſum-
pſiſſe, apud quos ælymnetæ, tanquam dicta-
tores Romæ, creabantur. At Licinius ab Al-
banis accepiſſe tradit. Carthaginienſes e-
tiam, autore Trogo, dictatorem habebant.
Hic autem ſummus fuit in vrbe magiſtratus,
quippe qui habebatur in ſummo periculo vl-
timum remedium: in ſex tantum menſes, vti
Feneſtella ait, durabat: nam eo deſignato,
præter tribunatum omnes magiſtratus, teſte
Polybio, volumine ſuarum hiſtoriarum ter-
tio, & Plutarcho in vita Fabij Maxi. auto-
ritatem ſuam amittebant: & ideo dictator
dicebatur, quòd is imperaret quia, ſicut idem
in vita Marcelli teſtatur, iuſſa magiſtra-
tuum edicta Romani vocabant. Item dicta-
tor non poterat niſi à Conſule dici, neque a-
lio tempore, niſi oriente nocte, & ſilentio, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca



Liuius libro ab vrbe condita VIII. tradit.
Attamen, teſte eodem, libro IIII. cùm ali-
quando Veientes caſtra Romana cepiſſent,
A. Cornelius Coſſus tribunus militum Ma-
mercum Aemilium dictatorem dixit, quòd au-
gures conſulti vrgente neceſſitate, eam religio-
nem exemiſſent. Poſt annum deinceps trecen-
teſimum alterum, quàm condita Roma erat,
velut Liuius in tertio prodit, iterum mutata
eſt forma ciuitatis, ab conſulibus ad decem-
uiros, quemadmodum ab regibus antè ad con-
ſules venerat, qui, vti quibuſdam placet, ter-
tio anno depoſiti ſunt, libidine Apij Claudij,
qui Virginiam, cuius ſtuprandæ amore deſti-
grabat, in ſeruitatem aſſerere voluit: qui cùm
pro libidine omnia agerent, officium ex ſuo
commodo metientes, ac quod ex ipſorum vſu,
non è republica eſſet, in primis facientes, &
eos ob id nonnulli ſenatores, vti inquit Fene-
ſtella, decem Tarquinios appellarent, videtur
tunc Romæ magis monarchia, quàm Ariſto-
cratia fuiſſe. Hoc pacto exactis decemuiris,
ad prioris formam regiminis reditum eſt. At
dein anno CCCX. conditæ vrbis, pro conſuli-
bus primùm tribuni militum creati ſunt, A.
Sempronius Atracinus, L. Attilius Longus,
& T. Cæcilius Siculus. Democratia autem, id
eſt, popularis principatus, ſenſim irrepſit, ple-
be paulatim per ſeditiones adipiſcente nobili-
tatis



tatis magiſtratus: primùm enim C. Canuleio
autore, plebeij connubia promiſcua cum patri-
tijs habere cœperunt: deinde cùm tribuni ple-
bis quotidie magis magiſque inſtarent, à pa-
tritijs tandem conceſſum eſt, vt ex plebe tribu-
ni quoque militum cõſulari poteſtate fierent,
& ita P. Licinius Caluus primus creatus eſt,
anno vrbis conditæ CCCLV. Deinde plebs con-
ſulatum aſſecuta eſt, & L. Sextius Lateranus
de plebe primus Conſul factus, anno vrbis con-
ditæ CCCLXXXIX. Nouiſſimè obtinuit &
dictaturã, ſummũ in vrbe decus: primuſq; ex
plebe C. Martius Rutilius dictator dictus fuit,
anno ab vrbe condita CCCXCIX. Hæc ex Li-
uio lib. IIII. & V. & VI. & VII. ab vrbe con-
dita, & Plutarcho in vita Camilli. Eo deni-
que pacto reipublicæ adminiſtratio ex optima-
tibus ad popularem principatum venerat, ex
quo nouiſſimè iterum in monarchiam, id eſt, ad
vnius imperium, forma ciuitatis redacta eſt,
quæ à Sylla & Mario, teſte Appiano in primo
de bellis Ciuilibus, cœpit, ſublata omni ſenatus
poteſtate. Eam poſtea Cæſares adauxerunt,
ſub quibus primùm ipſa Roma toto pacato or-
be floruit, inde inſequentium Cæſarum iner-
tia contabuit, atque ad interitum deuenit.
Habuit igitur Romana ciuitas primùm mo-
narchiam, id eſt, regium imperium: ſubinde
ariſtocratiam & democratiam, hoc eſt, con-
k 2 ſulum,

ſulum, dictatorum, decemuirûm, & tribunorum conſularium regimen: at nouiſſimè rurſus monarchiam id eſt, tum dictatorum, cum Cæſarum tyrannidem ſæuiſſimam pertulit: vnde eius viriũ labes facta eſt. Romanorum autem regum inſignia, hoc eſt, faſces cum ſecuribus, corona aurea, ſella eburnea, trabeæ curules, faleræ, annuli, paludamenta, prætexta, togæ pictæ, tunicæq́; palmatæ, & omnia denique decora quibus imperij dignitas eminebat, ex duodecim Tuſciæ populis, autore Dionyſio in III. & Floro, & Strabone in V. Geograph. quos Tarquinius priſcus ſubegit, originem habuere, quibus Tarquinius, vt Dionyſio placet, ſimulatque id ſenatus permiſit, primus vſus eſt. Quare miror Macrobium in primo Saturnalium ſcribere, Tullium Hoſtilium tertium Romanorum regem debellatis Hetruſcis, primùm ſellam curulem, lictores, togam pictam atque prætextam inſtituiſſe Romæ haberi. Verùm Romulus ex more duodecim Hetruriæ populorũ, qui ſinguli Liuio & Dionyſio autoribus, ſingulos regi ſtatim creato lictores dabant, antea duodecim lictores ſumpſit, cuius ſententiæ eſſe haud Liuium pœnitet. Alij à numero auium, quæ auguria regnum portenderant, eum ſecutum numerum autumant. Hi magiſtratibus miniſtrabant, faſcéſque virgarum alligatos cum ſecuribus

geſta



geſtabant. Eiuſmodi autem virgas ex betulla arbore fieri conſueuiſſe, Plinius lib. XVI. cap. decimooctauo Naturalis hiſtoriæ innuere videtur, ſic ſcribens: Gaudet frigidis ſorbus, & magis etiam betulla: Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis magiſtratuum virgis. Cenſum primus omnium Seruius Tullius rex inſtituit, rem, veluti Liuius ait, ſaluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacíſque munia non viritim, vt antè, ſed pro poſſeſſione pecuniarum ciues obirent: quorum claſſes, id eſt, ordines quinque deſcripſit. Prima itaque claſſis fuit ex ijs, quî centum millium æris aut maiorem cenſum haberent, quos in octoginta centurias diuiſit, in quadragenas ſeniorum, ac totidem iuniorum, ſeniores ad vrbis cuſtodiam, vt præſtò eſſent, iuniores vt foris bella gererent: arma his imperata, galea, clypeus, ocrea, lorica, tela in hoſtem, haſta, & gladius. Secundæ claſſis intra centum, vſque ad quinque & ſeptuaginta millium cenſum inſtituta, & ex his ſenioribus iunioribúſque viginti conſcriptæ ſunt centuriæ, armáque imperata præter loricam, omnia eadem. Tertiæ Claſſis in quinquaginta millium cenſum eſſe voluit: totidem centuriæ ſunt conſcriptæ. In quarta claſſe cenſus quinque & viginti millium: totidem centuriæ factæ. Quinta claſſis vndecim



mil

millibus cenſebatur. Sed iam rationem ineamus, qua nobis conſtet quanti vnaquæq; claſſis æſtimata ſit. Illud enim primùm ſcire licet, centum æra (nam æs nummulus erat) non pluris fuiſſe vno noſtro ducato, ſiue coronato aureo nummo, ac ita mille æra valuiſſe decem aureos. Primæ igitur claſſis cenſus æſtimatus eſt mille aureis, ſecundæ ſeptingentis & quinquaginta, tertiæ quingentis, quartæ ducentis & quinquaginta, quintæ verò centum & decem. At maximus Seruio Tullo rege cenſus, teſte Plinio lib. XXXIII. fuit aſſium centum & decem millia, ex quibus ſumma fit mille & centum aureorum. Et hæc, vt ait idem Plinius, prima claſſis: adeò id temporis Romanorum opes exiguæ fuerant, quæ poſthac immenſæ extitere, quando, autore Tranquillo, cenſus ſenatorius fuit duodecies centena millia ſeſtertium nummum. Quam quidem ſummam vt rectè putemus, notare oportet ſingula ſeſtertia valuiſſe vicenos quinos aureos, ſic vt centum ſeſtertia ſummam facerent duorum millium & quingẽtorum aureorum: qua ratione colligimus cenſum ſenatorium fuiſſe ad numerum triginta millium aureorum, & equeſtrem duodecim millium & quingentorum, hoc eſt, conſtitiſſe ex quingentis ſeſtertijs. Atq; talis origo & forma fuit cenſus Romæ, qui, vt Eutropius ait, adhuc per orbẽ ter-





rarum incognitus erat. Sed illud verius Moſi aſsignandum eſt, qui, vt infrà demõſtrabitur, primus populum recenſuit. Atqui cenſus agi dicitur, cùm hominũ facultates recenſentur, vnde tributi imponẽdi ratio inita eſt: vel cùm numerus ciuium putatur. Vtrunque teſtatur Liuius in vita ipſius Seruij Tullij. Et cùm in cenſendo finis erat factus, luſtrũ cõditum appellabatur, quòd tum Seruius exercitũ omnẽ ſue, oue, taurisque tribus luſtrauit, hoc eſt, purgauit: idque luſtrũ quinto quoque anno Romæ cõdebatur, cùm cẽſores numero duo creabantur, qui cenſum agerẽt: ij poſtea magiſtratus annuus factus, eique morũ ciuitatis cura eſt tradita. Item cùm vectigalia & tributa ſoluebantur, tum fiebat ſacrificium ciuitatis purgandæ cauſa. Ex quo perinde Romani annos etiã per luſtrum numerabãt, atque Græci per Olympiades. Cæterùm cùm ita quinto quoque anno luſtrũ condi diceretur, ſunt qui putent illud fuiſſe ſpatiũ quatuor annorum, argumentãtes annũ quo ſequens luſtrũ incipiebat, dici quintum, qui eſſet primus ſequentis luſtri. Quæ ſanè ratio, ſi vera ſit, ſimiliter indicat olympiada fuiſſe ſpatiũ quatuor tantum annorum, quemadmodum infrà ſuo loco demõſtrabitur. Cenſus autẽ agẽdi, & tributi ex cenſu imperandi pariter atque conferendi initium factũ eſt apud Hebræos, cùm de ea re



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



Deus mandatũ Moſi dederit, ita in Exodo, capite triceſimo, loquens: Quãdo tuleris ſummã filiorum Iſraël, iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recenſiti. Hoc autẽ dabit omnis, qui tranſit ad nomen dimidium ſicli, iuxta menſurã templi. Qui habetur in numero à viginti annis & ſuprà, dabit pretium. Ita tributũ imperatum eſt in ſingula capita eorum, qui viginti annis maiores eſſent, quique arma ferre poſſent. Siclus numus argenteus Hebraicus, quẽ Græci ſtaterem dicunt, teſte Ioſepho, libro tertio Antiquitatum pondere erat drachmarum Atticarum quatuor: drachma verò ex ſenis obolis Atticis cõſtat: atque ſic tetradrachmus ſiclus valebat quaternos & vicenos Atticos obolos, Hebraicos verò vicenos. Sed quia dicitur iuxta menſuram tẽpli, iam ſatis liquet ſacerdotes ponderis menſuræq; genus habuiſſe aliud ab eo, quod vulgus vſurparit. Atqui drachma eiuſdem eſt ponderis, ac Romanus argenteus denarius, quem Matthæus euangeliſta capite viceſimo ſecundo, numiſma cenſus vocat, cuius nota Cæſaris effigies erat: & capite viceſimo appellat denarium diurnũ, quòd tantum valeret, quantũ mercedis in die dari ſolet operis. Extant etiamnum iſtiuſmodi denariũ Cæſarum figura ſignati, qui pari ſunt pondere





atque numi, quos groſſos nuncupant. Ita ſcilicet drachmam Atticam à noſtris groſſum vocitari, & ſiclum quatuor valere groſſos. Carcerem, quo cuſtodiæ cõtinentur, ad terrorem, teſte Liuio ab vrbe cõdita, Ancus primus ædificauit: quod Eutropius Tarquinio Superbo aſſignat: item vincula, fuſtes, compedes, catenas, & huiuſmodi ſupplicia quibus homines afficiuntur. Atque hæc omnia à Romanis Romæ primùm inuenta: nã alibi iſtæc tormentorum genera ad cruciandos homines longè antè in vſu fuiſſe ex Ioſepho & Herodoto ſatis patet. Vnde cùm inſtrumenta ſola ſint, quibus tyranni in primis ad ſuam tuẽdã dominationem vtantur, eorum inuentionem rectè Nemroth primo tyranno aſſignemus licet.

## Qui primi cõſtituerint annum, & quàm varium, & qui inuenerint hunc annum quo vtimur, vel menſes, atque eos diuiſerint in Nonas, Idus, Calendas: ac quis excogitarit numerum aureum. CAP. IIII.

ETſi de prima anni obſeruatione, ſtatim poſt traditam aſtrologiæ originẽ, dicendum erat, ad quam potiſſimum huiuſmodi ratio pertinet, nõ poſſunt tamen omnia vno loco explicari: hic proinde de anno tractabimus. Hunc Aegyptios primò inſtituiſſe, Herodotus lib. hiſtor. II. prodit, ita ſcribens: Quæ autem humanarum rerum ſunt, hæc ita referebant,

Universidad de Deusto
Biblioteca



inter ſe conſtare omnium hominum primos Aegyptios annum comperiſſe, diſtinguentes eum in duodecim tẽporum menſes, idque comperiſſe ex aſtris, eò ſcientius, vt mihi videtur, hoc agentes, quàm Græci, quòd Græci quidẽ tertio quoque anno, intercalarem menſem introducunt tẽporis gratia: Aegyptij verò tricenis diebus, quibus duodecim menſes taxant, adijciunt huic numero quotannis quinos dies: vnde eis ratio circuli temporum cõſtat eòdem redeuntis. Herodot. hactenus. Clemens itidem comprobat. Huiuſmodi tamẽ inuentionẽ Diodor. Thebæis aſſignat libro primo. Sed nõ ideo inficior Diodorum Herodoto ſuffragari, quoniam Thebæi iuxtà Aegypti populi ſunt, à Thebis, vrbe in Aegypto, nominati, velut Thebani à Thebis in Bœtia: quod apud idoneos autores obſeruatum eſt: quinetiam vt ait Herod. in prænotato libro, olim Thebæ Aegyptus vocabatur. At Seruius ſuper v. Aeneid. dicit, Eudoxum primùm annum deprehendiſſe, poſt quem Hipparchum, & vltimo loco, vt infrà dicemus, Cæſarem. Laërtius autẽ Thaleti Mileſio adſcribere videtur, in primo, cum inquit: Anni tempora illorúmque viciſſitudines priorem inueniſſe ferunt, eúmque in CCCLXV. dies diuiſiſſe. Sed hoc illi cenſeo apud Græcos duntaxat eſſe attribuendum. Verùm reperimus apud Ioſephum in primo & in quarto





Antiquitatum, Hebræos ante diluuium Noë, annum duodecim menſibus conſtitutum habuiſſe, qui, eodem teſte in primo Antiquitatum, annum primi etiam in Aegypto inſtituerant. Eſt inſuper operæpretium, quàm varia fuerit anni ratio apud priſcos, demonſtrare. Arcades enim, vt Plutarchus in vita Numæ, & Macrobius in primo Saturnalium meminerunt, tribus duntaxat menſibus annum ſuum complebant. Cares & Acarnanes, ſex. Aegyptij primis temporibus, teſte Solino, quatuor, ſed antea, vt Cenſorino placet, duobus tantùm. At Macrobius in primo Saturnalium ait, anni certum modum apud ſolos Aegyptios ſemper fuiſſe, vt etiam ex Herodoti autoritate liquidò conſtat. Erat præterea annus triginta dierum, id eſt, lunaris: autor Seruius ſuper tertio Aeneidos. Habebãt & annum magnum, quem volebãt confici omnibus planetis in eundem recurrentibus locum, qui ſecundũ Ciceronem, continet duodecim millia nongentos quinquagintaquatuor ſolares annos. At Ioſephus in primo Antiquitatum, capite octauo, dicit annum magnum DC. annorum ſpatio impleri. Sed de hoc, vti Cenſorinus demonſtrat, inter autores non planè conuenit. Reliqui Græci CCCLIIII. diebus annum proprium computabant. In hac varietate, Romani quoque ab initio, prout Macrobius dicit,

Universidad de Deusto
Biblioteca



autore Romulo, annum x. menſibus conſtitutum habuerunt, à Martio incipientes, qui cõficiebatur diebus CCC & IIII. Romulus enim primum menſem Martium à patre ſuo Marte: alterum Aprilẽ, quaſi Aphrilem, à ſpuma, quæ Græcè ἀφρὸς vocatur, vnde Venus mater Aeneæ nata eſt: tertium Maium, à maioribus: quartum Iunium, à iunioribus nominauit. Ouidius:

*Hinc ſua maiores tribuere vocabula Maio,*
*Iunius à iuuenum nomine dictus adeſt.*

Sic antè populum in maiores & minores diuiſerat. Reliquos ſex à numero, Quintilem, ſextilem, Septembrem, Octobrem, Nouembrẽ, & Decembrem appellauit. Verùm poſtremò Quintilis à Iulij Cæſaris nomine, Iulius, & Sextilis Auguſti honore, Auguſtus eſt nominatus. Sed iſte annus cùm neque ſolis curſui, neq; lunæ rationibus congrueret, Numa Pompilius inde ad lunæ curſum redegit, additis quinquaginta diebus: quibus poſtea ſex alios dies adiecit retractos ex illis ſex menſibus qui triginta dies habebant, id eſt, de ſingulis ſingulos: eóſque ſex & quinquaginta dies pari ratione partitus eſt in menſes duos, & alterum quem primum poſuit, nuncupauit Ianuarium à Iano, qui Latinorum primus rex fuerat, tanquam bicipitis dei menſem, vt qui trãſacti anni finem reſpiceret, ac principium futuri



futuri proſpiceret: nam Ianus cum vir eſſet æquè prudens atque ſolers, dictus eſt habere geminam faciẽ, vt vna quæ ante, altera quæ poſt tergum forent intueretur, id quod ad vigilãtem ciuitatis cuſtodem attinet. Alterum verò Februarium vocauit, deóque Februo dedicauit, qui creditur præeſſe luſtrationibus: quia tum extremo anni menſe, populus februabatur, hoc eſt, purgabatur. Poſtea Numa religionẽ ſecutus, quòd numero Deus, quemadmodum poëta ait, impare gaudet, dedit ſingulis menſibus Ianuario, Aprili, Iunio, sextili, ſeptembri, Nouembri, & Decembri, vndetricenos dies: Martio verò, Maio, Quintili, & Octobri, ſingulos & tricenos. Februarius ſuos octo & viginti dies retinuit. Ita annus conficiebatur diebus CCCLV. Romani deinde Græcorum more, intercularem menſem conſtituerunt, vt, qui præeſſent faſtis libris, quibus totius anni res populi explicabantur, intercalarent, id eſt, vocarent populum, vt quando lege agi liceret, ſcirẽt. Sed cùm ita vſu veniret, vt per eam varietatem anni ſæpè nundinæ caderent aut in primum anni diem in nonáſve quibus nefas erat conuentus haberi, permiſſum eſt vt ſacerdotes quando vellent, ſuo arbitratu vocarent. At cùm illi commodi gratia, publicanorúmque ex vſu, minus ſuo tempore vocarent, tum demum Cæſar pontifex

… maximus addidit anno dies decem, … que ſex, quorum dierum binos ad ſingulos menſes, Ianuarium, Sextilem, & Decembrem, adiunxit. in Aprilem autẽ, Iunium, Septembrem, & Nouembrem ſingulos diſtribuit. Sic C. Iulius Cæſar, autore Suetonio, & Appiano Alexandrino, & Plinio, primus omnium annum ad curſum ſolis accommodauit, vt CCCLXV. dierum eſſet, & intercalario menſe ſublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur, quod biſſextum vocant. Cauſa autem nominis eſt, quia duobus continuis diebus bis dicimus VI. Calendas Martias, duos dies pro vno computantes. Menſes, verò, hoc eſt, lunæ curſus, qui, vti Cicero in ſecundo de natura Deorum ait, quia menſa ſpatia conficiunt, menſes nominantur. Thebaos, id eſt, ipſos Aegyptios (ſunt enim vt diximus, ijdem) omnium primos inſtituiſſe Diodorus affirmat: quod tamen magis Hebræis, qui haud dubie primi annum conſtituerant, tribuendum eſſe videtur. Atque annus menſes habet duodecim, quorum, quatuor, Aprilis, Iunius, September, & Nouember, ex triginta conſtant diebus: at plus vno, ſeptem, Ianuarius, Martius, Maius, Iulius, Auguſtus, October, & December: minimus verò Februarius octo & viginti, ſuis contentus eſt diebus. Item hebdomadas duas & quinq



quinquaginta, & diem vnum dies verò CCCLXV. ac horas ſex, vti dictum eſt. Præterea cùm apud priſcos Romanos, pontifices, prout ſuprà demonſtrauimus, ita intercalarent, factum eſt vt menſis eiuſmodi rei cauſa, diuiſus ſit in Calendas, Nonas, & Idus, primuſque dies Calendæ dictæ ſint, ἀπὸ τοῦ καλῶ, voco: etenim minor pontifex obſeruabat quando noua primùm appareret luna: qua viſa, id protinus ſacrificulo regi nunciabat: tum facto, vt moris erat, ſacrificio pontifex incipiebat eos vocare qui in agris eſſent, quò ſcirent feriarum pariter cauſas, atque quid eo menſe agi liceret. Ita calata, hoc eſt, vocata in Capitolium plebe, pronuntiabat quot dies à Calendis ad Nonas ſupereſſent: vnde Nonæ ipſæ dictæ ſunt, quia ſemper dies nouem à Nonis ad initium Iduum interſunt. Idus autem circiter medium menſem ponebant, idque verbum ab Hetruſcis ſumpſerant, quorum lingua iduare, diuidere eſt. Igitur ſic computabant, verbi gratia: Vltimum diem Decembris antecedentis menſis notabant pridie Calendas Ianuarias, penultimum tertio Calendas, atque ſic alios ſuo ordine, ſurſum verſum numerando vſque ad Idus: nam menſibus quatuor, Martio, Maio, Iulio, & Octobri, ſingulis ſenas dederunt Nonas, reliquis quaternas, ſicut ſingulis

Universidad de Deusto
Biblioteca



lis quoque menſibus Idus octonas. Verùm modus iſtiuſmodi dierum menſis numerum ineundi iam vulgatior eſt, quàm vt à nobis ſit rurſum demonſtrandus, qui profectus eſt ab illa pontificum intercalatione, quæ durauit vſque ad annum vrbis conditæ CCCCL. cum P. Sulpitio Auerrione, P. Sempronio Sopho Longo COSS. C. Flauius ſcriba ædilis curulis, inuitis patribus, Ciuile ius repoſitum in penetralibus pontificum euulgauit, faſtóſque circa forum in albo propoſuit, vt quando lege agi poſſet, ſciretur. Teſtis Liuius ab vrbe condita, in extremo nono libro. Poſtea fuit alius modus, quem Aureum numerum ob excellens rei artificium appellant, excogitatus à diuo, vt fertur, Bernardo, vel ab ipſo Iulio Cæſare, ſicut libro Diuinorum officiorum octauo extat, ad inueniendum diem coniunctionis lunæ, per ſingulos menſes: quo quidem numero noſtri deinceps vſi ſunt ad notandos quoque dies feſtos in ſingulos annos: quos mutabiles vocant, quemadmodum eſt Paſcha, Pentecoſte, nonnullique alij, eò quòd non ſemper in eoſdem menſium dies cadant. Fuit ſanè inuentum ſuo dignum autore, cuius vſus & ratio ita omnibus nota eſt, vt non ſit quod hoc loco quicquam de aureo numero doceatur.





## Quis horas primus conſtituerit, aut horologia diuerſi generis inuenerit. CAP. V.

HOræ, quibus numero XXIIII. dies nóxque conficitur, teſte Macrobio, ab Apolline, id eſt, ſole, qui Horus Aegyptica lingua vocatur, nomen acceperunt. Quatuor itidem tempora, hoc eſt, ver, æſtas, autumnus, & hyems, quibus annuus orbis impletur, horæ dicuntur: quæ initio duodecim conſtitutæ ſunt, eiúſque rei talis fuiſſe origo memoratur. Quodam tempore Hermes Trimegiſtus cùm in Aegypto ſacrum quoddam animal Serapi dicatum in tota die duodecies vrinam facere pari ſemper temporis interuallo obſeruaſſet, per duodecim horas diem diuidi debere coniecit. Exinde hic horarum numerus longo tempore cuſtoditus, poſtea in vigintiquatuor horas diuiſus eſt dies. Horologium autem ſolarium, in quo vmbilici ſolis, quem gnomonem vocant, vmbra horas oſtendit, Anaximenes Mileſius Lacedæmone, teſte Plinio libro II. cap. LXXVI. primus inuenit, ipſúmque ἀπὸ τῶν σκιῶν, hoc eſt, ab vmbra, ſciotericon appellauit. Romæ multò ſerius contigit: in duodecim enim tabulis, vt autor eſt Plinius in VII. ortus tantum & occaſus ſolis nominabatur. Poſt aliquot annos adiectus fuit & meridies: accenſus conſulis, id eſt, præco, cùm pronuntiabat, cùm è curia inter

Universidad de Deusto
Biblioteca



roſtra & Græcoſtaſim ſolem proſpiciebat: à
columna verò ænea ad carcerem inclinato
ſydere, ſupremam horam pronuntiabat: ſed
hoc ſerenis tantum diebus, vſque ad primum
Punicum bellum. At M. Varro primum horo-
logium ſolarium in publico ſecundum roſtra,
in columna ſtatutum fuiſſe tradit, bello pri-
mo Punico, à M. Valerio Meſſala conſule, Ca-
tina in Sicilia capta. Poſtea Scipio Naſica
primus Romæ duntaxat, vt opinor, aqua ho-
ras diuiſit æquè noctium atque dierum, idque
horologium ſub tecto dicauit, anno vrbis
DXCV. Cæterùm horologium, teſte Vitruuio
libro nono de Architectura, ex aqua Cteſibius
Alexandrinus primus reperit. Vtriuſque me-
minit Cicero, libro de natura Deorum ſecun-
do: Quid igitur, inquit, conuenit, cùm ſo-
larium vel deſcriptum aut ex aqua contemple-
ris, intelligere declarari horas arte, non caſu?
Et alibi in extremo ſecundo Tuſculanarum
libro: Cras ergo ad clepſydram. Ita vas vo-
cant, è quo guttatim effundebatur aqua ad
horas notandas. Inuentum eſt deinde diuini
quodā ingenij acumine, horologiū quod nunc
frequens cernitur, è metallis, rotis dentatis at-
que ponderibus, partim vmbilicis horas in-
dicantibus, partim teſtantibus tintinabulis.
Quinetiam eodem artificio planetarū omniū
ac ſolis & lunæ curſus adeò facilè repræſen-
tantur,



tantur, vt cœlū ipſum propè conſpici videa-
tur. Eſt etiam aliud horologij genus, ad py-
xidis formam excogitatum. Item è tenuiſſi-
mis harenis Aegyptiis, quorum tamen autores,
vt in calce operis dicemus, in aperto nō ſunt.
Sic denique quotidie aliquid admiratione di-
gnum hominum induſtria inuenit, velut py-
xidem illam qua nautæ nauigationem peri-
tiſſimè moderantur. Et multa demū ſunt, qui-
bus priſca ætas caruit, de quibus nos ſuis locis
meminerimus. Illud adiiciam, vt alibi horolo-
gia à ſole occidente, vſque ad ſolem iterum
occidentem, perpetuo curſu vigintiquatuor
horas deſignant: ſic nunc totus ferè occidens
horologia habet, quæ bis in die duodenas ho-
ras indicant, ita vt ſemper duodecima hora
in media nocte & in meridie notetur: quod
profectò quò aptius quadrat, hoc commodius
fit, ne quempiam, cùm velit ſcire quota ſit ho-
ra, tot ſimul numerare oporteat.

Quomodo ab initio alij aliter dies ob-
ſeruarint, ac noctes diuiſerint. CAP. VI.

Diem alij aliter obſeruabant, quod ab
Aegyptiis fluxiſſe volunt, quos, vt in-
ter nonnullos autores conuenit, primos omniū
annum & menſes conſtituiſſe ferunt. Ij ita-
que à media nocte ad mediā, totum id ſpatiū
vnius diei nomine appellauere. Romani quoq;

Universidad de Deusto
Biblioteca



*eodem modo diem obſeruabant, quòd, vt Plutarchus in Problemat. ait, ortus ſolis initium agendi, nox verò conſilij & præparationis faciat: quippe apud illos, cui quam etiam diei horæ aliquid actionum tribuebatur. Martialis.*

*Prima ſalutantes atque altera continet hora.*
*Exercet raucos tertia cauſidicos.*
*In quintam varios extendit Roma labores.*
*Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.*
*Sufficit in nonam nitidis octaua palæſtris.*
*Imperat extructos frangere nona toros, &c.*

*Babylonij inter duos ſolis exortus, omne id tempus diem vocabant: Athenienſes inter duos occaſus. Vmbri à meridie in meridiem vnum diem putabant: vulgus omne à luce ad tenebras: autores, Varro, Plinius in ſecundo, Gellius, & Macrobius. Nos porrò more Athenienſium, à ſole occaſo, ad ſolem iterum occidentem, omne id medium tempus vnum diem eſſe dicimus, ſicut Tranſalpini omnes Vmbrorum ritu, à meridie in meridiem diem ſuum terminant, prout eorum horologia, quæ ſuperiori capite poſuimus, indicant: vel eadem ratione, à media nocte, ad mediam noctem, veteri Romanorum inſtituto, illorum*



*rũ dies dici poteſt conſici. Nox verò, ſicut Vegetius tradit, in quatuor diuidebatur vigilias, quæ ſingulæ, teſte Hieronymo ſuper Pſalmos, trinarum horarum ſpatio ſupputabantur.*

## Qui primi libros ediderint, & de prima bibliotheca, & à quo aut vbi vſus, imprimendarũ literarum primò inuẽtus. CA. VII.

*CVm in dies magis magiſque hominum ingenia ſola librorum copia vigeant, & ad capeſſendas diſciplinarum liberalium artes facilius omnes alliciantur, ipſáque literarum ſtudia mirum in modum vbique gentium floreant, peccare herclè me ducerem, ſi tale inuentum ſilentio præterirem, cuius nos etiam, quantum exiguum tulerit ingenium, augendi gratia, hunc nempe laborem ſuſcepimus, præſertim cùm huiuſmodi ſcriptorum libri, vti diuus Hieronymus ad Marcellam ait, ingeniorum effigies, & vera & æterna monumenta ſint. Quapropter Ageſilaus, autore Plutarcho, cùm bene multi vellent eius corporis ſimulacrum gratis effingere, nunquam id fieri paſſus eſt, animi tantum monimenta poſteris relinquere ſtudens: illud enim ſculptorum, hoc ſuum: illud diuitum, hoc bonorum opus eſſe ducebat. Omnium igitur primus Anaxagoras teſte Laertio volumine ſecundo, librum ab ſe ſcriptum edidit.*

Gellius verò lib. VI. ſcribit Piſiſtratum tyrannum omnium primùm libros publicè legendos præbuiſſe. Sed profectò quis non videt perperàm Græcos, hominum genus in ſui laudem effuſiſſimum, hanc ſibi gloriã vindicare? qui, vt Ioſephus contra Appionem perſpicuè demonſtrat, recentiſſimi ſunt. Ex quo haud dubiè multò ante Græcos, antiquiſſimi Hebræorum, qui ſacram hiſtoriã ſcripſerunt, & Aegyptiorum ſacerdotes, vel Chaldæi libros ediderunt: atque ita Anaxagoram & Piſiſtratum apud Græcos, tantùm primos foras dandos libros curaſſe credere par eſt. Deinde autem, vt idem Gellius teſtatur, ipſi Athenienſes numerum librorum ſtudioſius accuratiuſque auxerunt. Verùm omnem illam poſtea librorum copiam Xerxes Athenarum potitus abſtulit, aſportauitque in Perſas. Eos porrò libros vniuerſos multis poſt tempeſtatibus, Seleucus Macedoniæ rex, qui Nicanor appellatus eſt, referendos Athenas curauit. Ingens poſtea numerus librorum in Aegypto à Ptolemæis regibus confectus eſt, ad millia fermè voluminum DCC. ſed ea omnia priore bello Alexandrino incenſa ſunt. Cæterum Strabo libro decimo tertio Geograph. ſcribit Ariſtotelem omnium primum bibliothecam inſtituiſſe, ait enim. E Scepſi fuere philoſophi Socratici, Eraſtus, & Coriſcus, & Neleus Coriſci filius, qui Ariſto-

telem



telem & Theophraſtum audiuit, & ſucceſſor fuit bibliothecæ Theophraſti: in qua Ariſtotelica inerat: nam Ariſtoteles & bibliothecam & ſcholam reliquit Theophraſto, & primus omnium quos ſcimus, libros congregauit, & Aegypti reges bibliothecæ ordinem docuit. Theophraſtus verò eam tradidit Neleo, Neleus eam Scepſim detulit, ac poſteris tradidit. hæc ille. Fuit & Pergami bibliotheca præclariſſima, autor Plin. libr. XXXV. ſtatim in principio, vbi inquit: An priores cœperint Alexandriæ & Pergami reges, qui bibliothecas magno certamine inſtituere, non facilè dixerim. Romæ bibliothecam Aſinium Pollionem primùm feciſſe, teſtatur idem in prænotato libro ſcribens. Non eſt prætereundum & nouitium inuentum: ſiquidem non ſolùm ex auro argentóve, aut certè ex ære in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ iiſdem locis ibi loquuntur, quinimò etiam quæ non ſunt, finguntur, pariuntque deſideria non traditi vultus, ſicut in Homero euenit, quo maius, vt equidẽ arbitror, nullum eſt felicitatis ſpecimẽ, quàm ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis. Aſinij Pollionis hoc Romæ inuentum, qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rempublicam fecit. Sunt etiam plures hodie in Italia bibliothecæ, ſed illa in primis omniũ iudicio longè celeberrima, quam

 diuus

Universidad de Deusto
Biblioteca



*dinus Federicus Feltrius dux Vrbini condi-
dit, quam poſtea Guido princeps eius filius,
lux doctrinarum fulgentiſſima, ac vnicum
doctiſſimorum hominum præſidium, cùm au-
ro & argento, tum librorum copia adauxit,
ornauitque. Fuit illud igitur omnino magnum
mortalibus munus, ſed nequaquam conferen-
dum cum hoc, quod noſtro tempore adepti ſu-
mus, reperto nouo ſcribendi genere: tantum
enim vno die ab vno homine literarum impri-
mitur quantum vix toto anno à pluribus ſcri-
bi poſſet. Ex quo adeò diſciplinarum omnium
magna librorũ copia ad nos manauit, vt nul-
lum amplius ſuperfuturum ſit opus, quod ab
homine quamuis egeno deſiderari poſſit. Illud
inſuper adde, quòd autores quoque plurimos,
tam Græcos quàm Latinos ab omni prorſum
interitus periculo vindicauit. Quare tãta rei
autor non eſt ſua laude fraudãdus, præſertim
vt poſteritas ſciat cui diuinum beneficiũ ac-
ceptũ referre debeat. Itaque Ioannes Cuthen-
bergus natione Theutonicus, equeſtri vir di-
gnitate, vt ab eius ciuibus accepimus, pri-
mus omniũ in oppido Germaniæ, quã Magun-
tiam vocant, hanc imprimendarum literarum
artem excogitauit, primúmque ibi ea exerce-
ri cœpit: non minore induſtria reperto ab eo-
dem, prout ferunt, autore, nouo atramẽti gene-
re, quo nunc impreſſores tantum vtuntur. De-
cimo*



*cimoſexto deinde anno qui fuit ſalutis huma-
næ* MCCCCLVIII. *quidam nomine Con-
radus, homo itidem Germanus, Romam primò
in Italiã attulit, quam dein Nicolaus Ienſon
Gallicus, primus mirum in modũ illuſtrauit,
quæ paſſim hac tempeſtate per totum ferè ter-
rarum orbem floret: de qua plura loquendi la-
bore ſuperſedeo, eius inuentorem, ac ſimul
vnde ad nos delata fuerit, prodidiſſe, haud me
parum feciſſe ratus, cùm ea omnibus longè no-
tiſſima ſit: quæ propterea vt ab initio non mi-
nore quæſtu, quàm hominum admiratione
vulgari cœpit: ſic paulatim, velut auguror, fu-
tura eſt vilior.*

De primo vſu ſcribendi apud priſcos,
etiam per notas, & quando primùm inuenta
charta, vel membrana. CAPVT VIII.

A*Nte vſum chartarum, quo maximè hu-
manitas vitæ conſtat & memoria, pal-
marum folijs, teſte Plinio in decimotertio Na-
turalis hiſtoriæ, primò ſcriptitatum eſt. Virg.
in ſexto:*

*" Folijs tantùm ne nomina manda.*

*Deinde quarundam arborum libris, poſtea pu-
blica monimenta plumbeis voluminibus, in-
de & priuata linteis conficere cœperunt, dein-
de ceris: nam pugillarium vſum ante Troia-
na tẽpora fuiſſe teſtatur Homerus. Papyrum
autem*

autem poſt Alexandri Magni victoriam, condita in Aegypto Alexandria, M. Varro autor eſt, ante chartarum vſum ab eo rege inuentam eſſe, quæ fiebat ex frutice, qui naſcitur in paludibus Aegypti. Verùm contra Varronem, qui chartarum vſum non niſi condita in Aegypto Alexandria fuiſſe ſcribit, Plinius Caſſij Heminæ annalium ſcriptoris autoritatem adducit. Ille enim tradit, Cn. Terentium ſcribam agrum ſuum in Ianiculo repaſtinantem, offendiſſe arcam, in qua Numa rex ſitus fuerat, & in eadẽ libros eius repertos, qui è charta erant. Nam Magnus Alexander amplius trecentis annis poſt Numam fuit, qui Alexandriam, autore Liuio, libro octauo, eo anno in Aegypto poſuit, qui fuit vrbis conditæ CCCCXXVIII. L. Papyrio Mugillano ſiue Curſore, C. Petilio Gallo COSS. Cæterum Liuius in decimo de bello Macedonico à Caſſio diſſentit, ſcribens duas arcas lapideas, octonos fermè pedes longas, non vnam, repertas à foſſoribus in agro L. Patilij ſcribæ, non Cn. Terentij, & in altera earũ ſepultũ fuiſſe Numam, in altera verò eos libros inuentos, de quibus loquimur. Idem etiam Lactantius affirmat, & Plutarchus in vita Numæ. Poſtea verò id genus chartæ inuẽtum eſt, quo nunc paſſim vtimur, cuius autor haud palàm eſt. Hæc autẽ fit ex linteolis cõtritis: nihilominus

tamen



tamen papyri nomen à frutice ſumptum, veluti chartæ ab vrbe Tyri retinet. Membranas à tectu membrorum nominatas: eſt enim propriè ipſum corium. Varro ſcribit per æmulationem, circa bibliothecas Ptolemæi & Eumenis regum, Pergami inuentas fuiſſe, vnde vulgò pergamenæ vocantur. Verùm ego affirmarem membranas multò antè quàm tradit Varro, eſſe repertas, in ijſq; primùm ſcriptitatum, quando ſacros Hebræorum libros (Hebræi enim, vt oſtendimus primi rerum geſtarum monimenta condiderunt) è membrana fuiſſe teſtatur Ioſephus: nam cùm in duodecimo Antiquitatum tradit, quemadmodum Eleazar princeps ſacerdotũ per ſeptuaginta duo interpretes, ſacros libros ad Ptolemæum Philadelphũ miſerit vt in Græcum ſermonẽ verterẽtur, ſic inquit: Cùm verò oſtenderẽt tenuitatem membranæ, vel incomprehenſibilem eorum compaginem, rex miratus eſt. Herodotus etiam in quinto teſtis eſt, priſcã conſuetudine in pellibus caprinis & ouilis eſſe ſcriptitatum. Sunt præterea plura chartarum genera, vt hieratica, antiquitus ſacris tantum voluminibus dicata: amphitheatrica, à loco dicta: bibula, & emporetica, inutilis ſcribendo, & inuolucris duntaxat chartarum atque mercium vſum præbens, propterea ἀπὸ τῶν ἐμπόρων, id eſt, à mercatoribus nominata. Vſus autem ſcribẽdi

per

Universidad de Deusto Biblioteca



per notas, peruetuſtus eſt, quando Tiro Ciceronis libertus, autore Euſebio, ipſas notas primus reperiſſe fertur. Et eiuſmodi ſcripta furtiua dicuntur, quæ artificio quodam ſiunt, ne legi poſſint ab alio, niſi ab eo ad quem ſcribuntur. Gellius: Res quaſdam occultas nuntiare regi furtiuo ſcripto volebat. Eſt & Cæſar teſte Suetonio, vſus. Hodie verò ita frequens eſt modus iſte ſcribendi, vt nullus videlicet ſit neque princeps, neque ciuis, qui non ſuas habeat notas, vulgò zipheras nuncupatas.

### Quis primus memoriæ artem monſtrauerit, aut qui eiuſdem gloriam adepti ſint. CAPVT IX.

PRoximum eſt, vt de memoria dicatur, qua, vt Fabius ait, omnis diſciplina conſtat, quæ & neceſſarium maximè eſt vitæ bonum, & vnicus eloquentiæ theſaurus. Huius ars, Plin. in ſeptimo, & Quintiliano in vndecimo autoribus, à Simonide Melico primùm inuenta eſt, qua in re multum valuit: nam cùm aliquando in Theſſalia, teſte Cicerone de Oratore, epularetur apud Scopam nobilem virum, & nuntiatum eſſet ei, vt prodiret ad duos iuuenes ante ianuam ſtantes, contigit vt hoc interim ſpatio conclaue corruerit, ac ea ruina adeò conuiuæ omnes contriti fuerint, vt non poſſent internoſci à ſuis, qui humare eos

vell



vellent. Tum dicitur Simonides ex eo quod meminiſſet, quo eorum loco quiſque cubuiſſet, demonſtrator vniuſcuiuſque ſepeliendi fuiſſe. At ita videtur memoria valde iuuari, ſignatis animo ſedibus, aut mutato annulo, qui nos moneat, cur id fecerimus: quod ipſe Fabius latè proſequitur. Memoria autem plurimis præcipua fuit, vt Plinius & Solinus autores ſunt: Cyrus enim rex Perſarum omnibus in exercitu ſuo militibus nomina reddidit. Cineas Pyrrhi regis legatus, poſtero die quàm Romam aduenerat, vtriuſque ordinis viros nominatim appellauit. Mithridati regi duæ & viginti linguæ (tot enim nationibus imperauit) traduntur notæ fuiſſe. Cæſarem verò ſcribere & legere ſimul, dictare & audire, ſolitum accepimus. Idem etiam, teſte Spartiano, Hadrianus Imperator facere conſueuit.

### A quo primùm militaris ars inuenta, & vtrum literis præſtet, item in exercitu ordines, & teſſeræ, & vigiliæ, & de primo pugnandi modo. CAP. X.

NVnc venio ad diſciplinam militarem, præcipuum Imperatorum decus, qua ſola multi quidem mortales æternam ſibi gloriam compararunt, vnde tantò literis præferenda videtur, quantò facta dictis præſtant. Quanquam illud non facilè Cicero conceden-

dum

Universidad de Deusto Biblioteca



*dum indicat, quando, vt ipſe pro M. Marcello ait: bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eáſque detrahere ducibus, communicare cum multis, ne propriæ ſint imperatorum. Certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multum iuuant: maximam verò partem quaſi ſuo iure fortuna ſibi vendicat, & quicquid proſperè geſtum eſt, id penè omne ducit ſuum. At gloriæ, quantum rectè ſcientérque ſcribendo adeptus fueris, ſocium habebis neminem. Ad artem redeo. Sed hæc in rudi ſeculo admodum turpis fuit, vtpote quæ ferino more, vt infrà oſtendemus, exercebatur. Huius, ſicut Ciceroni libro de Natura deorum tertio placet, inuentrix Pallas fuit, ex quo Bellona dicta eſt. Papinius:*

*Regit atra iugales*
*Sanguinea Bellona manu.*

*Vt verò Diodoro, ipſe Mars morem bellandi reperit. Martialis:*

*Belliger inuictis quòd Mars tibi ſæuit in armis.*

*Sed reperimus apud Ioſephum in primo antiquitatum volumine, Tubalcain, qui ante diluuium Noë fuit, fortitudine cunctis excellentem, res bellicas fortiter exercuiſſe: quamobrem apparet militarem artem eſſe antiquiſſimam, proinde eius autorem neutiquam prodi facilè*



*facilè poſſe ſuſpicor. Veteres autem ante vſum armorum, pugnis, vnde pugna nomen habet, calcibus, ac morſu certabant. Et hæc prima pugnæ origo fuit. Lucretius:*

*Arma antiqua manus, vngues, dentéſque fuerunt.*

*Exin lapidibus, fuſtibúſque pugnari cœptum, teſtis Herodotus libro quarto, cùm de quibuſdam populis loquitur, qui haud procul à Tritone Libyæ fluuio habitabant; ait enim, Horum virgines anniuerſario Mineruæ feſto in honorem ipſius deæ inter ſe bifariam diuiſæ, præliantur lapidibus fuſtibúſque. Affirmat idem Diodorus libro primo ſcribens: eodem modo claua & leonis pellis antiquo Herculi conueniunt, quo tempore nondum arma adinuenta, ſed fuſtibus homines iniurias propulſabant, ac ferarum pellibus tegebant pro armis corpora. Plinius verò in ſeptimo dicit Afros contra Aegyptios, primos prælium feciſſe fuſtibus, quos vocant phalangas. Verùm paulatim hæc diſciplina tanti fieri cœpit, vt nulla maiore cura, ſtudio ac ordine, apud omnes propè gentes conſtaret, repertis exercitus ordinibus, ſigni dationibus, teſſeris, & vigiliis, à Palamede, bello Troiano: & ſub idem tempus, ſpeculari ſignificatione, à Sinone: autor Plinius, qui libro quinto & Phœnicibus bellicarum artium inuentionem aſſignat, ſed apud*

apud Syros, credo. De his ſatis. ſed iam ad ipſa arma tranſeamus.

### De primo armorum, & æneorum tormentorum vſu. CAP. XI.

FErunt, autore Diodoro libro ſexto, Martem primùm fabricatis armis milites armaſſe, cui ob id primus armorum vſus, appellatur enim belli Deus, attribuitur: quod etiam Vergilius ſenſiſſe videtur, cùm in principio ſuæ Aeneidos dixit:

- At nunc horrentia Martis,
Arma virúmque cano.

Cæterùm arma, quæ pro omnibus bellicis inſtrumentis autores vſurpant, alij alia inuenerunt: galeam enim, gladium, haſtam, Lacedæmonij, vt teſtis eſt Plinius in ſeptimo, inuenerunt. Herodotus tamen libro quarto, putat ſcutum & galeam ab Aegyptijs Græcis eſſe traditam. Loricam Mydias Meſſenius, clypeũ Prætus & Acriſius inter ſe belligerantes repererunt, ſiue Chalcus Athamantis filius. Ocreas & criſtas Cares: lanceas Aetolos, iaculum cum amento ferunt reperiſſe Aetolum Martis filium. Falcem, ſecundum Clementem, Thraces: haſtas velitares & pilum Tyrrhenus. Vſus autem velitum, autore Valerio Maximo libro ſecundo, eo bello primum repertus eſt, quo Capuam Fuluius Flaccus Conſul obſe-





dit. Securim Penteſilea Amazonum regina reperit: venabula Piſeus. Arcum autem & ſagittas Scythes Iouis filius. Sagittas, vt alij placet, Perſeus Perſei filius primum inuenit. hæc ex Plinio. At Diodorus Apollini aſſignat, in ſexto ſcribens: Arcus inſuper ſagittandique fuiſſe repertorem Apollinem ferunt. Verùm Artabanus, cuius teſtimonium Euſebius de præparatione euangelica, libro nono citat, Moſen omnium primum bellica inſtrumenta inueniſſe tradit, qui adhuc iuuenis in Aegypto, teſte Ioſepho in ſecundo Antiquitatum, primam glorioſè expeditionem in Aethiopes apparauerit. Nec eò tamen cæteri, quos memorauimus, minus laudis merentur, quando non vnius generis arma vbique vſurpantur, ſed alia alibi. Nihil quoque ab initio tam perfectum excogitatur, cui non aliquid ab inſequentibus commodè addi poſsit. In tormentis Cretenſes ſcorpionem, catapultam Syri, Phœnices baliſtam & fundam, vt teſtatur Plinius, inuenerunt. Vegetius verò libro primo de Re militari, fundarum vſum dicit incolas inſularum in mari Hiſpano, quas Baleares vocamus, comperiſſe: vnde Strabo libro tertio Geograph. illos optimos funditores eſſe vocitatos affirmat. Idem Vergilius ſenſit in primo Georgicorum:

Stupea torquetur balearis verbera fundæ.

Artem bellicarum machinarum, teſte Plutarcho, in vita M. Marcelli, Eudoxus & Archytas inchoarunt. Machinam ad ferenda grauiora onera primus, teſte Vitruuio, extruxit Cteſiphon, qua vſus eſt ad deportandas ex lapicidinis columnas Epheſum, ad Dianæ fanum. Equum autem qui aries dicitur, in muralibus machinis, autore Plinio in ſeptimo, Epeus ad Troiam inuenit: Vitruuio verò libro decimo de Architectu. Carthaginienſes, ad Gades oppugnandas. Teſtudines Artemon Clazomenius inuenit. Et hæc omnia ad hominum perniciem inuenta ſunt, & illud nouitium inuentum in primis, quod bombardam vocant, quo poſt hominum memoriam nihil terribilius ab humano ingenio excogitari potuit, cuius inuentorem fuiſſe tradunt hominem Germanum admodum ignobilem, cui caſu in mentem venit tale quid efficere. Fertur enim homo ad exitium humanum natus, ſeruaſſe aliquando domi in mortario puluerem ſulphureum, cuiuſdam medicinæ faciendæ cauſa, illudque texiſſe lapide, ac inde contigiſſe, vt dum ignem ex ſilice propè excuteret, ſcintilla intrò ceciderit, ſubitóque flamma eruperit, atque lapidem in altum tulerit: & ille eius rei caſu doctus poſtea facta ferrea fiſtula, & puluere confecto, machinam repperiſſe, ac eius vſum Venetis in illo bello



bello primùm oſtendiſſe, quod ad foſſam Clodiam eſt cum Genuenſibus geſtum, qui fuit annus ſalutis humanæ M CCCLXXX. Is itaque tam mortiferæ machinæ repertor, pro mercede, opinor, accepit, vt nomen eius perpetuò occultaretur, ne omni tempore à cunctis mortalibus malè audiret, dignus ſcilicet qui prior ipſe vice Salmonei, fulmine flagraſſet. Salmoneus enim Aeolis filius cùm vellet Iouem in fulminibus iaciendis æmulari, ab eo de cœlo tactus ad inferos detruditur, quando hæc fulmini odore, luce, ſonitu, impetu ſimillima eſt: magna enim vi ignis collecti, emiſſis repentè aut ferreis, aut lapideis pilis, quicquid obuium offendit, quaſſat, diſſipat, frangit, contundit, adeò vt nullus ſanè ſit locus, quamuis natura munitus, quin facilè expugnetur. Ex quo iam vſu venit, vt in ea hoc tempore omnis fermè vis peditum, omnis equeſtris ſplendor, omnis denique bellica virtus indecore conſiſtat, iaceat, obtorpeat. Hæc bombarda vocatur, à bombo, id eſt, ſonitu, qui βόμβος Græcè dicitur: quidam alij tormentum æneum malunt nuncupare. Eius tametſi modò plura ſunt genera, quæ variè vulgò nominantur, & vnum illud minimum, quo nunc pedites vtuntur, qui factitio nomine ſclopus vocitatur. Sclopus enim eſt ſonus ille, qui ex buccarum inflatione erumpit. Perſius:

Nec ſclopo tumidas intendis rumpere
buccas.

Sed vel alio nomine appellatur Arcubuſius, à foramine, opinor, quo ignis in puluerem fiſtula contentum immittitur: nam Itali Buſium vulgò foramen dicunt, & arcus, quod inſtar arcus pugnantibus ſit: quippe hodie huiuſmodi tormenti vſus in primo ſtatim pugnæ loco eſt, quem olim ſagittarij dabant, cùm à miſſilibus præliari inciperent. Sed iam hinc oratio noſtra ad equum bellicoſiſſimum animal ſeſe, non extra vtique propoſitum, transferat.

Quis primus equitandi artem, aut vſum equos domandi, vel eorum vngulas ferreis ſoleis muniendi, ac ornamenta inuenerit, & bigas atq; quadrigas iunxerit, & vehiculũ cum quatuor rotis repererit, & qui ex equo pugnare primùm inſtituerint.

CAPVT XII.

Equo, qui magno mortalibus cum in rebus bellicis, tum in itineribus faciundis, & vſui & adiumento eſt, primùm omnium vehi Bellerophontem Glauci regis filium docuiſſe, Plinius in ſeptimo eſt autor, qui Pegaſum alatum equum, cùm in Chimæram iret, aſcendit. Horatius in carm.

-Et exemplum graue præbet ales
Pegaſus terrenum equitem grauatus Bellerophontem.

Sed



Sed Diodorus lib. VII. ſcribit Neptunum equos primùm domuiſſe, artèmque equitandi ab illo traditam: alij volunt equum hominibus antea ignotũ primùm edidiſſe: quod aſſerit Lucanus, dicens:

Primus ab æquorea percuſſis cuſpide ſaxis
Theſſalicus ſonipes bellis feralibus omen
Exilit. Et Vergilius:
--Tùque ô cui prima frementem
Fudit equũ magno tellus percuſſa tridenti
Neptune.

Frænos autẽ & ephippia Peletronij, qui Theſſaliæ populi ſunt, primi inuenerunt. Iidem, vt quibuſdam placet, domandorum equorum vſum primi docuere, teſtificante vtrunq; Vergilio in tertio Georg.

Fræna Peletronij Lapithæ gyróſque dedere
Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Plinius libro ſeptimo idẽ affirmat. Hos quoq; primos equorum vngulas munire ferreis ſoleis cœpiſſe ferũt. Numidæ, vt vel hoc ſubiungam, teſte Appiano in libro de rebus Libycis, equo nudo, id eſt, ſine ephippijs, in bello vtebantur. Bigas primùm Phrygum natio iunxit, vt Probus & Plinius autores ſunt. Quadrigis verò Erichthonius primus eſt vſus: nam cùm Vulca-



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

*nus, autore Ouidio in ſecundo Metamorph. & Seruio ſuper tertio Georg. impetrato à Ioue Mineruæ coniugio, & illa reluctante, ſemen libidinis proiecisſet in terram, inde natus eſt puer draconteis pedibus, qui appellatus eſt Erichthonius, quaſi de terra & lite procreatus: nam ἔρις eſt lis, & χθὼν terra. Is ad tegendam pedum fœditatem, iunctis equis, primus omnium uſus eſt curru.* Maro:

> *Primus Erichthonius currus & quatuor auſus*
> *Iungere equos, rapidiſque rotis inſiſtere victor.*

*Affirmat idem Plin. Euſebius tamen hoc illi apud Græcos tantum adſcribit, dicens Erichthonius primus quadrigas iunxit in Græcia: erant enim antea apud alias nationes. Id autem fuit Danao regnante Argis. At Arcades illud inuentum Mineruæ aſſignant, & id credo, apud ſe tantum, de qua Cicero de Natur. deorum ita ſcribit: Minerua quarta Ioue nata & Coriphe Oceani filia, quã Arcades Coriam nominant, & quadrigarum inuentricem ferunt. Vehiculum quatuor rotarum, vt teſtis eſt Plinius, Phryges inuenerunt. Pugnare ex equo, ſicut idem ait, Theſſali docuere, qui Centauri dicti ſunt, habitantes ſecundũ Pelium montem. Hinc de Centauris fabula orta apud poëtas, quòd ſemihomines, & ſe-*

*miequi*



*miequi eſſent: quãuis non me præteréat, quandam fabellam ſuper hac re à Seruio narrari in tertio Georg. quæ veluti nugæ reſpuenda videtur. Vera ſunt igitur extra omnem controuerſiam, vti etiam Lactan. inquit, quæ loquuntur poëtæ, ſed figmento aliquo ſpecieque velata, ſicut de Aeolo rege ventorum ſuprà demonſtrauimus. Sed nonnulli tradunt Centauros primos equitare, non ex equo pugnare, eſſe auſos. Diodorus in v. Centauros nonnulli volunt in Pelio à Nymphis nutritos, poſtea equos ſubagitaſſe, exq; eo Hippocentauros natos. Creditum, quòd primi equitare auſi ſint, ex eóque natam fabulam, veluti equi eſſent hominiſque natura, hæc ille hactenus. Et iſta omnia ex iumentis commoda apud alias gentes paulatim inuenta, non defuiſſe illis primis mortalibus credere conuenit: quando ſatis cõſtat Hebræos, Aſſyrios, Arabes, Aegyptios, equis, mulis, & alijs iumentis à principio vſos, quæ aut dorſo ferunt, vel armis currum trahunt. Sed de quorundam ludorum & ſaltationum origine iam diſſeramus, quando hæc rei bellicæ quoque augendæ gratia inſtituta ſunt: ſed opus eſt vt modus adſit, ne, ſicut Cicero in officijs ait, voluptate elati in aliquam turpitudinem iuuenes dilabantur.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Quis primus inſtituerit apud Græcos olympicum certamen, & alios id genus ludos, & pyrrhicam ſaltationem, atque palæſtram: & à quibus inuẽtus ludus pilæ, aleæ, teſſerarum, furunculorum, taloru, par impar, & micare: ac quid ſit teſſera vel calus.

CAP. XIII.

Quatuor ludorum genera apud Græcos præcipua fuiſſe comperio, quorum primi & longè celeberrimi olympici appellati ſunt, ab omnibus ferè poëtis decantati, quoniam in Olympo monte apud Piſam & Elidem, oppida Arcadiæ, Ioui dedicati Pelopis honore celebrantur, quos, teſte Diodoro libro quinto, & Plinio in ſeptimo, & Plutar. in vita Theſei, Herculem Iouis & Alcmenæ filium quidam conſtituiſſe, ibique primùm decertaſſe, & palmam conſecutum tradunt. Sed Euſebius in decimo de præparat. Euangelica, dicit in olympico ſtadio Corylum Argiuum primùm victorem fuiſſe declaratum. Alij autem vt idem Diodorus in ſexto, & Strabo in octauo Geogr. autores ſunt, Herculem vnum ex Idæis Dactylis hoc certamen inueniſſe aſſerunt. Verùm idem Strabo in prænotato libro ab Epeis compertum aſſirmat. Et inferius ait, ab Iphito olympicum agonem inſtitutum conſtare. Fuit is Praxonidis, ſiue Hæmonis filius. Sed Solinus hoc illuſtrius declarat, ſtatim in principio



principio ſui operis ita ſcribens: Quippe certamen olympicum, quod Hercules in honorem atauì materni Pelopis ediderat, intermiſſum Iphitus filius eius inſtaurauit, poſt excidium Troiæ, anno quadringenteſimo octauo. Herodotus libro octauo ſcribit olympicum certamen gymnicum, atque equeſtre fuiſſe, præmiúmq; propoſitum oleaginam coronam, qua donabantur victores. Quapropter Tigranes Artabani filius, eo tempore quo Xerxes bellum in Græcia gerebat, vt idem teſtis eſt, audiens præmium Græcis coronam eſſe, non pecuniam, generoſam illam meritóque laudandam ſententiam dixit, Papæ Mardoni (is enim Xerxi perſuaſit, vt in Græcos bellum moueret) in quos viros induxiſti nos ad pugnandum, qui non pecuniarum certamen agitant, ſed virtutis? Celebrabantur autem hi ludi quinto quoque anno, ſic, vt quatuor anni intereſſent à primo olympiados anno, ad initium & primum annum ſequentis, ſi vera eſt ratio eorum, qui de olympiadis æquè vt de luſtri ſpatio ita putant: idque tempus olympiadem appellabant: ac deinceps apud Græcos tempora per olympiades numerata ſunt, veluti apud Romanos per COSS. quorum magiſtratus annuus erat. Martialis:

Bis iam penè mihi conſul trigeſimus inſtat.

Alteri erant Pythij: nam cùm Apollo Pytho-

nem ſerpentem, qui à Iunone immiſſus, Latonam matrem perſecutus fuerat, ſagittis confeciſſet, ne huius victoriæ memoriam vlla temporis diuturnitas obliteraret, ipſe à Pythone Pythius dictus, ludos Pythios conſtituit. Ouidius in primo Metamorph.

*Néve operis famam poſſet delere vetuſtas,*
*Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,*
*Pythia perdomiti ſerpentis nomine dictos.*
*Hic iuuenum quicunque manu pedibúſve rotáve*
*Vicerat, æſculeæ capiebat frondis honorem.*
*Nondum laurus erat, longéque decentia crine*
*Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.*

Tertij Iſthmij, ab Iſthmo parte Achaiæ nominati, & à Theſeo inuenti, dicente Plutarcho in eius vita: Gloriari etiam quandoque eſt ſolitus ob illū, de Hercule loquitur, Ioui Olympia, ob ſe verò Neptuno Iſthmia à Græcis celebrari. Iſti ludi, teſte eodem Plutarcho, vt quidam volunt, in honorem in primis celebrabantur Scyronis: vt alij Sinnis: vt alij, Palæmonis, quem Latini Portunū vocant. Ouid. in ſexto Faſtorum:

*Quem nos Portunum ſua lingua Palæmona dicet.*

Hic



Hic, autore eodem Ouidio in IIII. Metam. ex Melicerta homine, precibus Veneris, Deus marinus effectus eſt. Verùm Plutarchus alios illi dicatos fuiſſe ludos ſentire videtur in eadem Theſei vita aiens: Quod ibidem in Melicertæ honorem conſtitutum eſt, noctu agebatur, initiandi magis, quàm ſpectaculi aut celebritatis ſpeciem præ ſe ferens, hæc ille. In ijs autem ludis victoribus pinea corona dabatur: de quibus etiam Strabo libro octauo Geograph. meminit, dicens: In Iſthmo Neptuni, quem Iſthmum vocant, templum eminet pinearum arborum luco circunclusum, vbi ludos Iſthmios decertantes Corinthij celebrare ſoliti ſunt. Et Solinus itidem aſſirmat, ſcribens huiuſmodi ſpectaculum per Cypſelum, qui, teſte Herodoto in primo, Periandri Corinthiorum regis pater fuit, intermiſſum Corinthios Olympiade XLIX. ſolennitati priſtinæ reddidiſſe. Quarti Nemeæi, à Nemea ſylua vocitati, quos Argiui, autore Strabone libro octauo Geograph. & Polybio libro ſuarum hiſtoriarum ſecundo, celebrare conſueuerunt, ob Herculis memoriam, qui Nemæum Leonem interfeciſſet. Vergilius:

*Compreſſit Nemeæ primùm virtute Leonem.*

Pyrrhicam ſaltationem pro iuuenibus ad militarem artem exercēdis, Pyrrhus, autore Pli-

nio

Universidad de Deusto
Biblioteca



nio libro VII. in Creta primus inuenit. Solinus verò ſcribit à Pyrrhico repertam fuiſſe, dicens: Pyrrhico repertore equeſtres turmas Creta prima docuit laſciuas vertigines implicare, ex qua diſciplina bellicæ rei uſus conualuit. Verùm Strabo cuidam Cureti aſſignans, ſecus videtur ſentire: niſi fortaſſe Pyrrhicus vnus ex Curetibus fuerit, in X. cum de Creta loquitur: Quos principio Curetem illis oſtendiſſe ferunt, deinde inſtruxiſſe, vt ſaltationem, quam Pyrrhicam appellauerit, ſaltarent. Et alibi idem aſſerere videtur ſcribens Curetes primò armiſeram ſaltationem introduxiſſe, quando Dionyſius Halicarn. in VII. apertè demonſtrat Pyrrhicen ſaltationem eſſe armatam, & ab ipſis etiam Curetibus, aut à Pallade inſtitutam. Plinius tamen in ſeptimo, manifeſtiſſimè oſtendit, armatam ſaltationem aliam eſſe ab ea, quam Pyrrhicam vocant, & illam à Curetibus, hanc à Pyrrho inuentam, & vtranque in Creta. Tranquillus autem dicit ludum ipſum, quem vulgò Pyrrhicen appellant, Troiam vocari, & eius originem expreſſit in libro de puerorum luſibus. Quis igitur mẽtis compos in tanta ſuper huiuſce rei origine, ſcriptorum diſſenſione, pro certo quicquam auderet affirmare? De hac ſaltatione inſuper Apuleius in decimo de Aſino aureo, abundè meminit. Troiæ vero ſpecta-

culum



culum ludicrum quale foret, Maro in quinto diſſertiſſimè tradit, vbi à Troianis oſtendit nomen habere illo verſu,

Troiáque nunc pueri Troianum dicitur agmen.

De quo etiam Suetonius in Cæſare meminit. Feſtus luſum equeſtrem puerorũ vocat. Gymnicos ludos, id eſt, in quibus nudi & perunctiſe exercebant, Lycaon, teſte Plinio, primus inuenit. Funebres Acaſtus, vt idem ait, in Iolcho, poſt eum Theſeus in Iſthmo. Palæſtrã, vt Diodorus eſt teſtis, Mercurius inſtituit. Horatius in carm.

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum,
Voce formaſti catus & decoræ more palæſtræ.

Aleæ verò teſſerarũmque ludum, & pilæ, cæteráque luſoria animi recreandi gratia inuenta, præter quam talaria, Lydi populi Aſiæ, teſte Herod. lib. I. omnium primi excogitauerunt. Quare miror Plinium ab Herodoto diſcrepare, qui in ſeptimo ſcribit Pythum quendam luſoriam pilã reperiſſe: niſi fortaſſe alterutrum de alia pila (ſunt enim plura pilarum genera) intellexerit. Atqui Lydos eiuſmodi aleatorias artes non tam voluptatis, quàm compendij gratia excogitaſſe, idem Herodotus tradit. Nam cum grauitate annonæ pa-

tria

tria præmeretur, ſic famem cōſolari ſolebant, altero quidem die cibum ſumentes, altero ludis operam dantes. Eſt vel aliud ludi genus, quo calculis in tabula luſoria, id eſt, fritillis & alueolis luditur, inuentum olim circiter annum orbis conditi, ter milleſimum DCXXXV. à quodā viro ſapiente, nomine Xerxe, qui ita tyranni ſæuitiam coërcere metu, ac cum documento monere volens, oſtendit maieſtatem ſine viribus, benignūmque adminiculis, parum admodum valere atque tutam eſſe, quādo per iſtiuſmodi ludum ſatis patebat regem facilè oppreſſum iri, niſi inuigilaret, à ſuiſque defenderetur. Vocant hodie hoſce calculos ſeu ſcrupos furunculóſve quibus præliando ludimus (eſt enim certamen inſtar prælij) ſchacos, à ſcandendo forſitan dictos, quòd calculi cùm mouentur, in alteram aduerſariam partem ſcandere videātur. Ludus omnibus notus eſt: quare ſatis de eo habeo dictum, cùm monſtrauerim originem. Cæterùm de teſſeris ac talis appoſitè aliquid diſputemus, cum hæc ludicra ſint tam notiſſima, quàm eorum nomen multis adhuc non planiſſimum factū videatur. Sanè teſſeram dicimus, quòd ex omnī parte quadrata ſit, quæ octo habet angulos, & ſex latera punctis notata, quæ in tabula luſoria plurimum luditur. Vulgus teſſeram vocitat talum, ſiue per diminutionem taxillum,



lum, qui nunc nuſquam ferè gentium in vſu eſt, tantum abeſt vt ille quid ſit talus intelligat. Porrò talus eſt oſſis genus, quod in articulo pedum duntaxat poſteriorum eminens, concaua in vertebra ſuffraginum, quæ eadem ſunt in poſterioribus animalium pedibus, atque genua in prioribus: ligatur ſolidis neruis, forma penè quadratum, & parte altera concauum, altera aliquantulum curuum, eſtq́; animalium biſulcis, hoc eſt, bobus, ouibus, capris, damis, & reliquis, præterea nullis alijs ſolidas vngulas aut digitos habentibus. Hoc genere oſſiculi veteres ludebant ſic: Latus quod vnicum numerum notabat, canis aut canicula appellabatur: ſi quis iactando caniculam vertiſſet, is nummum vnum deponebat, vel quantum inter ludentes conueniſſet. Vnde Perſius, Damnoſa canicula quantum Raderet. Contrà in altero latere Venus ſiue cous dicebatur, ſeptenarium numerum ſignificans. Is qui eum numerum iactando talos reddidiſſet, ſex lucrabatur, & quicquid etiam ex iactu caniculæ depoſitum eſſet. Duo alia latera chius & ſenio nominabantur, & ille ternarium, hic quaternarium ſignificabat: quippe in talis, neque binarius, neque quinarius erat numerus. Igitur qui chiū iactabat, treis nummos: qui ſenionem, quatuor lucrabatur, qui propterea dexter nuncupabatur. Perſius:

Quid

Universidad de Deusto Biblioteca

Quid dexter ſenio ferret, Scire erat in voto. Si enim pluribus poſitis talis, eadem foret facies, pro vno accipiebatur, quia diuerſitas numerum augebat. Fuit & alius ludendi modus, per vulturios, ac Herculem baſilicum. Plautus: Talos poſcit ſibi in manum, prouocat me ad aleam, iacit vulturios quatuor, Talos arripio, Herculem iacto baſilicum. Ita apud nos ſexcenti ſunt modi ludendi ad aleã: eſt enim alea omnis fermè ludus, qui in varietate fortunæ conſiſtit, vt ſunt teſſeræ cum primis, & chartæ luſoriæ, cum quibus qui ſe valde delectãt, maximè omniũ ſemper egent. Sed talorum vſus haud penitus obſoleuit. Vidi ego in Flandria mulieres talis ludentes, quæ multos habebant vario colore pictos, vel ex ebore factos, quemadmodum veteres præter naturales talos, ex alia materia factũ vſos eſſe memoriæ proditum eſt. De origine verò ludi non habeo quicquam certi tradere. Ratio ipſius ludi, quam ſuprà poſuimus, videtur ſignificare Romanum eſſe inuentum: fuit tamen celebris & apud Græcos: ſiquidem Euripides talorum numerum vſque ad quadraginta auxiſſe fertur. Talus Græcis ἀστράγαλος dicitur. Alia quoque fuerunt apud antiquos ludorum genera, quibus etiam nunc vtimur, autoribus tamen minimè proditis, vt illud, par impar ludere, cũ quis numos manu occultat,



occultat, petitque ab altero, parne an impar eorum numerus ſit. Suetonius de Auguſto, ſcripſit ad filiam: Miſi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos ſingulis conuiuis dederam, ſi vellent inter ſe poſt cœnam, vel talis, vel par impar ludere. Item aliud, digitis ſortiri, quod fit, cùm duo clauſis manibus, vocando certum numerum, ſubinde digitos porrigunt. Verbi cauſa, Ego tres digitos explico, tu totidem, ipſe quatuor nomino, tu verò ſex, ita tu qui numerum vocando diuinaſti, iam viciſti. Et quia digiti ita explicati ſubitò apparent, idcirco per metaphoram micare dicitur. Varro: Micandum erit cum Græco, vtrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur. Italis ludus notus eſt, vulgóque mor appellatur, quaſi μωρῶν, id eſt ſtultorum ludus, quòd digitorũ iactatio ſignum ſit leuitatis: ideò virum grauẽ micare non decet.

## De quorundam ludorum origine apud Latinos. CAP. XIIII.

Lupercal, quod, autore Dionyſio, ſpelunca erat ſub monte Palatino, ab Euandro ſacrata Pani Deo Arcadiæ, qui Lycæus dicitur, ex eo dictum nonnulli autumant, quia ibi per caprum luebatur, hoc eſt, ſacrificabatur: tametſi Plutarchus in vita Romuli pro-



Universidad de Deusto Biblioteca

primum eius celebritatis fuiſſe inquit, vt Luperci canem immolarent. Alij ſcribunt à lupa, quæ ibi Romulum & Remum nutriſſet, aut quòd hic locus, quod veriſimilius eſt, Pani Lycæo conſecratus eſſet: λύκος enim Latinè Lupus dicitur: aut quod Pan lupos arceat. Vnde lupercalia ludicra, quæ teſte Plutarcho expiationis cauſa fiebant, Lycæa dicta, à Pane Lycæo numine Arcadico, quem, autore Liuio ab vrbe condita, Romani Inuum vocabant, & idem putabatur eſſe Faunus, vel vt Feneſtella tradit, Syluanus. Sacrificabatur autem Lycæo menſe Februario, in hunc ferè modum. Iuuenes Lycæum Pana venerantes per luxum atque laſciuiam, currebant, ferentes ſcuticas ex caprinis pellibus factas. Vnde Feſtus tradit crepos, id eſt, lupercos à Romanis dictos, à crepitu pellicularum quem faciebant verberantes. Mulieres vltrò ſe ad verbera offerebant, arbitrantes eam rem ad fœcunditatem conducere. Iuuenalis:

Nec prodeſt agili palmas præbere luperco.

Hoc autem ludicrum Euander ex Arcadia primus in Latium intulit. Ouidius:

Tranſtulit Euander ſyluestria numina ſecum.

Teſtatur idem Vergilius in octauo, Liuius, Dionyſius, & Feneſtella. Quòd verò nudi currebant, Trogus, & Ouid. libro ſecundo Faſt. ex imitatione habitus ipſius Dei, cui





hæc ſacra fiebant, hunc morem fluxiſſe tradunt. Sed Feneſtella & Seruius alias etiam huiuſce rei rationes reddunt, quas Ouidio latè proſequente, ego in medium proferre ſuperſedeo. In iis autem ludis, quod non longè ab re eſt, M. Antonius nudus & perunctus, autore Appiano in ſecundo de bellis ciuilibus, Cæſaris capiti diadema intulit. Erant deinde Circenſes, ſic enim appellabantur, quaſi circum enſes: nam, teſte Seruio ſuper tertio Georg. cum rudis vetuſtas nondum loca huiuſcemodi ludis apta ædificaſſet, inter enſes & flumina eos celebrabat, vt ab vtraque parte eſſet ignauis præſens periculum. Exin circus, id eſt, locus muris ſeptus, ab ipſis circenſibus denominatus, in quo ludi fiebant, ædificatus eſt: de quo Liuius ab vrbe condita ait: Tum primùm circo, qui nunc maximus dicitur, deſignatus eſt locus. Diſponebatur autem circus in formam ſpatij oblongi, & in ſummitate eius carceres erant, vnde æqui curribus vincti ad curſum mouebantur, & cum ad ſummum deueniſſent, reuoluebantur, donec ad priorem metam deuenirent. Exercebantur etiam pugiles in medio loco muneribus collocatis. Vergilius in quinto Aeneidos:

Munera principiò ante oculos circóque locabant.

Solennes deinde manſere huiuſmodi ludi Ro-

Universidad de Deusto Biblioteca

mani, & Magni variéq; appellati. Erãt inſuper Saturnalia, quorũ dies lætitiæ pleni erant & menſe Decemb. magnificè apparatéque celebrabantur. Hinc Mart. in Xeniis dicit:

Poſtulat ecce nouos ebria bruma ſales.

In quibus, vt idem teſtis eſt, amici inter ſe munera mittebant, & quæ primò mittebantur, xenia, quaſi hoſpitalia, hoc eſt, ad hoſpites miſſa vocabantur: ξένος enim Græcè hoſpes appellatur: quæ verò remittebantur, apophoreta, quòd ἀποφέρειν ſignificat referre. Hæc autem ſacra Ianus, autore Macrobio, Saturno, quicum vnà concors regnauit, primus inſtituit: quidam à Pelaſgis, alij ab Athenienſibus, vt idem dicit, ortum habuiſſe volunt. Et quoniam ſub Saturno omnia communia erant, hinc, teſte Iuſtino in XLIII. ſuæ Epitomes cautum erat, vt Saturnalibus exæquato omnium iure, paſſim in conuiuiis ſerui cum dominis recumberent. Erant & ludi Gladiatorij, quos diuus Cyprianus ad Donatum execratur: Paratur, inquit, gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet: homo occiditur in hominis voluptatem, & quis poſſit occidere, peritia eſt, vſus eſt, ars eſt, ſcelus non tantũ geritur, ſed docetur, &c. De eorum autem origine & cauſa, Iulius Capitolinus in vita Max. & Balbini principum hæc commemorat: Multi dicunt apud veteres





hanc deuotionem contra hoſtes factam, vt ciuium ſanguine litato, ſpecie pugnarum, ſe Nemeſis, id eſt, vis quædam fortunæ, ſatiaret. Alij hoc literis tradunt, quod veriſimilius credo, ituros ad bellum Romanos debuiſſe pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter ſe cohortes, ne dimicantes in bello armatos hoſtes timerent, aut vulnera & ſanguinem perhorreſcerent. Hinc mos tractus videtur, vt Imperatores ad bellum proficiſcentes munus darent gladiatorium. Habebant præterea plura ludorum genera, quæ campus Martius, vti in Offic. lib. Cicero ait, iuuenibus exercitationis bellicæ cauſa ſuppeditabat, quæ nos hîc ſtudio breuitatis omittimus: alibi reliqua dicturi, libro IIII. cap. vlt. cùm eos exponemus ritus, qui hodie apud nos quoque ſeruantur, & ludos, qui religionis cauſa in primis fiebant.

## Quis primus inuenerit inducias, & fœdera, & de eorundem vario faciendorum ritu, ac quot eſſent genera. CAP. XV.

INducias primus omnium, autore Plinio libro ſeptimo inuenit Lycaon. Sunt autem induciæ (non eſt enim hoc ſilentio prætereundum) pactum quoddam & ceſſatio pugnæ, manente tamen bello, vti teſtis eſt Gellius in primo Noctium Atticarum, paucorum dierum: hoc eſt, vt vſque ad certum diem non

Universidad de Deusto
Biblioteca



pugnetur, nihilque incommodi detur, ſed ex
eo die poſtea vti iam omnia belli iure agantur.
Quinetiam horarum quoque atque annorum
induciæ ſunt. Gellius enim in prænotato libro
tradit, in primo annalium Quadrigarij ſcri-
ptum eſſe, C. Pontium Samnitem à dictatore
Romano ſex horarum inducias poſtulaſſe. Li-
uius verò ab vrbe condita libro primo, Indu-
ciæ, inquit, Vegentibus in XL. annos datæ.
Et in VII. Cæriti populo in centum annos.
Fœdera idem Plinius eſt autor Theſeum pri-
mùm comperiſſe. Sed Diodorus lib. ſexto Mer-
curio aſsignat, ita ſcribens: Tribuunt præterea
Mercurio præconia, diſsidia, ac fœdera, quæ in
bellis fiunt. Hæc ille. Verùm ego puto Theſeum
apud Græcos duntaxat fœderũ autorem fuiſ-
ſe, quando ex Ioſepho de Antiquitatibus Iu-
dæorum, facilè deprehendimus, cùm ante-
rum Cecropis temporibus, poſt quem, teſte Eu-
ſebio in decimo de præparatione Euangelica,
omnia apud Græcos memoratu digna narran-
tur, fœderis paciſcendi morem apud Aſſyrios
& Aegyptios, nonnullóſque alios fuiſſe, ſed
præſertim apud Hebræos. Nam Iacob, qui mul-
to ante Cecropem fuit, apud eundem Ioſephũ
legimus, cum Laban ſocero fœdus feciſſe: de-
inde Moſen, qui, autore Euſebio, Cecropis
tempore fuit, vltrò certum fœdus obtuliſſe
quibuſdam regibus, cùm ſibi per deſerta lo-
tutum



tutum iter peteret. Ex his etiam IESVM Mo-
ſis ſucceſſorem cum Gabaonitis fœdus percuſ-
ſiſſe conſtat. Quapropter huius rei certum
autorem temporũ longinquitate obliteratum,
nequaquam in lucem proferri poſſe duco. Fœ-
derum autem tria olim fuiſſe genera reperio:
vnum, cùm bello victis dabantur leges à vi-
ctore, ipſiúſque ius & arbitrium erat, ex iis
quæ dedita fuiſſent, habere quæ vellet, &
mulctare. Alterum, cùm bello pares æquo fœ-
dere in pacem & amicitiam veniebant: tunc
enim fas erat repeti res, reddique ac compo-
nitas, per quas poſſeſsio turbata foret. Ter-
tium, cùm qui hoſtes nunquam fuerint, ad
amicitiam ſociali fœdere inter ſe iungendam
coibant: tum q̃ neque dare neque accipere le-
ges debebant, id quod aut victoris aut vi-
cti eſſe conſtat. Fœdus præterea alio alibi
ici conſueuit modo. apud Romanos enim, teſte
Liuio ab vrbe condita, volumine primo, fecia-
lis ſacerdos ex iuſſu regis, ſumpta ex arce gra-
minis herba pura, vt in noſtris Prouerbijs do-
cuimus, feriebat porcum ſilice, dicens: Sic à
Ioue feriatur is, qui ſanctum hoc fregerit fœ-
dus, vt ego hunc porcum ferio, &c. At Poly-
bius lib. III. cùm de primo fœdere inter Roma-
nos & Carthaginienſes icito meminit, aliũ ritũ
fuiſſe demõſtrat: ait enim, Simulatq; de fœdere
inter partes cõuenerat, fecialis ſumpto in mani-


bus

bus lapide, dicebat: Si ſine dolo malo hoc fœdus facio, dij mihi cuncta felicia præſtent: ſin aliter aut ago aut cogito, cæteris ſaluis, ſolus ego peream, vt hic lapis è manibus meis decidet: & mox lapidem deijciebat. Arabes autem quoties fœdus faciebant cum alijs, quidam medius inter vtrunque ſtans, acuto lapide feriebat volã, iuxta maiores digitos ipſorum qui fœdus agebant: deinde ſumpto flocco ex vtriuſque veſtimento, inungebat eo ſanguine ſeptem lapides in medio poſitos, inter vngendum inuocans Dionyſium, & Vraniã. Hoc acto, idem qui fuerat ſequeſter fœderis inter amicos cõtrahendi, vadabatur pro hoſpite, aut fortè pro ciue, ſi cum ciue res agebatur. Quod fœdus & ipſi qui amicitiam contrahebant ſeruare iuſtum cenſere. Scythæ verò hoc quippe modo ſanciebant. Infuſo in grandem calicem fictilem vino, commiſcebant eorum ſanguinem qui ferirent fœdus, percutientes cultello, aut incidentes gladio aliquantulum corporis, deinde in calice tingebant ſagittas, ſecurim, iaculũ: hæc ſimulatq; feciſſent, ſeſe multis verbis deuouere, poſtea vinum epotare, non modò ij qui fœdus faciebant, ſed etiã comites illi, qui erant maximæ dignitatis. Sic fermè apud Romanos iuſiurandum inter factioſos confirmabatur, teſtificante Salluſtio, qui ſcribit Catilinã humani corporis ſangui-





nem vino permiſtum in pateris circumtuliſſe ſociis coniurationis, & eos ſingillatim deguſtaſſe, quò inter ſe magis fidi forent. Atqui hodie illud idem fit inter eos, qui ad aliquod inſigne ſcelus faciendum conſpirant. Item Barcæi pactionem in hanc formulam conſtabant. Feriebant enim fœdus ſuper occultam foſſam, & quoad humus ea ita ſe haberet, tandiu fœdus in ea regione ratum fore ſentiebant, autor Herodotus libro tertio, quarto & quinto. Et ſic alij alio pacto denique ſanciebant: id quod ſi perſequi vellem, eſſem profectò longior æquo, ſimulque parum vtiliter excluderer tempore.

A quo mos triumphandi fluxerit, & quis primus apud Romanos triumphum, aut ouationem duxerit, ac quis triumphare, aut ouare liceret, & de ritu vſpiam ponendi trophæi.

## CAPVT XVI.

Dionyſium, hoc eſt, Liberum patrem, primum omnium multarum gentium ſpoliis onuſtum triumphaſſe, Diodorus libro hiſtor. V. & VI. & Plin. in VII. atque Solinus tradunt. Deinde apud pleroſque populos vſus triumphandi inoleuit: nam Carthaginienſium Imperatores rebus bene geſtis, triumphum ducere ſolebant, dicẽte Iuſtino

Universidad de Deusto
Biblioteca



libro ſuæ Epitomes XIX. Haſdrubal grauiter vulneratus, imperio Hamilcari fratri traditô interiit, cuius mortem tum luctus ciuitatis, tum & dictaturæ XI. & triumphi quatuor inſignem fecere. Verum apud Romanos præcipuus triumpho honor fuit. Romulus enim primus omnium, teſte Dionyſio, deuicto Acrone Cæninenſium rege, Lauro coronatus, & quatuor vectus equis, vrbem ingreſſus eſt, ſpoliaque hoſtilia Ioui Feretrio conſecrauit. Cæterũ Liuius de corona laurea & curru in hac pompa, non meminit, neque Plutarchus in vita Romuli. Eutropius vero primum triumphum Tarquinio Priſco tribuit, deuictis Sabinis. Sed deinceps pompa triumphi inſolens atque ſumptuoſiſſima, omnem priſcæ mediocritatis formam exuit, modúmque exceſſit: nam triumphantes vehebantur equis albis, quibus primus omnium, teſte Liuio ab vrbe condita libro V. & Plutarcho, Camillus vſus eſt, eiúſq; triumphus ea de cauſa clarior fuit quàm gratior, & curru inaurato, corona, vt teſtis eſt Gellius aurea redimitus, & deuictis hoſtis oneratus colla catenis, currum ſequebatur, præeunte ſenatu. & ſic in Capitolium aſcendebãt ad templum Iouis opt. Max. vbi mactato tauro albo, deinde domũ redibãt. Erat præterea minor triumphus, quæ ouatio appellabatur, vel quia, vt Plutarchus ſentit in

vita



vita Marcelli, ouis mactabatur: vel quia, ſicut Feſto placet, redeuntes ex pugna victores milites lætabundi ingeminabant o literam. Ouandi autem ac non triumphandi, autore Gell. lib. V. cauſa erat, cum aut bella non ritè indicta, neque cum iuſto hoſte geſta erant, aut hoſtium nomen humile, vt ſeruorum, aut deditione repentè facta, ſi incruenta victoria obueniſſet, minúſve quinque millia hoſtiũ vna acie cecidiſſent: ita enim lege exceptum erat. Et ne prius lex ex cupiditate laureæ antiquaretur, ei altera ſuppetias tulit, quæ Imperatoribus pœnam minabatur, qui aut hoſtium occiſorum, aut amiſſorum ciuium falſum numerum literis ſenatui auſi eſſent referre, autor Valerius Maxim. libro II. Non ſiebat inſuper ius omnibus triumphandi, licet res triumpho dignas geſſiſſent, quod quatinus Liu. volumine primo de bello Macedonico planiſſimè declarat, cuius ideo verba ponam: ait enim, Per idem tempus L. Cornelius Lẽtulus proconſul ex Hiſpania rediẽt, qui cùm in ſenatu res ab ſe per multos annos, fortiter feliciterque geſtas expoſuiſſet, poſtulaſſetque vt triumphanti ſibi inuehi liceret in vrbem, res triumpho dignas eſſe cenſebat ſenatus, ſed exemplum à maioribus non accepiſſe, vt qui neque dictator, neque conſul, neque prætor res geſſiſſet, triumpharet. Et infrà ſuggerit: Et ſenatuſconſulto

L. Len

Universidad de Deusto
Biblioteca



L. Lentulus ouans vrbem eſt ingreſſus. Ouan-
tes verò, teſte Plinio lib. XV. myrto coronaban-
tur: quia hæc arbuſcula, vt Plutarchus ait,
vim maximè belláque peroſa eſt, & equo ve-
cti ibant, militibus deinde comitantibus in
Capitolium, vbi ex oue ſacrificabant, ſicut triũ-
phantes ex tauro. At Lacedæmonij, vt hoc quo-
que commodum ſubnectam, autore Plutarcho
in vita Marcelli, contrario Romanorum more,
cùm bellum dolo malo confeciſſent, taurum ma-
ctabant: ſin armis rem geſſiſſent, gallum. Sed
ad rem redeamus. Sabinus Maſſurius, teſte
Gell. pedibus ingredi ouantes dicit, ſequenti-
bus eos non militibus, ſed vniuerſo ſenatu. Pri-
mus autem omnium, autore Plinio lib. XV. Poſt-
humius Tubertus ouans ingreſſus eſt vrbem.
Fuit item, teſte Cicerone libro poſteriore de in-
uentione, vſus Græcis, cùm inter ſe bellum geſ-
ſiſſent, vt hi qui viciſſent, trophæum aliquod
in finibus ſtatuerent, victoriæ modò in præſen-
tia declarandæ cauſa, non vt in perpetuũ belli
memoria maneret. Quare cùm Thebani ali-
quando Lacedæmonios bello ſuperauiſſent, &
æneum trophæum poſuiſſent, apud commune
Græciæ conſilium accuſati ſunt, quòd contrà,
quàm ritus eſſet, æternum inimicitiarum mo-
numentum ſtatuiſſent. Sed conſuetudo vetus
fuit, vt eo loci vbi hoſtes deuicti fuiſſent, arbo-
rum ramos inciderent, & in truncis ſuſpende-
rent



rent ſpolia hoſtibus detracta, aut in montibus
idem facerent. Sic Aeneas de Mezentij exu-
uijs trophæum poſuit, Vergilius libro XI.

Ingentem quercum deciſis vndique ramis
Conſtituit tumulo, fulgẽtiaq; induit arma,
Mezẽti ducis exuuias, tibi magne trophæũ
Bellipotens aptat rorãtes ſanguine criſtas,
Teláque trunca viri.

Cæterùm cùm de
coronis facta ſit mentio, non alienum erit ea-
rum originem ſubijcere.

Qui primi coronas inuenerint, & de va-
riis earum generibus, & à quibus ciues coro
nandi conſuetudo manauerit, & de vſu co-
ronarum in conuiuiis, inibique locus Ver-
gilij enodatus: ac vnde mos, vt coronati
ſupplicarent Deo, epularenturque in fune-
re faciundo, ac ſpectarent ludos.

## CAPVT XVII.

Coronarum repertorem, teſte Plinio lib.
XVI. ferunt Liberum patrem fuiſſe, qui
primus omnium impoſuiſſet capiti ſuo coro-
nam ex hedera: poſtea Deorum honori ſacri-
ficantes ſumpſerunt, victimis ſimul coronatis.
Reperimus tamen longè antiquiorem corona-
rum vſum: nam Moſes, qui multis ſeculis, vt
teſtis eſt Euſebius in X. de Euangelica præpa-
ratione, præceſſit Liberum patrem, multas
aureas coronas fecit, de quibus Ioſephus ple-
nè meminit in III. Antiquitatum, cùm de
ſacerdotum indumentis loquitur, & in VIII.
ſcrib

Universidad de Deusto Biblioteca



*ſcribens: Corona verò, in qua Deum Moſes
inſcripſerat, vna fuit, quæ ad hunc vſque
diem permanſit. Principio ex arborum ramis
fieri coronas in ludis & ſacris certaminibus
mos fuit, poſtea varia florum mixtura compo-
ni cœperunt. Has Glycera primùm adinuenit,
vt ait Plin. lib. XXXV. cap. XI. cùm de Sicyo-
nio pictore meminit: Amauit in iuuenta Gly-
ceram municipem ſuam, inuentricem corona-
rum, certandoque imitatione eius ad nume-
roſiſſimam florum varietatem perduxit artem
illam. Verùm idem lib. XXI. veriſque hoc
potius aſſignare videtur, ſcribens: Poſtea va-
riari cœptum mixtura verſicolori, florumque
inuicem odores coloreſque accendere. Sicyo-
ni ex ingenio Pauſiæ pictoris atque Glyceræ co-
ronariæ dilectæ admodum illi, cùm opera eius
pictura imitaretur. Paulò poſt ſubiecit, quæ
vocantur Aegyptiæ, ſiue hyberna, tunc cum
terra horret, factæ è bracteis ligneis ſiue e-
burneis, varijs coloribus infectis. Venerunt
deinde è lamina ænea tenui inaurata aut ar-
gentata, quæ propter gracilitatem corollæ di-
cuntur. Craſſus autem diues, autore Plinio
lib. XXI. primus ſuis ludis coronam aureis ar-
genteiſque folijs dedit, & alij alias, oblitera-
tis tamen eorum nominibus. Hinc deniq; mul-
tiiuges coronæ manarunt: erant enim milita-
res coronæ, id eſt, triumphalis, quæ donabantur*

Imperat



*Imperatores. Muralis, quam Imperator dabat
illi qui primus muros ſubiiſſet. Caſtrenſis, quæ
eum donabat Imperator, qui primus in hoſtiū
caſtra pugnans introiiſſet. Naualis, qua dona-
ri aſſolebat is qui primus in hoſtium nauem
tranſiliuiſſet. & hæ ex auro fiebant. Sed trium-
phalis ab initio ex lauro fuerat, oleagina, qua,
vti antea diximus, victores in olympico ſta-
dio donabantur, myrthea, qua ouantes corona-
bantur. obſidionalis, quam Plinius in XXII.
cunctis coronis præponit. Hanc autem illi qui
liberati erant obſidione, dabant ei duci, qui li-
beraſſet: & ea graminea erat, ex eo gramine
quod ibi natum fuerat, vbi obſidebantur. Erat
præterea ciuica corona procul dubiò celeberri-
ma, quam ciuis ciui à quo ſeruatus fuiſſet in
prælio, teſtem vitæ ſalutiſque perceptæ dabat:
ea fiebat ex fronde querna, quoniam quercus
primùm mortalibus victū præbuiſſet, vel quia,
ſicut Plutarcho placet, Ioui, in cuius tutela
ſunt ciuitates, ſacra quercus eſt: vel aliis de
cauſis, quas ipſe in vita Coriolani aſſatim
exponit. De hac Plinius lib. XVI. meminit ap-
pellans eam militum virtutis inſigne clariſ-
ſimum. Ex quo non temerè Antoninus Pius,
teſte Capitolino, Scipionis auream illam, vt
ita dixerim ſententiam frequēter vſurpabat,
dictitās, malle ſe vnum ciuem ſeruare, quàm
mille hoſtes occidere. Hanc autem conſuetu-*

dinem

Universidad de Deusto
Biblioteca



*dinem ciues coronis donandi, autore Valerio
Max. lib. II. Athenienſes primi omniū intro-
duxerunt, hoc honore vberrimo virtutis ali-
mento primum Periclem decorātes. Erant in-
ſuper coronæ gemmatæ, vallares, roſtratæ, &
ſpiceæ, quam Plinius lib. XVIII. tradit pri-
mam apud Romanos fuiſſe coronam. At coro-
nas ex cinnamomo, idem autor eſt in duodeci-
mo, interraſili auro incluſas, primus omnium
in templis Capitolij atque Pacis dicauit Im-
perator Veſpaſianus. Sic demum eò coronarū
luxuria proceſſit, vt Græci in cōuiuijs, ſympo-
ſiiſque (ita enim Græcè compotationes vocan-
tur) coronis vterentur infunderéntque in pa-
teris hilaritatis gratia. Cuius rei, vt in ter-
tio huius operis volumine dicemus, Iones au-
tores extiterunt. At illud Cleopatræ exēplum
occurrit: nam apparatu belli Actiaci, gratifi-
cationem ipſius reginæ Antonio timente, nec
niſi prægustatos cibos ſumente, cum eo luſit
extremis coronæ floribus venenatis: ſanè pro-
cedente hilaritate, inuitauit Antonium, vt co-
ronas biberēt. ecquis ſcilicet iſtas timeret in-
ſidias? Ergo coniecta in ſcyphum corona, An-
tonio incipienti haurire, oppoſita manu, En
ego ſum inquit, illa, chare Antoni, quam tu
noua prægustantium diligentia caues, adeò
mihi ſi poſſē ſine te viuere, occaſio & ratio ne-
candi adeſt. Inde eductū è cuſtodia vinctum*





*bibere iuſſit, qui ſumpto potu, illicò occidit, au-
tore Plinio li. Naturalis hiſtor. XXI. Artaxer-
xem etiam Perſarum regem, in potatione coro-
na eſſe vſum à Plutarch. in vita Pelopidæ acce-
pimus. Ad hunc igitur bibendi morē dixerim
poetam alluſiſſe in primo Aeneidos, illo verſu.*

*Crateras magnos ſtatuūt, & vina coronāt.*

*Et in VII. eiuſdem operis:*

*Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.*

*Item moris fuit olim Italorum, vt coronati
ſupplicarent Deo, pro ſe, ſuiſque. Sic teſte Cic.
lib. Tuſcul. primo, & ad Attic. VIII. Neapo-
litani coronati ac municipia vota fecerunt
pro Pompeio ægrotante. Sic Græci epulaban-
tur, dum funus facerent, idem Cic. autor, qui
li. de Legibus II. cùm de ordine exequiarū a-
pud Græcos meminit, ita ſcribit: Sequebantur
epulæ, quas inirent propinqui coronati. Sic
Romani coronati ludos Romanos ac Apollina-
res, autore Liuio lib. extremo X. dec. primæ,
& V. dec. III. ſpectabāt. Sicque hodie cùm ali-
bi, tum apud Anglos, ſtatis ſolennibuſque die-
bus ſacerdotes coronati in ſupplicationibus
publicis incedunt, & præſertim Lōdini ſacer-
dotes Paulini, menſe Iunio, die diuo ipſi Paulo
Apoſtolo ſacro, qui ſimul omnia eius diei ſa-
cra coronati curant, faciūntque. Sed iam ad
vnguentum tranſeamus, quod haud quaquam
minus quàm corona, ad luxum pertinet.*

### De antiquiſsimo vſu vnguentorum, & quando primùm ea cognita Romanis.

CAPVT XVIII.

*QVis primus vnguēta inuenerit, non traditur. Iliacis temporibus non erant, ait Plin. Cui Ioſephus in ſecundo Antiquitatum minus aſſentiri videtur, ſcribens: Iacob, qui, teſte Euſebio, multis tēpeſtatibus ante Troianum bellum fuit, miſiſſe in Aegyptū ad Ioſeph filium ſuum id temporis apud Pharaonem annonæ præfectū, inter cætera munera, vnguentum. Et in tertio eiuſdem operis, cùm de purgatione tabernaculi & ſacerdotum ſermonem habet, quem Moſes inſtituit, qui fuit ante CCCL. annos, quàm Troia exciſa eſt, ait: Purificauit autem & tabernaculum & ſacerdotes hoc modo: ſumpſit ſiclos quingentos, & totidem ireos, cinnamomi & calami (eſt autem & hæc ſpecies ſuauis odoris) priorum menſuram, & medietatem herum iuſsit cõtuſam miſceri, oleique oliuarum pondus menſuræ prouincia. quæ dicitur hin, duas choas Atticas capientis: quibus permiſtis & coctis facta eſt arte vnguentariorum vnctio ſuauiſsima, & reliqua. Ex quo cùm huiuſmodi Hebræorum antiquiſsimos vnguento vſos conſtet, eos huius rei autores fuiſſe, haud credere abſurdum fortaſſis fuerit: nos tamen hanc rem in media relinquimus. Sed Plinius in decimotertio, & Solinus*





*prodiderunt, primùm caſtris Darij regis expugnatis, in reliquo eius apparatu Alexandrum cepiſſe ſcrinium vnguentorum, poſtea que voluptatem eius à noſtris quoque inter laudatiſſima atque etiam honeſtiſsima vitæ bona admiſſam eſſe. Verùm apud Perſas, etiam ante Darium vnguenta fuiſſe teſtatur Herodotus libro tertio, ſcribens Cambiſem Cyri filium miſiſſe legatos cum maximis donis ad Aethiopum Macrobiorum regem, inter quæ vnguenti alabaſtrum fuiſſe: regem verò cùm ab Ichthyophagis (hi enim miſsi fuerant) rationem confecturæ huiuſmodi vnguenti didiciſſet, id penitus aſpernatum eſſe. Quando autem primùm ad Romanos vnguentum peruenerit, haud propalam eſt. Certum eſt, teſte Plinio in decimotertio, Antiocho rege Aſiaque deuictis, vrbis anno DLXV. P. Licinium Craſſum, & L. Iulium Cæſarem cenſores edixiſſe, ne quis venderet vnguenta exotica, id eſt, externa, & aliunde aſportata.*

### Qui primi inuenerint aurum, argētum, ferrum, plumbum, æs, fabriliáque inſtrumenta, & ignem primò, dein è ſilice aut lignis, & folles, atque lucernæ vſum.

CAPVT XIX.

*EX metallis quibus nunc humanæ conſtant opes, aurum pretioſiſſimum eſt, cuius habendi tantas mortales libido iam inde ab ini-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tio innaſit, vt in eo effodiendo, iamiam ad inferos propemodum penetrauerint. Ouidius in primo Metamorph.

-Sed itum eſt in viſcera terræ,
Quáſque recondiderat, Stygiiſque admouerat vmbris,
Effodiuntur opes irritamenta malorum.
Iámque nocens ferrum, ferróque nocentius aurum
Prodierat.

Vnde de hominibus intentè fodientibus, illud Phaletij dictum, Plutonem breui ad ſuperos adductum iri, Strabo in tertio Geograph. commemorat. Quare Diogenes teſte Laërtio, rogatus cur palleret aurum, admodum ſcitè reſpondit, Quia multos, inquit, habet inſidiatores. Hoc, autore Plinio lib. VII. Cadmus Phœnix ad Pangæum montem primus inuenit: vt alijs placet, Thoas, & Eacl in Panchaia, aut Sol Oceani filius. Argentum verò Mercurius quintus, vnde viuum argentum vulgò Mercurium appellant, vel Erichthonius Athenienſis, aut Ceacus. Ad Pangæum autem Thraciæ montem hæc metalla ideo, vt mea quidem fert opinio, primùm inuenta traduntur, quoniam ibi teſte Herod. lib. VII. aurum & argentum maximè abundat. Ferrum Idæi Dactyli in Creta adinuenerunt. Plumbum ex inſulis contra Celtiberiam ſitis, quas Strabo libro II. Caſſiterides app-



pellat, Midacritus primus aſportauit. Aes in Cypro inſula Cynira Agriopæ filius reperit, item forcipem, marculum, vectem, incudem, ex Plin. lib. VII. & XXXIIII. à quo Solinus diſcrepat, ita ſcribens, cum de Creta loquitur: Calchis eadem habita eſt apud priſcos, vt Calidemus autor eſt, ære ibi primùm reperto. Sicuti nec de ferro Clemẽs aſſentitur, tradens Selmẽtem & Damnameneum Idæos in Cypro inueniſſe. Aerariam fabricam alij Chalybas, alij Cyclopes inueniſſe volunt, qui ferrariam primò exercuerint. autor Plinius. Atqui æris vſum Pannonios monſtraſſe Clemens tradit. Aes conflare Ariſtoteles ait Lydum Scytham docuiſſe: Theophraſtus Delam Phrygem putat. Strabo verò lib. XIIII. Geograph. dicit Telchines populos ferrum & æs omnium primos eſſe fabricatos, vtpote qui harpen, id eſt, enſem falcatum, Saturno fecerint. Compactionem ferri Glaucus Chius, teſte Herodoto in primo, excogitauit. Auri cõflaturam ipſe Cadmus, vt ait Plinius, inuenit. Cæterum hæc ferè omnia Diodorus cùm Idæis Dactylis, tum Vulcano aſſignare videtur, ita libro ſexto ſcribens: Idæi Dactyli traduntur ignis vſum, ac æris ferrique naturam, quóque modo fabricentur, in loco quem Berecyntum dicunt, inueniſſe. Et alibi: Vulcanum, inquit, ferri, æris, argenti, auri, omniúmque quæ igne

Universidad de Deusto Biblioteca

*fabricantur, artem inueniſſe ferunt. Verùm huiuſmodi metallorum vſus in ipſo primordio propè orbis apud Hebræos, qui mortalium omnium primi geniti ſunt, ex Ioſepho de Antiquitate Iudæorum, in pleriſque locis fuiſſe deprehendimus, qui volumine primo ferrariam artem Tubalchain Lamech filio aſsignat, ſicut Clemens temperiem ferri Delæ Idæo attribuit, quamuis Heſiodus Delam ex Scythia fuiſſe affirmet. Quare eorum qui huiuſmodi rerum autores produntur, alios alibi primos hæc metalla, etſi diu antè reperta, monſtraſſe par eſt credere. Ignem teſte Diodoro libro primo, quidam ſacerdotes affirmant Vulcanum reperiſſe, & eo beneficio ducem ab Aegyptiis conſtitutum. Vitruuius in ſecundo de Architect. dicit arbores ab initio ventis agitatas inter ſe terentes ramos hunc primùm excitaſſe, inde verò homines ligna adiicientes conſeruaſſe. Alij hoc Idæis Dactylis adſcribunt: ſed rectius profectò factitarent, ſi Deo cœli & terræ, ac cuiuſque rei quæ cœli ipſius ambitu continentur, creatori, vt decet, hoc etiam humanæ vitæ aduerſus vim frigoris præſidium, acceptum referrent. Ignem è ſilice Pyrodes Cilicis filius inuenit: at eundem ſeruare in ferula Prometheus docuit, autor Plinius in ſeptimo. Hic magis meo iudicio admiratione dignum occurrit exploratorum in caſtris paſto-*

*rumque*



*rúmque inuentum, qui cùm ad excutiendum ignem, non eis ſemper lapidis occaſio eſſet, ignem ex diuerſis arboribus concipere didicerunt, dicente Plinio in decimoſexto: Calida morus, laurus, hedera, & omnes quibus igniaria fiunt. Exploratorum hic vſus in caſtris paſtorúmque reperit. Teritur igitur lignum ligno, ignémque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis fungi vel foliorum facillimè conceptum. Sed nihil hedera præſtantius, quæ teratur lauro, laurúmque terat. Folles verò, id eſt, inſtrumentum quo attrahitur ventus, atque emittitur ad ignem excitandum, Anacharſis Scytha, teſte Strabone libro ſecundo Geographiæ, reperit. Lucernæ vſum Aegyptij inuenerũt, autor Clemens.*

A quibus primùm nummus aureus inuentus, aut quis argentum & æs ſignauerit, atque ſpeculum argenteum fecerit.

CAPVT XX.

*VTinam aurum, ſacra fames, vt poëta dixit, poſſit è vita hominum penitus tolli, ab optimis quibuſque conuitijs proſciſſum: id quod Crates ille Thebanus ita eſſe faciendum exemplo docuit, qui, teſte D. Hieron. contra Iouinianum, quamuis Laertius aliter tradat, proiecto in mare non paruo auri pondere, Abite, inquit, peſſimæ malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis. Quod*



*haud*

haud mehercule temerè fecit: aurum enim
etiam bonos, nedum prauos, tranſuerſos ple-
runque agit. Quanto igitur cum rebus huma-
nis felicius ageretur, ſi res ipſæ inter ſe per-
mutarentur, ſicut Troianis tēporibus Home-
rus tradit eſſe factitatum? Quãuis vſum pe-
cuniarum ex quocunq; eſſent metalli genere,
antiquiſſimum conſtet: quia apud Ioſephum
legimus, Cain Adam primi hominis filiū an-
xiè in cumulandas pecunias incubuiſſe. Peſſi-
mum itaque vitæ ſcelus fecit, qui primus ex
auro denarium ſignauit, quod Plin. lib. XX-
XIII. penitus latere dicit, autore incerto.
Verùm Herodotus grauis vtiq; autor in pri-
mo hiſtor. volumine ſcribit, Lydos primos o-
mnium nummum aureum & argenteū ad vten-
dum percuſſiſſe. Quod Plinius fortaſſe minus
ſilentio præteriſſet, niſi ibi, vt opinor, tantum
de Romano nummo locutus eſſet. Romæ autem,
vt idem Plin. ait, nummus aureus percuſſus eſt
anno vrbis DCXLVII. qui cœpit deinceps
vbique gentium cudi, & cōmunis eſſe, & ille
in primis, qui quòd Romæ cuderetur, Ducatus
eſt dictus, à Romano ducatu, qui magiſtra-
tus à Longino fuerat primùm conſtitutus,
quem Iuſtinus Imperator Narſeti Italiæ præ-
fecto ſucceſſorem dederat. Argentum primus
omnium, autore Strabo. lib. octauo Geograph.
ſignari docuit Phædon. At Ephorus, vt idem
autor

Universidad de Deusto Biblioteca



autor eſt, ſcriptis prodidit primò in Ægina à
Phidone ſignari cœptum argentū. Ex quo, vt
videre videor, huiuſmodi ſcriptores primùm
ab Herodoto, qui ſicut oſtendimus, Lydis hoc
aſſignat, deinde inter ſe diſſentiunt, niſi in
alterutro mendum ſit in dictione Phidone,
vnius mutatione literæ. Romæ ſignatū anno
ab vrbe condita, quadringenteſimo octogeſi-
moquarto autor Plinius. Liuius itidem ab
vrbe condita teſtatur ſerò eſſe ſignatum ar-
gentum. Eutropius verò in ſecundo ſuarum
Hiſtor. dicit nummum argenteum primùm in
vrbe eſſe ſignatum, anno vrbis Romæ circiter
CCCCLXXXIII. primi autem Punici belli
ſexto. Nota argenti, velut Plinius ait, fuere
bigæ atque quadrigæ. Aes Ianus primus ſi-
gnauit, Macrobius libro Saturna. primo. Hic
igitur Ianus cum Saturnum claſſe peruectum
excepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam
ruris, ferum illum & rudem ante fruges co-
gnitas victum in melius redegiſſet, regni eū
ſocietate munerauit. cùm primus quoque æra
ſignaret, ſeruauit & in hoc Saturni reueren-
tiam, vt quoniam ille naui fuerat aduectus,
ex vna quidem parte ſui capitis effigies, ex
altera verò nauis exprimeretur, quo Saturni
memoriam etiā in poſteros propagaret. Oui-
dius quoque teſtatur in primo Faſt. ſcribens:

Multa quidē didici, ſed cur naualis in ære,

Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

Et deinde infert;

At bona poſteritas puppim formauit in ære,

Hoſpitis aduentum teſtificata dei.

Quapropter miror hoc à Plin. Seruio regi Romanorum aſſignari, lib. XXXIII. ita ſcribente: Seruius rex primus ſignauit æs, antea rudi vſos Romæ Timæus tradit: ſignatum eſt nota pecudũ, vnde & pecunia appellata. Cùm præſertim ipſe etiam inferius de illa prima æris ſignatione meminerit, dicens: Nota æris fuit, ex altera parte Ianus geminus, ex altera roſtrum nauis. Sed Plinius, vt arbitror, forſitan intellexit Seruium, ſicuti credere par eſt, æs ſignaſſe vel primum apud Romanos duntaxat, vel primum, vt idem in principio libri XVIII. capite tertio dicit, ouium boumque effigie nã Ianus multò ante conditam vrbem, teſte Macrobio, in Latio regnauit. Eutropius autem ſecus etiã ſentit, in primo, ſcribens Saturnum numos æreos Latinis primum inſtituiſſe. Sed vtcũque res ſe habeat, Saturni tempore, vel paulò poſt inſtitutum ſignandi æris cœpiſſe, iam liquidò liquet. Speculum argenteum, autore Plinio XXXIII. Praxiteles primus fecit Magni Pomp. ætate. Inuẽta ſunt item ſpecula ex ferro, plumbo, cryſtallo, vitro, miſtiſque materijs, in quibus effigiem noſtram

contem



contemplamur, ab Aeſculapio primo Apollinis filio, autor M. Tull. libro de Natura deorum tertio.

## De origine annulorum, ac primo gemmarum vſu, & cur digitus ſiniſtræ manus minimo proximus, annulo coronari conſueuerit. CAP. XXI.

CVm Prometheus, vt poëtæ tradunt, cœleſtem ignem furatus eſſet, ferunt Iouem illum in monte Scythiæ Caucaſo, ferrea catena vinxiſſe, aquilamque addidiſſe, quæ iecore eius aſſiduè renaſcente perpetuò paſceretur. Martialis:

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus

Aſſiduam nimio pectore pauit auem.

Poſt hæc Prometheum, vt ſibi Iouem cõciliaret, hac arte vſum fuiſſe: Iupiter amore Thetidis, cõſpecta eius pulchritudine, fortè exarſerat: quod ſentientes Parcæ, quarum prouidentia nõ fallitur, cecinerunt, quicunq; Thetidi connubio iunctus eſſet, eius filium patris gloriã longè ſuperaturum. Hoc cùm fortè intellexiſſet Prometheus, Ioui renuntiaſſe dicitur: qui veritus talionem, id eſt, ne quod ipſe Saturno patri feciſſet, à filio pateretur, omnem de Thetide cogitationem depoſuit, & ne erga Prometheum parũ gratus videretur, vinculis eum liberauit: & vt liberationis eius perpe-

tua

tua memoria foret, facto ex vtraque re, hoc eſt, ſaxo, ad quod alligatus fuerat, & ferro, ex quo catena conſtabat, annulo, digitum eius ſiniſtræ manus minimo proximum cinxit. Quæ prima annuli & gemmæ inuentio fuit: quod Plin. lib. XXXVII. probè nimirum ſentiens, fabuloſum appellat, dicens: Fabulæ primordiũ à rupe Caucaſea tradunt, Promethei vinculorum interpretatione fatali, primúmque ſaxi fragmentum incluſum ferro, ac digito circundatum, hoc fuiſſe annulum, & hoc gemmam. Quis tamen inuenerit annulum, ipſe in XXXIII. ait omnino ignorari. Conſtat veteres, vt idem autor eſt, ferreo annulo eſſe vſos, & vt tertio bello Punico Appianus ait, omnes præter tribunos vſurpaſſe: ac longo certè tempore ne ſenatũ quidẽ Romanum habuiſſe aureos manifeſtum eſt, tam ſerò inuẽti ſunt: qui in eodem libro inquit: Nec Iliacis temporibus vllos fuiſſe annulos video. Nuſquam certè Homerus dicit, cùm & codicillos miſſitatos epiſtolarum gratia indicet, & conditas arte veſtes; ac vaſa aurea argenteáque, & ea colligata nodi, nõ annuli nota, hæc ille. At in Geneſis lib. cap. XXXVIII. patet Plinium nõ inueſtigaſſe annulorum vetuſtatem: ibi enim legimus Iudam filiũ Iacob rem habuiſſe cũ Thamar nuru ſua, & id feciſſe imprudentẽ, quòd mulier mutato veſtitu, perſonam diſſimulaue-

rit.

Universidad de Deusto Biblioteca



rit, ac illi promiſiſſe munus, fideique ſeruandæ pignus dediſſe annulum & armillas. Itẽ Ioſephus cùm in tertio Antiquitatũ de veſtibus ſacerdotum meminit, quas Moſes cõſtituerat, qui, vt ſæpius ex teſtimonio Euſebij oſtendimus, fuit ante CCCL. & eo amplius annos, quàm eſt geſtũ bellum Troianũ. Annulis etiã in veſtibus, aliiſque operibus veteres Hebræos Iliacis temporibus eſſe vſos, ſic ſcribens teſtatur: Ad hæc autẽ, inquit, tertio induitur indumento, quod dicitur Ephot: ſit enim hoc modo, vt ſit textus eius magnitudine cubiti de cunctis coloribus, auróque variatis, amplectens omnem pectoris locũ. Et infrà: Vnitur Ephot cum rationali, annulis aureis per circulos ſingulos ſub æqualitate cõmiſſis per vittã hyacinthinam, quæ immittitur pro ligaturis & conſertionibus alterutris annulorũ. Et deinde ſubiungit: Cùm ergo per ſe illi quos diximus, annuli ſint infirmi, nec poſſint pondus lapidum ſuſtinere, alij duo maiores, & reliqua. Et cùm de menſa loquitur, quam idẽ Moſes fecerat, ait: Et per ſingulos eius pedes ſuperiore labio erant annuli, per quos vectes deaurati mittebantur. Idẽ teſtimonio eſt, iam id temporis gemmas cœpiſſe eſſe pretioſas ac celebres, cùm dicat Ephot, quod nos ſuperhumerale vocamus, prout infrà dicetur, cùm de noſtrorum ſacerdotum indumentis ſermo ſiet, habuiſſe in

vtroque

vtroque humero duos lapides onyches, vel vt alij volunt ſmaragdos, & rationale duodecim fultiſſe ornatum lapillis. Hinc igitur, hoc eſt, ab Hebræis ſi antea nõ fuerit, annulorum gemmarumque vſum fluxiſſe credamus licet, certum tamē veluti multarum quoque rerum obliteratis certis autoribus. Macrobius autem lib. Saturnal. VII. inquit: Veteres non ornatus, ſed ſignandi cauſa, annulũ ſecum circumferebant. Vnde nec plus habere quàm vnum licebat, nec cuiquam niſi libero, & imprimebatur ſculptura materiæ annuli, ſiue ex ferro ſiue ex auro foret. Poſtea vſus luxuriantis ætatis, ſignacula pretioſis gemmis cœpit inſculpere, & hæc certatim omnis imitatio laceſſiuit, vt homines aliquantò ſtudioſius lapides pretioſos requirerent. Hinc factum eſt, vt annulus in digito qui minimo proximus eſt, ſiniſtræ manus geſtaretur, ne pretioſi lapides (eſt enim hæc manus otioſior) frangerentur. Vel ideò ille digitus, vt idem Macrobius ait, annulo coronatur, quia ab eo neruus quidam ad cor pertinet. Deinde, teſte Plinio lib. XXXIII. gemmas violari nephas putarunt, ac ne quis annulis amplius ſignaret, ſolidas gēmas addiderunt. Annuli inſuper, vt hoc quoq; ponã, apud Romanos diſtinxerunt alterum ordinem, id eſt, equeſtrē, cuius ipſi annuli notæ erãt, à plebe, vt ſemel cœperunt eſſe celebres,



celebres ſicut tunica ab annulis ſenatũ tantũ.

## De origine vitri, & electri, & quis primus inuenerit minium, & myrrhina in vrbem aſportauerit, & de cryſtallo.

### CAPVT XXII.

QVoniam Plin. lib. Natur. hiſt. XXXVI. de vitri origine eleganter ſcribit, eius ideo verba ponam, quæ ſunt: Pars eſt Syriæ, quæ Phœnice vocatur finitima Iudææ intra montis Carmeli radices, paludem habēt, quæ vocatur Candebia: ex ea creditur naſci Belus amnis, quinque millium paſſuum ſpatio in mare profluens, iuxta Ptolemaidē. lentus hic cursu, inſalubris potu, ſed cærimonijs ſacer, limoſus, vado profundus, non niſi refuſo mari harenas fatetur: fluctibus enim volutatæ niteſcunt, detritis ſordibus: tunc & à marino creduntur aſtringi morſu, non prius vtiles. Quingentorum eſt paſſuum nõ amplius littoris ſpatium, idque tantũ multa per ſecula gignēdo fuit vitro. Fama eſt appulſa naue mercatorum nitri, cùm ſparſi per littus epulas pararent, nec eſſet cortinis attollendis lapidum occaſio, glebas nitri è naue ſubdidiſſe, quibus accenſis, permiſta harena littoris, tranſlucentes nobilis liquoris fluxiſſe riuos. Et hãc fuiſſe originem vitri. De hoc amne Ioſephus etiã in II. de bello Iudaico: Stadijs, ait, duobus à Ptolemaide Belus amnis diſtat, iuxta quem

ſepulcrum

*ſepulchrum Memnonis eſt, & vitrea in rotunda valle harena, quam venti ex circumiectis iugis cõuehunt, inexhauſta ſeculis vi, ſed ante omnia, mirabili natura, mutãdi alia quoq; in vitrum quæ attigerit metalla. Electrũ, teſte Diodoro lib. V I I. primò in Baſilia inſula inuentum eſt, quæ Scythiæ ſupra Galatiã oppoſita in Oceano eſt, in quam, vt idẽ ait, tempeſtas electrum plurimũ eijcit, nulla alia in parte orbis repertum. Nec me præterit fabulas ex lachrymis ſororum Phaëthontis fieri tradere. Sed de electro, id eſt, ſuccino, variæ ſunt ſcriptorum opiniones, quas Plinius lib. Natural. hiſt. vlt. latè exequitur. Miniũ, quod in argentarijs quoque reperitur, inuentũ eſt, vt autor Plinius in X X X I I I. à Callia Athenienſe, initio, ſperante aurũ poſſe excoqui, harena rubente in metallis argenti: id quod in Epheſiorum agris, Vitruuio lib. V I I. Architect. repertum placet. At minium Priſcis Romanis ſacrum fuiſſe cõſtat, quare Iouis ſimulacri faciẽ diebus feſtis minio illini ſolitam, triumphantiúmque corpora, ac ſic Camillum triumphaſſe, idem Plinius teſtatur. Myrrhina quæ, teſte Plinio, Oriens mittit (eſt enim humor ſub terra calore denſatus) Pomp. Magnus primo in triumpho, quem de piratis duxit, in vrbẽ inuexit. De cryſtallo cùm in pleriſq; locis reperiatur, nullo huius rei ab initio inuentore prodi-*





*to, non habeo quicquam dicere, niſi quòd Plinius libro vltimo Natural. hiſtor. prodit, cryſtallum gigni gelu vehementiore concreto, nec alibi certè reperiri, niſi vbi maximè hybernæ niues rigent, & glaciem denique eſſe. Quod Solinus falſum eſſe probat. Nam ſi ita foret, inquit, nec Alabanda Aſiæ, nec Cyprus inſula hanc materiam procrearent, quibus regionibus citatiſſimus calor eſt. Verùm hoc ſignificantius à Diodoro in tertio declaratur, ſic ſcribente: Cryſtallus enim lapis ex aqua oritur pura congelata, non quidem à frigore, ſed, diui caloris vi, qua duritiem ſeruet, variòsque ſuſcipiat colores.*

De origine ſimulacrorum, & qui primi ſtatuas poſuerint, & Græcos contrario Romanorum more, eas non velare, & quædam memoratu digna de imagine Magni Alexandri. CAPVT XXIII.

*VT poſſet eorum memoria retineri, qui vel morte ſubtracti, vel abſentia ſeparati eſſent, idcirco ab hominibus, vt nemo ſanè ambigit, fingendarum ſimilitudinum ratio inuenta eſt. Quo fit, vt cùm Deus vbique præſens ſit nihil à principio poſt homines natos, ſtultius viſum ſit, quàm eius ſimulacrum fingere. Quamobrem Moſes vir ſanctus & innocens ac ſapientiſſimus, autore Ioſepho in pri-*



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

mo contra Appionem, & in XVII. Antiquit.
ſuis legibus prohiberi omnino ſimulacrum fie-
ri, aut in templo poni. Ex quo cùm Caius prin-
ceps Petronium legatum in Syriã miſiſſet, eiq;
mandaſſet, vt omni ope modisq; omnibus cura
ret ſuum ſimulacrum in templo Hieroſolymis
erigendum, Iudæi ne patrias leges frãgerent,
adeò reſiſtere cœperunt, vt iamiam ad arma
ventum eſſet, niſi, vt idem teſtis eſt libro
XVIII. Antiquitatum, Agrippa Iudæorum
rex à Caio impetraſſet, ne huiuſmodi ſtatua in
templo poneretur. Apud Seres etiam, ſicut tra
dit Euſebius, lib. de præpar. Euange. VI. lege
exceptum erat, ne ſimulacra colerentur. In
Romanorum quoque templis Clemẽs ait ex de
creto Numæ, Moſaica dogmata penitus æmu
lati, annis C. atque LXX. ab vrbe cond. nul
lam imaginem, neque fictam, neque pictam
eſſe conſpectam. Aſſerit idem & Plutarchus
in vita Numæ. Perſæ itidem, teſte Herod. lib.
I. & Strab. XV. Geograph. ſtatuas non extrue
bant. Verùm vt ne noſtri peccaſſe videãtur,
qui poſtremò colendarum imaginum inſtitu
tum admiſerunt, alibi cauſam ponemus. Sed
vnde ſimulacra fingẽdi vſus profectus ſit, nõ
facilè inter autores conuenit. Macrobius enim
ab Hercule autumat, qui libro Saturnaliũ pri
mo, Epicadus, inquit, refert Herculem, occiſo
Geryone, cùm victor per Italiam armenta du





xiſſet, ponte qui nunc ſublicius dicitur, ad tem
pus inſtructo, hominum ſimulachra pro nume
ro ſociorum, quos caſu peregrinationis amiſiſ-
ſet, in fluuium demiſiſſe, vt aqua ſecunda in
mare deuecta pro corporibus demortuorum ve
luti patriis ſedibus redderẽtur: & inde vſum
talia ſimulacra fingendi inter ſacra manſiſſe.
Verùm deinde ſibi magis placere ait, hunc mo
rem à Pelaſgis fluxiſſe. Sanè illi, teſte Diony-
ſio Halicar. in primo annal. Romanorum, poſt
quam diu errabundi in Latium venerant, in
lacu Cutilienſi enatam inſulam deprehende-
runt, decima prædæ ſecundum reſponſum A-
pollini conſecrata, erectiſque Diti ſacello, &
Saturno ara, illum humanis capitibus, hunc vi
rorum victimis placare ſe exiſtimabant, pro-
pter oraculum, in quo erat, Et capita inferno
& patri tranſmittite lumen: Saturni ſacra,
Saturnalia nominantes. Poſt hæc Herculem
ferunt cum Geryonis pecore per Italiam reuer
tentem, ſuaſiſſe illorum poſteris, vt fauſtis ſa-
crificiis infauſta mutarent, offerentes Diti nõ
hominum capita, ſed oſcilla, id eſt, parua ora,
ad humanã figuram formata, & Saturni aras
non mactatis viris, ſed accenſis cereis excolen
tes. Inde fuit conſuetudo, vt & cerei Saturna
libus mitterentur, & ſigilla, hoc eſt, oſcilla ar-
te fictili fingerentur. Alij, autore Diodoro lib.
quarto, dicũt Aethiopes ſimulacrorũ vſum pri

Universidad de Deusto Biblioteca



mum inueniſſe, & ab eis dein Aegyptios acce-
piſſe. Sed Lactantius Firm. à Prometheo ma-
naſſe huiuſmodi vſum tradit lib. Diuinarum
inſtitut. II. cum inquit: Verùm quia poëtas
dixeram non omnino mentiri ſolere, ſed figu-
ris inuoluere & obſcurare quæ dicant, non di-
co eſſe mentitos, ſed primùm omnium Prome-
theum ſimulacrum hominis formaſſe de pin-
gui & molli luto, ab eóque natam eſſe primò
artem ſtatuas & ſimulacra fingendi, hæc ille.
Reperimus tamen longè ante Prometheum,
qui, teſte Euſebio, poſt Ogygium diluuium in
Attica fuit, ſimulacrorum vſum fuiſſe: nam
Rachel, teſte Ioſepho in I. Antiquita. cùm Ia-
cob eius vir è Meſopotamia à Laban ſocero au-
fugiſſet, ſimulacra deorũ furata eſt. Euſebius
etiam ex teſtimonio Plutarchi in III. de Euã-
gel. præparat. ſimulacrorum fictionem eſſe an-
tiquiſſimam comprobat, ſic, vt ſi eorum origi-
nem accuratè exquiramus, facilè inuenerimus
Deum ipſum primùm demonſtraſſe modum
fingendarum ſimilitudinum, qui vt ſui intelli-
gentiam rudes rerum cœleſtium homines à
principio doceret, ſibi humana membra aſſum-
pſit, vt quaſi oculis occurreret, qualis eſſet.
Ait enim, vt eſt in Geneſ. lib. cap. XVIII. cla-
mor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus
eſt, & peccatum eorũ aggrauatum eſt nimis.
Deſcendam & videbo, vtrum clamorem qui
venit



venit ad me, opere compleuerint. Idem Exodo
capite ſeptimo, Immittã manum meam ſuper
Aegyptum. Deſcendere hic & videre ac im-
mittere manum, eſt habentis pedes, oculos, &
manum. Quin & propheta, vt planius perſo-
nam Dei nobis oſtendat, dat ei aures & fa-
ciem, Pſalmo XVI. canens: Auribus percipe
orationem meam. & Pſalmo L. Auerte faciem
tuam à peccatis meis. At Eſaias integrum dat
corpus, cùm capite VI. inquit: Vidi Dominum
ſedentem ſuper ſolium. Formulam igitur fin-
gendæ ſimilitudinis Dei, quò eius memoriã fa-
cilius animo complecteremur, ipſe Deus nobis
præmonſtrauit. Proinde homo qui ſuopte in-
genio paratus eſt ad imitandum, ſi quid ſit
quod ad ipſius diſciplinam, contemplationem,
delectationémque attineat, Dei memoriæ reti-
nendæ gratia, quam prudentiſſimè ab initio
ipſius Dei ſimulacrum ſibi finxit, vt qui in-
telligebat opertere ſe eum, quemadmodum
CHRISTVS apud Marcum teſtatur, dili-
gere ex toto corde ſuo, & ex tota intelligen-
tia, & ex tota anima, & ex totis viribus: idcir-
co putauit ſe diligentius facturum officium, ſi
ob oculos exemplar continenter haberet. Atq;
iſtæc vera ſimulacrorum origo. Sed cætera pro-
ſequamur. Romæ, teſte Plinio in XXXIIII.
ſimulacrum ex ære factum Cereris primum
conſtat ex peculio Sp. Caſſij, quem regnum affe-

Universidad de Deusto Biblioteca



*ſectantem pater ipſius interemerat. Poſtea à
diis inter homines ſtatuæ tranſierunt, & id
quidem, cùm excellentium virorum memoriæ
perpetuandæ, tum virtutis imitandæ cauſa:
quod Saluſtius in initio ſui Iugurthini plenè
teſtificatur, ſcribens: Nam ſæpe audiui Q. Ma-
ximum, P. Scipionem, præterea ciuitatis noſtræ
præclaros viros, ſolitos ita dicere: cum maiorũ
imagines intuerentur, vehemẽtiſſimè ſibi ani-
mum ad virtutem accendi, ſcilicet non ce-
ram illam, neque figuram tantam vim in ſe-
ſe habere, ſed memoria rerum geſtarum eam
flammam egregiis viris in pectore creſcere,
neque prius ſedari, quàm virtus eorum famã
atque gloriam adæquauerit. Quare Athenien-
ſes primi ſtatuas publicè poſuiſſe Harmodio et
Ariſtogitoni tyrannicidis dicuntur: id quod
haud prorſus Plinius ſcire affirmat. Statuam
auream & ſolidam primus omnium Gorgias
Leontinus Delphis in tẽplo ſibi poſuit, ſeptua-
geſima circiter Olympiade: quamuis, vt idem
ait, ſtatua ex auro ſolida, quam Græci holo-
ſphyraton vocant, omnium prima in templo
Anaitidis poſita dicatur. Argenteam quidam
primam fuiſſe volunt, quam ſibi fecit Pharna-
ces, quam Magnus Pompe. in triumpho tran-
ſtulit, autor Plinius. In Italia, teſte Valer.
Max. lib. II. M. Attilius Glabrio primus ſta-
tuam equeſtrem auream patri ſuo poſuit. Fie-*





*bant etiam ex ære, ebore, ligno, & marmore.
Romanis antiquitus, quod non eſt prætereun-
dum, ſtatuas velare, contrà Græcis nudas po-
nere mos fuit. Illi item ſolebant ad eas thus
adolere, & cereos accendere: teſtis Cicero qui
lib. III. Offic. de ſtatuis C. Mario à multitu-
dine poſitis, ita ſcribit: Omnibus vicis ſtatuæ
factæ ſunt, & ad eas thus & cerei. In hac ſta-
tuaria arte plurimi olim floruerunt, quos
Plin. in XXXIIII. luculenter explicat: ante
omnes tamen Phidiam Athen. magnis ad cœlũ
fert laudibus, de quo Fab. itidẽ libro XII. me-
minit. Occurrit hic memorandum, vti Romæ
Macrianorum familia ſolenne ſemper habuit,
vt Alexand. Magnum, viri in auro & argen-
to, mulieres in reticulis & annulis exculptum
geſtarent, quòd, ſicut Iulius Capit. in vita
XXX. tyrãnorum teſtatur, diceretur iuuari in
omni actu ſuo, qui Alexandrum ſculptum aut
auro aut argento geſtaret. Quare, vt opinor,
Aug. Cæſar in ſignandis epiſtolis, Magni etiã
Alexãd. imagine diu vſus eſt, autor Tranquil.*

### De origine picturæ, & quis primus colores inuenerit, aut penicillo pinxerit.

### CAPVT XXIIII.

*PRoximum eſt, vt poſt ſtatuariam artem de
picturæ initiis primum dicatur, quando
illa effigies rerum ligni, ebore, metallis, vt di-
ctũ eſt, fingit, hæc imagines colorũ varietate,*

aut lineamentis quibuſdam ſimilitudines red
dens facit. Picturam itaq; teſte Plin. lib. VII.
Gyges Lydius omnium primus inuenit in Ae
gypto, in Græcia verò Pyrrhus Dædali cogna-
tus, vt Ariſtoteli placet: vt Theophraſto, Poly
gnotus Athenienſis: quod haudquaquam idem
Plinius lib. XXXV. cap. IX. approbare vide
tur, ſic ſcribens: Sicut Polignotus Thaſius, qui
primus mulieres lucida veſte pinxit, capita
earum mitris verſicoloribus operuit, pluri-
múmq; picturæ primus contulit: ſiquidem in-
ſtituit os adaperire, dentes oſtendere, vultum
ab antiquo rigore variare. Incerta igitur de
picturæ initiis quæſtio eſt: nam & Aegyptij,
eodem Plinio teſte, ante ſex milia annorum
apud ſe inuentam, quã in Græciam tranſiret,
affirmant. Græci autẽ alij apud Sicyonios, alij
apud Corinthios repertã dicũt: omnes ab vm-
bra hominis lineis circunducta. Quod Fabius
apertè teſtatur in X. dicens: Non eſſet pictura,
niſi quæ lineas modò extremas vmbræ, quam
corpora in ſole feciſſent, circunſcriberet: ac ſi
omnia percenſeas, nulla ſit ars, qualis inuenta
eſt, nec intra initium ſtetit. Quintilianus ha-
ctenus. Talis itaq; prima fuit pictura. Altera
ſingulis coloribus poſtea operoſior inuẽta eſt,
duratq; talis etiamnum. Linearis, vt Plinius in
XXXV. tradit: à Philocle Aegyptio, vel à Cleã
the Corinthio inuenta eſt. Primi eam Ardices
Corin



Corinthius & Telephanes ſicionius exercue-
runt, ſine vllo etiam colore. cleophantus Co-
rinthius colores inuenit. Idem autor, penicil
lo gloriam Primus Apollodorus Athenienſis
contulit. In hac illuſtres fuerunt Timagoras
chalcidenſis, Pythis, deinde Polygnotus,
Aglaophon: alij quoque poſt hos, de quibus
Plinius & Fabius Quintil. in XII. affatim
ſcribunt, quos ſtudio breuitatis omitto, cùm
præſertim tale minimè ſit inſtituti operis mu-
nus. Non ſilebo tamen de ciue meo, qui nobis
ſua induſtria & ingenio picturam velut de
integro in præſentia reſtituit, atque illos
qui in ea olim maximè claruere, nauiter vel
arte refert, vel peritia æquat, adeò proprios
ducit de coloribus vultus. Is eſt Raphael co-
gnomine ſanctus, vnde eius quoque metiri
poſſes & mores, & vitam.

De primis plaſtices inuentoribus, & quis
totam figulariam repererit. CAP. XXV.

Conuenit picturæ contexere plaſticen,
hoc eſt figulinam artem, quæ ex terra ſi-
militudines itidem fingit. Hanc, vt Plin. in
VII. ait, chorœbus Athenienſis inuenit. Sed
idem libro XXXV. Dibutadi hoc aſſignat, di-
cens: Dibutades ſicyonius figulus primus in-
uenit corinthi, filiæ opera, quæ capta amo-
re iuuenis, illo abeunte peregrè, vmbram ex
facie eius ad lucernã in pariete lineis circun-
p 5 ſcrip

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſcripſit, quibus pater eius impreſſa argilla, typum fecit, & cum cæteris fictilibus, induratum igni propoſuit, eúmque ſeruatum in nymphæo, donec Corinthum Mummius euerteret, tradunt. Sunt qui in Samo primos omnium plaſticen inueniſſe Rhœcum & Theodorum prodant, Demaratúmque Corinthium profugum, qui Tarquinium Priſcum populi terrarum principis regem in Hetruria genuit, comitatos fictores Euchiram, & Eugrammum, & ab iis Italiæ deinde traditam plaſticen. E proplaſtice, id eſt forma, quæ ad fingenda alia opera adhibetur, effigiem formare primus inuenit Lyſiſtratus Sicyonius frater Lyſippi: idẽ hominis figuram gypſo è facie ipſa primus omnium expreſſit. Sic res vſque eò creuit, vt nulla ſigna ſtatuæve ſine argilla fierent. Quo apparet antiquiorem hanc fuiſſe ſcientiam, quàm fundendi æris. hæc ex Plinio. Hinc inſuper plurima vaſorum fictilium genera reperta ſunt, quæ modò humanæ vitæ vſui ſunt. Rotam figulariam, autore Ephoro, vt ait Strabo libro VII. Geographiæ, & Laertio libro primo, & Plinio in VII. Anacharſis Scythes Philoſophus primus inuenit. In quo tamen ipſe Strabo Ephorum arguit: Hæc, inquit, ipſa autem loquor apertè, haud ignarus, quòd hic ipſe non omnia veriſſima proferat, & illud præcipuè de Anacharſi-

de:nam



de: nam quomodo rota ipſa ex eius inuentione eſt, quam Homerus antiquior illo nouerit? Ceu figulus cui dextra rotam quatit, ocyus aptam, & reliqua. Hyperbius Corinthius, vt alij volunt, inuenit. Diodorus verò libro V. dicit, Talaum Dædali ſororis filium reperiſſe. Figuli autem, teſte Plinio, laudatiſſimi fuere, Dimophilus & Gorgaſus.

LIBRI SECVNDI FINIS.

# POLYDORI
## VERGIL. VRBINATIS
## DE INVENTORIBVS RERVM

# LIBER III.

### A quibus primùm inuenta agricultura, & quot ea redundet bonis. CAP. I.

NON ſum equidem neſcius quoſdam fore, qui vehementer demirabuntur, nos poſtremo ferè loco de inuentoribus agriculturæ aliquid tradere diſtuliſſe, cùm præſertim, vti Cicero in Officialibus libris inquit: omnium rerum ex quibus aliquid exquiritur

ritur

Universidad de Deusto Biblioteca

uitur, nihil ſit agricultura melius, nil vberius,
nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Ve-
rùm nec eò mihi ſuccenſeant, quatenus hoc ip-
ſum cōſultò, vel, vt verius dicam, ex induſtria
fecimus, vt longo legentes itinere defatigati,
nouum tandem paſtū, ſiue, vt ita dixerim, ne-
ctar offenderent, quo vires recreare, & veluti
diutinam famē explere poſſent. De huiuſce igi
tur rei initiis hic cōmodè dicemus, poſtquam
demonſtrauero quantū eā laudibus iure ac me
ritò præſtātiſſimi autores efferāt, vtpote quæ
multis abundat bonis. Columella itaq; in pri-
mo de re Ruſtica, cōquerens ſui temporis mol-
litiē, ait: At me hercule vera illa proles Romu
li aſſiduis venationibus, nec minus agreſtibus
operibus exercitata, firmiſſimis præualuit cor-
poribus, ac militiā belli, cùm res poſtulauit, fa-
cilè ſuſtinuit, duratā pacis laboribus, ſemperq́;
ruſticam plebē vrbanæ præpoſuit. Cato itidē
de Agricultura inquit: Fortiſſimi viri & mili
tes ſtrenuiſſimi ex agricolis gignuntur, mini-
meq; malè cogitātes. Ex quo, teſte Cicerone de
ſenectute, in agris ſenatores erāt, vt L. Quin-
tius Cincinnatus quidū agrum arabat, renun
tiatus eſt dictator, vt Curius, & cæteri ſenes.
Quare qui eos arcerſebant, viatores nominati
ſunt. Quid, quòd etiā, teſte Plinio. lib. XVIII.
agrū malè colere, cēſoriū probrū iudicabatur?
atq;, vt inquit Cato, quem virū bonū colonum





dixiſſent, ampliſſimè laudaſſe exiſtimabant?
Et id ſanè quia, quēadmodum Cicero pro Ro-
ſcio Amerino docet, ruſtica vita parſimoniæ,
diligentiæ, iuſtitiæ magiſtra eſt, at vrbana
non item, quam luxuries facilè inficit: ex luxu
ria neceſſe eſt exiſtat auaritia, ex auaritia e-
rūpat audacia, inde omnia maleficia gignan-
tur. Sed ne putes hoc tantum in Romana repu
blic. contigiſſe: de cultura agri præcipere prin-
cipale etiam, vt Plinius dicit, fuit apud exte-
ros, ſiquidem & reges fecere, Hiero, Philome-
tor, Attalus, Archelaus. Vnde non iniuria Xe-
nophonti, quemadmodum teſtis eſt M. Tull. in
Catone, nihil tam regale videbatur, quàm ſtu
dium agri colendi. De laudibus hactenus. A-
griculturam primùm omnium, teſte Diodoro
in I. Oſirim, qui & Dionyſius dicitur, reperiſ-
ſe ferunt. Affirmat item Tibullus, ita ſcribens:

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitauit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomáque non notis legit ab arboribus.

Sed hoc vt opinor, apud Aegyptios tantummo-
do, ſicut Triptolemus primus in Græcia, & A-
ſia, teſte Iuſtino in II. inuenit, de quo Oui-
dius in IIII. Faſtorum:

Iſte quidem mortalis erit, ſed primus ara-
bit,
Et feret, & culta premia tollet humo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*& in Latio Saturnus, vt ſuo loco dicemus. Sed omnium primam Cererem, quæ, vti Ciceroni libro II. de Natura deorum placet, à gerendis frugibus quaſi Geres, nominata eſt, mortales agriculturam docuiſſe teſtatur Vergil. in I. Georgicorum ſic ſcribens:*

*Prima Ceres ferro mortales vertere terram*
*Inſtituit.*

*Teſtatur & Ouidius libro V. Metamorph.*

*Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro,*
*Prima dedit fruges alimentáque mitia terris.*

*Verùm hæc haud ſcio quantum ſide digna ſint, quando illud verius eſſe duco quod Ioſephus in I. Antiquita. tradit: dicit enim Cain Adam filium omnium primum comperiſſe terram colere primúmque terræ terminos poſuiſſe. Atque hoc agriculturæ initium haud dubiè fuit. Quapropter, vt dubium non eſt, ex illis quos commemorauimus, deinceps agriculturam alios alijs primos monſtraſſe credere par eſt. Sed iam ad alia quæ pertinent ad cultum agrorum, transeamus.*

Quis primus mortalibus fruges & eas molendi, aut ſtercorandorum agrorum, vel pinſendi frumenti vſum monſtrauerit, & boues aratro iunxerit, aut ferramenta ruſtica inuenerit, vel cribra diuerſi generis.

CAPVT II.

Rerum



*Rerum naturam primum homines glandibus aluiſſe Plin. in proœmio decimiſexti libri autor eſt. Item & Naſo teſtatur in primo Metamorph. dicens:*

*Contentíque cibis nullo cogente creatis,*
*Arbuteos fœtus montanáq; fraga legebãt,*
*Cornáque, & in duris hærentia mora rubetis,*
*Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.*

*Deinde inuentũ eſt frumentũ. Verg. in I. Geor.*

*Cùm iam glandes atque arbuta ſacræ*
*Deficerẽt ſyluæ, & victũ Dodona negaret,*
*Mox & frumentis labor additus.*

*Quod, vt Plinius libro VII. dicit, Ceres, cùm antea, velut dictum eſt, homines glande veſcerentur, inuenit. Eadem & molere, & conficere docuit, in Attica, Italia, & Sicilia, ob id dea iudicata. Idem quoque Maro affirmat, & Diodorus volumine VI. ſcribens, Cererem primam inueniſſe vſum frumenti, quod fortè inter alias herbas naſceretur ignotum cæteris, docuiſſeque homines ſeruandi ac ſerendi modum. Sed idem in Sicilia tantum placet eſſe inuentum, quoniam ijs in locis agreſte triticum oriretur. Strabo etiam libro XV. cùm de Indiæ fœcunditate loquitur, dicit in Muſicani regione frumentum ſua ſponte naſci tritico perſimile. Atqui idem Diodorus in primo, huius*

frugis

Universidad de Deusto Biblioteca

*frugis inuentionem Iſidi tribuit. Nec eò tamen, vt opinor, à priore ſententia diſcrepat, quandoquidem ipſe paulò ſuperius Iſidem dicit eandem eſſe, quam Cererem nuncupant. Huic deæ Ouidius non modò frumenti, ſed omnium frugum vſum aſſignat:*

*Prima dedit fruges alimẽtaq; mitia terris.*

*Verum Iuſtinus libro ſuæ epito. II. ſcribit ſub Erichtheo Athenarum rege, frumenti ſationem apud Eleuſin à Triptolemo repertam, cui ſcilicet, teſte Diodoro lib. VI. à Cerere mandatum fuit, vt id ab ea antè inuentum homines doceret. Sed idem Iuſtinus inibi diuerſum ſentiens, hoc potius Athenienſibus adſcribere videtur, dicens: Primi lanificij & olei & vini vſum docuere, arare quoque & ſerere frumenta, glande veſcentibus monſtrauerunt. Cui Ariſtoteles conſentit: aiebat enim Athenienſes (ſic eos reprehendebat) frumenta & leges inueniſſe, verùm eos frumentis quidem vti, non item legibus. Quod Diodorus probè declarat in ſexto, ſcribens Cererem poſt Siculos, vſum frumenti primos Athenienſes docuiſſe. Quo fieri poteſt, vt ſecundum Cererem & Siculos, ipſi primi hoc alijs oſtenderint. In Latio autem, teſte Macrobio, Saturnus omnium primus docuit, de quo Eutropius ipſe inquit: Saturnus adhuc rudes populos, domos ædificare, terras colere, plantare vineas docuit,*



*cuit, atque humanis moribus viuere, cùm antea ſemiferi glandium tantummodo alimentis vitam ſuſtentarent. Vſum autem ſtercorandorum agrorum, teſte Seruio ſuper IX. Aeneidos, Pitumnus inuenit, vnde & Sterquilinus dictus eſt. Pilumnus verò eius frater pinſendi frumenti, propter quod à piſtoribus colebatur. Piſtores autem ſiue piſores à veteribus vocabantur, qui tam in piſtrino farinam pinſebant, quàm ij qui panem faciebant, coquebantque. Hos Romani tardè publicè habuerunt. Plinius lib. XVIII. cap. XI. Piſtores Romæ non fuerunt, ad Perſicum vſque bellum, anno vrbis conditæ ſuper DLXXX. Ad rem reuenio. Quamuis Plinius in XVII hunc ſtercorandi vſum iam Homeri ætate fuiſſe, & Augeam regem in Græcia excogitaſſe, diuulgaſſe verò in Italia Herculem tradat. Boues ad aratrum, Diodorus libro quarto, & quinto, ait Dionyſium ſecundum ex Ioue & Proſerpina genitum, vel, vt alij ſentiunt, ex Cerere, primùm iunxiſſe, cùm terra prius manibus hominum coleretur. Plinio verò libro ſeptimo teſte, aratrum Briges Athenienſis inuenit, vt alij tradunt, Triptolemus, de quo poëta in primo Georgicorum intellexit, cùm dixit:*

*-Vncique puer monſtrator aratri.*

*Quo in loco Seruius: Alij, inquit, Triptolemum*

*num, alij Oſirim, quod verius eſt: nam Triptolemus frumenta diuiſit. Tacuit autem de nomine, quia non vnus in orbe aratri monſtrator fuit, ſed diuerſi in diuerſis locis. Ex quo Trogus prodidit Habidem Hiſpaniæ regem barbarum populum primò docuiſſe boues aratro domare, frumentaque ſulco ſerere. De Oſire, vt oſtendimus, ſenſit etiam Tibullus. Cæterùm omnia ferramenta ruſtica, quibus terra vertitur, ſimul, vt puto, cum aratro Cererem comperiſſe, Vergilius proculdubio hoc verſu demonſtrat:*

*Prima Ceres ferro mortales vertere terrã*
*Inſtituit.*

*Quod vel Seruius approbat, dicens: Ceres prima omne genus agriculturæ hominibus indicauit: nam quamuis vel Oſirim, vel Triptolemum aratrum inueniſſe dicant, illa tamen omnem agriculturam docuit: quia ferrum dicendo, omnia agriculturæ ferramenta expreſſit. Verùm aut illi, quos commemorauimus, nouiſſimi, vel alij alibi hæc commonſtrarunt: nam, vt Euſebij atque Lactantij teſtimonio conſtat, ante multas tempeſtates, quàm eſſet Ceres Dionyſius, Saturnus, Triptolemus, frumenti vſus apud mortales erat, præſertim apud Hebræos & Aegyptios, vti ex Ioſepho cognoſcere licet. Ille enim in ſecundo, vbi ne aletium repetam, tradit; quemadmodum Iudæa*

carit



*caritate annonæ laborante, Iacob ad emendum frumentum filios in Aegyptum miſerit. Ex quo cùm Hebræi, vt ſuperiore capite indicauimus, primi omnium terram coluerint, porrò extra omnem controuerſiam credibile eſt, ab eis tum agrorum culturam, tum fruges ac molendi vſum, tum & ferramenta ruſtica ad poſteros manaſſe, & hos eã ipſa (nulla enim ars, vt Fabius ait, intra initium ſuum ſtetit) deinde adauxiſſe. Cribrorum genera, teſte Plinio lib. XVIII. è ſetis equorum Gallia inuenit. Hiſpania ex lino excuſſoria ad excutiendam farinam, & pollinaria ad purgandum pollinem, id eſt, craſſiuſculum puluerem. Aegyptus verò ex papyro iuncóque, poſtea ex pellibus ſuillis Italia.*

Quis primus vites & alias arbores plantauerit, carúmque inſitionem docuerit, & vſum vini repererit, & vino aquam miſcuerit, déque nouo vitandæ ebrietatis modo, & qui caupones primi, vel quis oleam & vſum olei, & mel adinuenerit, vel ex hordeo potum fecerit, atque lac coagulauerit.

## CAPVT III.

*ETſi abundè videtur natura homini ſuppeditaſſe, cùm eum principio talem procreauerit, vt ipſe ex omnibus animantibus, vnus ratione, ſicut ait Cicero, ad Deum quamproximè accedere poſſet, tamen cùm ſtatim genitus nullo foret ſubſidio fultus (carebat enim*

Universidad de Deusto Biblioteca



indumentis, ædibus, igne, cibo, præterquam in
diem quæſito, multis denique rebus vitæ neceſ
ſarijs quas deinde vrgente neceſsitate, quæ re
rum magiſtra eſt, ipſe inuenit) non facile eſt,
vt Plinius in initio VII. libri perhibet, æſtima
re, natura homini melior parens, an triſtior
nouerca fuerit. Fatendum eſt tamen, ſi nos his
quæ illa nobis tradidit, contenti eſſemus, longè
melius res ſeſe habituras. Nam, vt de cæteris
ſileam, ecquis modò fieret temulentus, quod fœ
diſsimum eſt vitæ dehoneſtamentum, ſexcen-
torúmque vitiorum origo, ſi aquam primùm à
natura potum homini datum, non vinum pota
remus, cuius vim, vt infrà dicemus, eius etiam
primus inuentor turpiter perpeſſus eſt? Quare
diuus Hieronymus ad Euſtochium de Virgini
tate ſeruanda, inquit: Sponſa CHRISTI vi-
num fugiat pro veneno, hæc aduerſus adole-
ſcentiam prima arma ſunt dæmonum: non ſic
auaritia quatit, inflat ſuperbia, delectat ambi
tio: facilè alijs caremus vitijs, hic hoſtis nobis
incluſus eſt. Et infrà ſubdit: Vinum volupta-
tis incendium eſt, vnde proximus à Libero pa-
tre intemperantiæ gradus ad inconceſſam Ve-
nerem eſſe conſueuit. Propter quod, teſte Va-
lerio Maxi. matronæ Romanæ vino abſtine-
bant: quod tamen haud obeſſet, ſi eſſet, vt par
eſt, modus in rebus: nam autore Plinio, non
eſt quicquam aliud vino modicè ſumpto vti-

lius.



lius. Quinetiam Perſæ exiſtimabant fomitem
eſſe quendam & incitamentum ingenij vir-
tutiſque, ſi mens & corpus hominis vino fla-
graret, qui, teſte Strabo, libro XV. Geograph.
de rebus maximis inter vinum conſultabant,
quas ipſi firmiores putare, quàm quæ in ſobrie
tate fuiſſent deliberata. Cæterum Plato vi-
num magis ſenibus vtile eſſe ducebat, qui il-
lud in Dialogo ſecundo de Legibus, non facilè
vtendum concedit iuuenibus, item militibus
in caſtris, ſeruis, magiſtratibus, gubernato-
ribus, iudicibus, conſiliarijs, & liberis ope-
ram daturis, quia partus gigni debet ex mo-
derato puróque ſemine, quod vino refertus,
quaſi rabie concitatus, ferere minus poteſt,
vnde filij ſæpe fatui & amentes procreantur.
Sed iam ipſum vini inuentorem indicemus.
Vites & vini vſum, atque cæterarum arbo-
rum fructus Dionyſium inueniſſe Diodor. lib.
IIII. autor eſt, vbi dicit, Dionyſium orbem
cum exercitu perambulantem, & vitem plan-
tare, & ex racemis vinum torculari, ex quo
ipſum Lenæum appellant, educere monſtraſ-
ſe. Et alibi vinum reperiſſe, & arborum fru-
ctus teſtatur. Quanquam idem alibi dicit,
vites ob eo non eſſe ſatas, verùm terram cum
cæteris plantis ſponte ſua tuliſſe. Item Vergi-
lius hunc vitium ac reliquarum arborum in-
uentorem fuiſſe, aſſerere videtur, cùm de vi-

Universidad de Deusto Biblioteca



ribus & alijs arboribus ſcripturus ſtatim in principio II. lib. Georg. dixit:

Nunc te Bacche canam. Cæterùm Capella de nuptijs Mercurij, tradit eum apud Græcos tantùm primum vini vſum edocuiſſe, ſicuti Saturnũ apud Latinos, Seruius in VIII. Aeneidos, & Eutropius teſtimonio ſunt. Alij Icariũ Penelopes patrem apud Athenienſes id reperiſſe tradunt, eumq́; poſt dediſſe pœnas, à colonis ebrijs interemptũ. Propertius in fine lib. eleg. II.

Icare Cecropijs meritò iugulate colonis, & cætera.

At Athenæus ait apud Aetnam montẽ Siciliæ vitem inuentam, quòd cùm Oreſteus Deucalionis filius eò regnatum veniſſet, eius canis ramum fortè enixit, quem ille defodi iuſſerat, & inde vitiũ germina nata, quæ à nomine canis œnũ appellauit. Vnde apud veteres Græcos vitis οἴνη vocabatur, & οἶνος vinũ dicitur. Idem in Aegypto apud Plinthinã ciuitatem, vinum primò repertum tradit. Ad Gallos primum ferunt vinum detuliſſe Aruntem Tyrrhenum. Is vir nobiliſſimus à Lucumone alũno ſuo domo pulſus, ad Gallos cõfugit, eiſq́; dulcedine vini allectis facilè perſuaſit, vt ſibi auxilio in Italiam venirẽt, qui illuc facto agmine cõcurrentes, poſtea pulſis Tyrrhenis, ea terra potiti ſunt. autor Plutarchus in vita Camilli. Quidã autem ex arboribus alimenta hominibus à ſeculo

Venti



Venti filio reperta volunt. autor Euſebius in primo de præparat. Euange. Culturas earum vel aliarũ arborũ, teſte Plin. in VII. Eumolphus Athenienſis docuit: quamuis veriſimilius ſit, id Dionyſium priorẽ præſtitiſſe mortalibus, qui eas, vt ferunt, arbores plantauit. Inſerendi autẽ arbores modum primus docuit Saturnus, teſte Macrobius lib. Saturn. primo ita ſcribens: Huic Deo inſitiones ſurculorum, pomorúmque educationes, & omnium eiuſmodi fertilium arborũ tribuunt diſciplinas. Inſitionum verò, vt Columella libro ſuo de Arboribus tradit, tria ſunt genera: aut enim fiſſam in arborẽ ſurculi inſeruntur, aut inter lignũ & corticem ponuntur, aut gemma alterius arboris, ſed æſtiuo duntaxat tempore in cortice alterius intercluditur. Sed hæc apud poſteros inuenta, cùm ſatis conſtet Noë ſtatim atque egreſſus eſt ex arca, terram ſtudioſè coluiſſe, atque vineã primùm omniũ ſua manu ſeuiſſe. Vnde arguuntur, qui autorem vini Liberum putant. Qua ex vinea cùm primùm fructum cepiſſet, lætus factus bibit vſque ad ebrietatem, iacuitq́; nudus: id quod Ioſephus in primo Antiquitatum tradit. Cauponã, id eſt, tabernam vinariã, primi aperuerunt Lydi populi Aſiæ, vt ait Herodotus, quò, credo, ſuis ludis locum idoneum haberẽt: nã quemadmodum ſuprà demonſtrauimus, varia ludorum

 genera

genera inuenerant, quippe tale opus in cauponis maximè ſemper feruet. Vino aquam admiſceri, Staphilus Sitheni filius, vt prodit Plinius in VII. inſtituit. Cuius rei Diodorus luculenter in V. cùm de Dionyſio loquutur, rationem reddit: Aiunt cùm purum in cœnis vinum detur, omnes Deum ſoſpitẽ optare bibenti: cùm verò poſt cœnam aqua miſtum ſumitur, Iouem vocare ſeruatorẽ: nam puri vini potus ad inſaniã redigit, aqua verò miſtus, voluptatem lætitiámque affert, & prohibet inſaniam. Vnde in conuiuijs aquam vino admiſcendi mos fluxit, medicamentũ vtiq; præcipuum ad ebrietatẽ vitandam: ſed aliud ponit Plinius lib. XXX. cap. XIIII. ſcribens: Hirundinis roſtri cinis cum myrrha tritus, & in vino quod bibatur inſperſus, ſecuros præſtabit à temulentia. Inuenit hoc Horus Aſſyriorum rex. potum ex hordeo, vt idẽ ait, Dionyſius, id eſt, Liber pater, primus confecit, quem, teſte Euſebio in II. de Euangel. præparat. ceruiſiam vocãt: ſecundum Diodorum, Zythum dicunt, paulùm à vini ſapore differentem. Olim in primis fuit communis Aegyptiorum potus, autores Herodotus & Strabo. Quod Dionyſius potionis genus eos potiſſimum cõficere docuit, quorum regio vites non ferret. Quapropter hodie Angli, Scoti, Hyberni, item Galli, Germanique omnes Oceani oc-





cidentalis ſeptentrionaliſque accolæ, eo vtuntur potu, qui aduectitiã tantum vini copiã habent. Sed Germani dum ceruiſiam faciũt, admiſcent frugibus herbam lupum, quam vulgò lupulum vocãt: hæc enim reddit potum ſalubriorem. Quanquam Dioſcorides nõ valde potionem probat, in lib. II. ſcribens: Ex hordeo potus fit, qui ζῦθος nominatur: is vrinã cit, renes & neruos tentat, mẽbranis præſertim cerebrum veſtientibus officit, inflationẽ parit, vitioſum ſuccum creat, elephantiaſim gignit. qui eo potus genere perluitur, agilis, & ad opus obeundum expeditus euadit. hæc ille. Sed eam vim Zythus in eos minus habere videtur, qui à pueritia eo ſunt vſi. Oleam autem Minerua Athenis inuenit. Vergilius:

Oleæq; Minerua Inuentrix. In hunc ſanè modum.

Cùm enim Neptunus atque Minerua, teſte Seruio, de Athenarum nomine contenderent, placuit dijs, vt eius nomine appellaretur vrbs, qui munus melius mortalibus attuliſſet. Neptunus percuſſo littore, equum animal bello aptum produxit. Minerua iacta haſta, oleam creauit, quæ melior iudicata fuit, propterea quòd eſt inſigne pacis. At Diodorus in VI. dicit Mineruam non creaſſe primùm oleam, ſed inter alias arbores natã monſtraſſe mortalibus, quibus ignota eſſet. Etenim, vti nos infrà

Universidad de Deusto
Biblioteca



aperte oſtendemus, ante huius deæ ortum, erat hæc arbor cum alijs ſyluestribus immiſta: olei tamen vſus, vt Diodorus ait, aberat, cum eſſet ignota: & eo pacto illã olei exprimendi modum cõperiſſe ferunt. At Cicero libro de natura Deorũ III. Ariſtæum Apollinis filium oleam inueniſſe tradit. Oleum verò quãquam ipſe Diodorus, vt monſtrauimus, dicit Mineruam reperiſſe, tamen lib. V. hoc Ariſtæo aſſignat, ſicut lac coagulare, atque mel conficere: quod Iuſtinus in XIII. etiam tradit, quamuis in II. vti antea diximus, olei vſum Athenienſes inueniſſe prodat. Plin. verò in VII. ſcribit oleum & trapetes, hoc eſt, molam oleariam, Ariſtæum Athenienſem, itẽ mella inueniſſe. Oleam præterea longo tempore Athenis tantũ reperiri teſtatur Herodotus, qui lib. V. dicit, Epidaurios, cùm eis de agrorum ſterilitate oraculum conſulentibus Pythia iuſſiſſet, vt Damiæ & Auxeſiæ ſimulacra ex ligno oleæ erigerent, quoniam ferebatur nuſquam gentium, niſi Athenis, illa tẽpeſtate oleam eſſe, rogaſſe Athenienſes, vt ſibi permitterent oleam incidere. Quod æquè falſum eſſe ex Ioſephi teſtimonio deprehenditur, ac illud, Mineruam vel Ariſtæum hanc arborẽ, aut olei vſum primò monſtraſſe: is enim in primo Antiquitatum ſcribit, Noë, cum iam recedentibus aquis, arca in Armenia ſuper verticem

cuiuſdam



cuiuſdam montis reſediſſet, emiſiſſe columbã, & eam mox oleæ ramum ferentẽ ad illum rediiſſe. Quo quidem tẽpore, vt palam eſt, nondum erant Athenæ. Deinde in III. eiuſdem operis, docet Moſen, in ſacrificijs oleo eſſe vſum, ad lumina ſeruanda: poſt quem, autore Euſeb. in X. de præparatio. Euangel. Apollo Ariſtæi pater genitus eſt. Ex quo credere cõuenit, Mineruam & Ariſtæum in Græcia dũtaxat hæc primò monſtraſſe. In Italiã olea omnino tardè peruenit: nam Theophraſtus, teſte Plinio in principio XV. libri, vrbis Romæ anno circiter CCCCXL. negauit, niſi intra XL. millia paſſuum à mari naſci. Feneſtella verò dicit, hanc arborem omnino non fuiſſe in Italia, Hiſpania, atque Africa, Tarquinio Priſco regnãte, ab anno populi Romani CLXXIII. Mel & lac coagulare Ariſtæum omnium primum comperiſſe, Diodorus & Plinius autores ſunt, cum quibus conſentit Iuſtinus in XIII. licet libro XLIIII. vſum mellis colligendi Gargori regi Curetum attribuat, qui in Hiſpania ſaltus Carteſiorum incoluit. Sed hic, vt opinor, tantum in Hiſpania primus fortaſſe huius rei autor fuit. Verùm hæc Hebræis potius aſſignauerim ſiquidem, teſte Ioſepho, & mortalium omnium primi paſtores fuerunt, & apud eos multo ante Ariſtæum mellis vſus fuerat.

A quibus

Universidad de Deusto Biblioteca

A quibus quædam peregrinæ arbores in Italiam tranſlatæ. CAP. IIII.

ARbores tã magna ſunt mortalibus vſui,
vt ſine quib. vita degi non poſſit: arbo-
re enim, vt Plinius ait, ſulcamus maria, ter-
ram vertimus, tecta ædificamus, ſimulacra
Deorum cõſcimus: arbores præterea commu-
nem animãtibus victum ſuppeditãt, quarum
aliæ peregrinæ ſunt: de quibus hoc loco ra-
prim ac breuiter dicemus. Hæ aliæ alibi na-
ſcuntur, quia non omnis terra, ſicut poëta in-
quit, omnia ferre poteſt. Ex quo multæ in Ita-
liam aliunde tranſlatæ ſunt, ſicut ceraſus,
quam L. Lucullus poſt victoriã Mithridati-
cam, teſte Plin. li. XV. anno vrbis DCLXX.
primus vexit è Ponto. Teſtatur etiam D. Hie-
ronymus ad Marcellam, ſic lepidiſſimè ſcri-
bens: Accepimus & caniſtrum ceraſijs refer-
tum talibus, & tam virginali verecundia
rubentibus, vt ea nunc à Lucullo delata exi-
ſtimarem: ſiquidem hoc genus pomi Ponto &
Armenia ſubiugatis, de Ceraſunto primus
Romam pertulit, vnde & de patria arbor no-
men accepit. At annis CXX. poſt, trans Ocea-
num, in Britanniã vſque peruenit. Et zizi-
pha & tuberes malorum genera, hæc ex Afri-
ca, illa ex Syria, Sex. Papinius nouiſſimis diui
Auguſti temporibus primus attulit. Et arme-
niacus & Perſicus arbores, quæ ex nomine
ipſo



ipſo peregrinæ eſſe apparent, quis tamen eas
tranſtulerit, nõ facile dixerim. Multa etiam
ficorum genera ſunt, quæ ex alijs gentibus ad
nos peruenerunt, incertis propemodũ autori-
bus, teſte Plinio. Sed Platanus in primis ex ijs
quæ aliunde vectæ ſunt, mirum in modũ cele-
brata eſt, quæ vt ad nos venerit, aut quantum
ei honoris acceſſerit, Plin. in XII. docet, ſic
ſcribens: Sed quis non iure miretur arborem
vmbræ gratia tantũ ex alieno petitam orbe?
Platanus ea eſt. Hæc per mare Ionium, in Dio
medis inſulam eiuſdẽ tumuli gratia, primum
inuecta, inde in Siciliã tranſgreſſa, atque in-
ter primas donata Italiæ, etiam ad Morinos
vſque peruecta, ad tributariũ etiã pertinens
ſolum, vt gentes vectigal & pro vmbra pen-
dant. Dionyſius prior Siciliæ tyrannus Rhe-
gium in vrbem tranſtulit eas domus ſuæ mi-
raculum, & reliqua. At nihil ad noſtrã lau-
rum, quæ nõnullis in locis aliquando in pere-
grinis arboribus fuit, dicente eodẽ Plinio: No-
tatum antiquis, nullũ genus lauri in Corſica
fuiſſe, quod nunc ſatum & ibi prouenit, &c.
Hæc inquam poſt hominũ memoriam, feliciſ-
ſima arbor eſt, ad cuius comparationẽ plata-
nus nihil: quippe non vnam habet laurus do-
tem: dicatur enim triumphis, quando trium-
phantes ea coronantur: valet aduerſus fulmi-
na, quare ante limina excubat. Quapropter
ferunt

Universidad de Deusto Biblioteca



ferant Tiberium Cæſarem tonante cœlo, conſueuiſſe laurea uti corona. Itē exornat domos, & idcirco Cæſarū pontificūmque olim ianitrix erat. quin & pacifera habetur, quam prætendi inter armatos hoſtes, quietis ſit indicium. Romanis præcipuè lætitiæ, victoriarūmque nuntia, addebatur litteris militūmq́; lanceis, ac imperatorum faſces decorabat: abdicat inſuper ignes crepitu, & deteſtatione quadā, & denique Apollinis eſt arbor. Quas ob res, tantum eſt huic arbori ſemper honoris habitum, vt eam prophanis vſibus pollui fas minimè eſſet, vel quòd fortaſſe vnius arborū Latina lingua nomen viris imponatur, & cuius folium vocetur Laurea. Appellaui ſuprà noſtrā Laurū, ratione quam noſtræ Vergilianæ familiæ nomini ſacram mei maiores vnà cum duobus lacertis, inſigne gētis ratione non inani habuere: id quod carmen illud indicat:

Sum Laurus virtutis honos pergrata triūphis,
Ianitrixq́; domus, fulmina dira fugo.
Hoſtibus immiſſa & pacem, requiémque laborum,
Victori palmam lætitiámque fero.
Phœbus amat Laurum, & capitis nos illius inſtar,
Formoſum gerimus tēpus in omne comā.

Ecce



Ecce mea gemini ludunt ſub fronde lacerti,
Qui mecū quare hæc, accipe, ſigna colāt.
Ver ago perpetuum: In primo ver tempore monſtrant,
Vnde tenet nomen Vergiliana domus,
Quæ tā immota diu caſuráq́; tēpore nullo
Stabit, quàm viridi fronde perēnis ero.

Quid, quòd præterea malorum pirorūmque genera penè infinita quotidie atque huc atq; illuc deferuntur, quarum nonnullæ ab autoribus, vt appia, & pipina, quædam à ſapore, vt quæ ferunt melimela, aliæ ab odore, aliæ à colore nomina habent? De his ſatis ſupérque: nō eſt enim ſuſcepti operis munus, peregrinas arbores deſcribere: ſed hæc quando ad agriculturam attinent, perſtrinximus, vt illi quos res ruſtica delectat, plurimas arbores quæ modò vbique gentium abundant, aliunde originem habuiſſe intelligerent.

Quis primus animalibus, rebúſque aliis nomen impoſuerit, & de primo immolandi inſtituto, ac carnium eſu, víſque victus delicatioris, & more nominandi eum, cui in conuiuio poculum tradatur, ac de vſu venandi, piſcandi, & ſalis inuentione, & quis apud Rom. auiaria ferarūmque viuaria inſtituerit, aut quæ animalia legionum inſignia fuerint. CAP. V.

QVoniam rus diuerſi generis animalibus abundat, quæ veluti humanæ vitæ neceſſaria

ceſſaria Deus finxit, cõſentaneum eſt vt ſummatim de ijs aliquid dicatur. Animalibus itaque ſimulac creata ſunt, Adam, teſte Ioſepho in primo Antiquit. & Euſebio in 12. de præparatio. Euangel. nomina impoſuit, quibus etiam nunc vocantur: impoſuit & rebus alijs, quibus iamtum vti cœperat: quod à vero non vtique abhorrere exiſtimandum eſt: nã multis rebus cum ipſi Adam, tum eius filijs opus fuerat, quæ ſine nomine, internoſci minimè potuiſſent. Iſtuc autem facere, teſte Cicerone in Tuſcul. ſummæ ſapientiæ viſum eſt Pythagoræ. At animalia ſecundum Plin. volumi. VII. Hyperbius Martis filius occidere primus inſtituit, ſicut Prometheus bouem. Quod magis Abel Adam filio tribuerim, qui omniũ primus, vt Ioſephus eſt autor, primogenita ſuorum gregum Deo immolauit. Manauit poſtea iſte immolandi mos tam ad Abel poſteros Iudæos, quàm ad alias quoque gentes, reique apud eas initium fecit ſuillum pecoris genus, ſi Varroni credimus, qui libro de re Ruſt. II. eius opinionis argumentum ſumit ex eo, quòd initiũ Cereris porci immolabantur: quod in fœdere feriendo porcus occidebatur, quòd in coniunctione nuptiali, noua nupta & nouus maritus primùm porcum immolabat: quod denique priſci Latini, & etiam Græci in Italia idem factitabant. Et

illi



illi porci ad ſacrificium electi, eximij porci dicebantur, quòd vt maiores & optimi de grege eximerentur. Ritus verò ſacrificandi talis erat: primùm lotis manibus, hoſtias pura aqua purgabant, fruges capitibus earum inſpergentes: deinde precabantur, votáque nuncupabant: poſtea hoſtiarum tempora vectibus percutiebant, ac occidentes membratim diuidebant: ita primitias ex omnibus membris & exta collecta poſtquam farris inuoluiſſent farina, proiiciebant diis in altaria, focúmve, aut aras, hoc eſt, vaſa, quæ tripodes dicebantur, atque poſtremò ſuccendebant vina fundentes. Huius moris meminit Vergilius, cùm diis marinis ſacrificium fieret:

> Dij quibus imperium eſt pelagi, quorum æquora curro,
> Vobis lætus ego hoc cãdẽtẽ in littore taurũ
> Conſtituã ante aras voti reus, extaq; ſalſos
> Porriciã in fluct⁹, & vina liquẽtia fundã.

Qui verò immolabant, non deos modò voce precabantur, ſed etiam aras manibus prehendebant. Idem:

> Talibus orantem dictis, araſq; tenentem.

Quapropter Varro ſcribit, aras primò anſas dictas, quòd à ſacrificantibus tenerentur, quæ deinde mutatione literarũ, aræ vocatæ ſunt. Et is hoſtiarum etiam humanarum diis immolandarum modus, quem Homerus in ſua poëſi

r poſuit

Universidad de Deusto
Biblioteca



poſuit, & Romani quoque, teſte Dionyſio Ha-
licar. libro ſeptimo, vſurparant. Carnes au-
tem ſub Saturno, hoc eſt, in aureo ſeculo cùm
omnia humus funderet, nullum comediſſe, ſed
vniuerſos vixiſſe frugibus & pomis, quæ ſpon
tè terra gigneret, autore diuo Hieronymo ad-
uerſus Iouinianum, teſtatur Dicæarchus in li-
bris Antiquitatum, & deſcriptione Græciæ:
& Aſclepiades Cyprius, ætate qua Pygmaleon
in Oriente regnauit, ſcribit vſum comedenda-
rum carnium non fuiſſe. Cheremon Stoicus de
vita antiquorum Aegypti ſacerdotum ſcribẽs
narrat eos ex eo tempore quo cœpiſſent diuino
cultui deſeruire, carnibus & vino ſe abſti-
nuiſſe: ouum quoque pro carnibus vitauiſſe
& lac, eorum alterum carnes liquidas, alte-
rum ſanguinem eſſe dicentes colore mutato.
Brachmanæ apud Indos, teſte Euſebio libro
ſexto de præparatione Euangel. nihil anima-
tum edebant. Ioſephus libro ſecundo de bello
Iudaico, & in decimotertio, & decimooctauo
Antiquitatum, treis deſcribit ſectas Iudæo-
rum, Phariſeos, Sadducæos, Eſſenos: quorum
nouiſſimos fert ad cœlum laudibus, propterea
quòd ab vxoribus, & vino, &, vt Hieronymo
placet, carnibus ſemper abſtinuerint. Nec
etiam, ſicut idem ſentit, Hebraico populo
ſtatim poſt peccatum Adam, vt carne veſcere-
tur, à Deo conceſſum eſt, hoc eſt, non ante tem-
pora



pora Noe. In Creta, vt Euripides tradit, Iouis
prophetæ non ſolùm carnibus non veſcebãtur,
ſed ne coctis cibis quidem. Herodotus verò in
primo, Babylonios piſcibus olim tantum victi-
taſſe dicit. Xenocrates autem philoſophus ex
Triptolemi legibus, apud Athenienſes, tria
duntaxat præcepta in templo Cereris Eleuſi-
næ, remanſiſſe ſcribit: Honorandos parentes,
venerandos Deos, carnibus non veſcendum.
Lacedæmoniorum etiam menſæ ſummæ ſruga-
litatis erant. Multa denique huiuſcemodi con
tinentiæ exempla referre poſſem, quæ in præ-
ſentia non inuitus conſultò omitto, nonnulla
poſt ad hæc additurus, cùm de modo Chri-
ſtianæ abſtinentiæ tractabitur in libris in-
ſequentibus. Secundas menſas, quæ bellaria
nuncupantur, Iones primi omnium, teſte
Valer. Max. inuenerunt. Iidem & vnguen-
ti & coronarum in conuiuio dandarum con-
ſuetudinem, haud parua luxuriæ inuita-
menta repererunt. Quamobrem Spartana ci-
uitas, vt idem autor eſt, ſeueriſſimis Lycur-
gi legibus obtemperans, aliquandiu ciuium
ſuorum oculos à contemplanda Aſia retraxit,
ne illecebris eius capti, ad delicatius vitæ ge-
nus prolaberentur, vtpote quæ audierat lau-
titiam, inde etiam immodicos ſumptus, &
omnia non neceſſaria voluptatis genera fluxiſ
ſe. Quę ea omnia ipſa tamen Spartę non po-

tuit ita abſtinere, quis poſtremò receperit: ſi-
quidem apud Græcos paſſim conuiuia magni-
ficè & ſplendidè cõcelebrabantur, quorum mo-
ris fuit nominare cum cui poculum traditur-
erant, quò vna biberent. Mos iſte hodie vbiq;
propè gentium retinetur, ſed certè quidem ne-
ſcio quàm ſalubriter, ne dicam, quàm pruden-
ter, vt quis edendo cogatur pro alterius arbi-
tratu bibere. Nam idcirco cibum potúmque ca-
pimus, vt corpus nutriatur: quare aquè debe-
mus cibum potione temperare, atq; fabricator
murorum temperationẽ facit aqua, arena &
calcis, quæ ſi nimis dura aut liquida ſit, vt te-
nacior non eſt ad conſolidandum murum, ſic
cibus multo liquore in ſtomacho fluctuans mi-
nimè alit. Fuit alius ipſorum Græcorum mos
valde quidem honeſtus, vt in conuiuio viro-
rum non accumberent mulieres, autor M. Tul-
lius in Tuſcu. & in Verrem. Redeo rurſus eò-
dem. Vnde poſtea ad Romanos hanc mali con-
tagionem trãſiſſe veriſimile eſt, apud quos in
dies magis magiſque latius ſerpere: nam tan-
ta erat conuiuiorum luxuria, vt facilè vna
menſa patrimonium, etſi amplum, abſumere-
tur, magnumque ſæpius Reſpubli. detrimen-
tum pateretur. Quare Cato verus in hac par-
te vates, teſte Plutarcho aiebat, difficile eſ-
ſe eam Rempub. ſaluam fore, vbi piſciculus
pluris quàm bos venit. Quod Iuuenalis Sa-
tyra



tyra 11. conquerens inquit:

Multos porrò vides, quos ſæpe eluſus ad
ipſum
Creditor introitũ ſolet expectare macelli,
Et quibus in ſolo viuendi cauſa palato eſt.
Egregius cœnat meliúsque miſerrimus ho-
rum, &c.

Ex quo multæ leges, quas Cato cibarias vocat,
de coërcẽdis ſumptibus latæ ſunt. Sed quid de
Romanis loquor? nónne illa Cleopatra luxurio
ſiſſima centies ſeſtertium, vt teſtis eſt Plin. in
1 x. hoc eſt, centies centenis ſeſtertiis, quæ fa-
ciunt ducenta quinquaginta millia aureorum
noſtrorum, cœnata eſt, hauſto vnione pretioſiſ
ſimo? At, vt veterũ mores omittamus, quæ ætas
vnquam maiore aut cura, aut luxu gulæ indul
ſit, quàm noſtra? palati enim cauſa totũ pere-
currimus æquor, &, vt ait Hieron. propter bre
uem gulæ voluptatem, terram luſtramus &
maria, & vt mulſum vinum pretioſiſque ci-
bus fauces noſtras tranſeat, totius vitæ ope-
ra deſudamus. Iuuenalis:

Interea guſtus elemẽta per omnia quærũt.

Verius vero igitur eſt quod Socrates dictabat,
multos propterea velle viuere, vt eſſent & bi-
berẽt: ſe autem bibere atq; eſſe, vt viueret. Poſ
ſem in hoc loco multorum inuitamentorum gu
læ inuentores prodere, quos tamen malo in te-
nebris iacere, quàm eos nominando, tot conui-
tiis



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



tiis obnoxios reddere. Vſum venandi & piſcā-
di, quidam, teſte Euſebio, in primo de præpara-
tione Euang. apud Phœnices repertum volūt:
veluti ſalem & eius vſum Miſor & Selech in-
ueniſſe dicuntur. Romæ pauonē Q. Hortenſius
augurali cœna primus poſuit, autores Varro
in III. de Agricultura, & Plinius in X. & Ma-
crobius lib. Saturn. III. Auiaria, hoc eſt, loca
in quibus domi aues educantur, primus teſte
Plinio, inſtituit incluſis omnium generum aui-
bus, M. Lælius Strabo Brunduſij equeſtris ordi-
nis. Habuit etiam Romæ Alexander Impera-
tor voluptatis gratia, autor Lāpridius. Ex quo
captū eſt animalia carcere coërceri, quibus na-
tura cœlum aut terram aſſignauerat, nam &
leporaria, id eſt, viuaria ferarum, muris vndi-
que ſepta, autore Plin. in VIII. à Fuluio Hir-
pino primùm condita ſunt, vt etiam hodie nō-
nulla in Italia extant: diuus enim Federicus
dux Vrbini duo equidem fecit, in quibus om-
ne ferarū genus incluſit, vt quoties per negotia
liceret, animi cauſa ſe honeſtiſſimo huiuſmo-
di venationis genere exercere poſſet. At alibi,
& præſertim in Anglia paſſim eiuſmodi viua-
ria ſunt: quæ cum roboreis ſudibus ſepta ſint,
rectè veteri vocabulo roboraria dici poſſunt.
Et hæc loca Angli in ſummis cùm voluptatibus
tum opibus habent, quando nulla apud eos vi-
detur magnifica villa, quam viuarium ferarū





ceruorum & damarum non ornarit. Non eſt
inſuper ab re demonſtrare, tantū honoris qui-
buſdā acceſſiſſe animalibus, vt legionū Roma-
narum inſignia forent: erāt enim ſigna, lupi,
minotauri, equi, apri, & aquila, quam legioni-
bus C. Marius in ſecūdo conſulatu ſuo propriè
dicauit. autor Plinius lib. X. Naturalis hiſtoriæ.

Quis primus inuenerit linum, retia, nen-
di texendique modum, vel artem fullo-
niam, & ſaponem: aut qui lanas infecerint,
aut repererint lanificij, veſtiúmque ac pel-
lium vſum, fuſos, aulæa, ſutoriam artem, ſe-
ricum, & quando eius copia per Europā fie-
ri cœperit, ac bombycinam veſtē atque pur-
puram, ac quanto in honore olim & pretio
fuerit. CAP. VI.

Mille lini vſus ſunt, ſed præſertim in ve-
lis faciundis, quod execratione dignum
eſt, ad perniciem hominum. Quod enim maius
miraculum videri poteſt, quā vt herba ſit hoc
linum, quæ eatenus Aegyptum, Syriā, Africā,
Hiſpaniam, Galliā Italiæ admoueat, vt multā
paruo quidem temporis ſpatio, ad ea ipſa loca
leuiſſimo etiam ventorū flatu perueniant? Au-
dax itaq; vita & ſcelerum plena, vt Plin. ait,
aliquid ſerere voluit, vt ventos procellasq; re-
ciperet: ita enim tam paruo ſemine naſcitur,
quod orbem terrarum vltro citroq; portat, ho-
minemq; ipſum, perinde quaſi parum fuiſſet in
terra mori, cogit perire in aquis, vbi inſepul-

Universidad de Deusto Biblioteca



tus à monſtris marinis voretur. Propter quod Plin. ait, haud ſe ſcire quæ execratio ſatis eſſet contra inuentorem. Sed ad rem veniamus. Linum Arachne virgo, quæ Lydia fuit, omnium prima, teſte Plinio lib. VII. inuenit: quanquam eius vſum apud Hebræorum antiquiſſimos multò antè fuiſſe comperimus. Hæc lanificij peritiſſima Mineruam in certamen prouocauit, à qua in beſtiolam, quæ araneola dicitur, conuerſa eſt. autor Ouid. in VI. Metamorph. Hæc eadem retia inuenit, quæ feris auibúsque atque piſcibus capiundis tenduntur. Nendi autem texendiq; artem Palladem inſtituiſſe nemo ambigit, quippe quæ Mineruæ ars nominatur. Quod innuere videtur Naſo in primo de Arte amandi his verſibus:

> Quid facis Aeacide? non ſunt tua munera lanæ,
> At titulos alia Palladis arte pete.

Et Auſonius libro primo:

> Licia qui texũt, et carmina, carmina muſis,
> Licia contribuunt caſta Minerua tibi.

Plinius tamen in VII. dicit Aegyptios textilia cõperiſſe, qui etiam plurimis liciis texere, quæ πολύμιτα vocant, ſimul inſtituerunt. idẽ autor lib. VIII. Fulloniam artẽ Nicias Megarenſis inuenit, quam qui exercent, fullones nominantur: q̃ veſtimẽta curãt, poliuntq;, & ad id ſapone vtuntur, quẽ Plin. lib. XXVIII. cap.



cap. XII. à Gallis inuentũ tradit. Græcè dicitur σμῆγμα quicquid purgat. Idem libr. XXVII. cum de oſyris herbæ foliis & ſemine tractat, Smegmata, inquit, faciunt mulieribus ex his. Lanas inficere primum Sardibus Lydi, autor Plin. Vſum verò lanificij Iuſtinus libr. II. Athenienſes primos docuiſſe tradit. Quod ego Mineruæ potius tribuerim, ſiquidem illa erat antequam Athenæ conditæ forent: & quoniã lanificium callebat, credibile eſt eam primò lanificium monſtraſſe, præſertim Atheniẽſibus, apud quos caſtiſſimè colebatur. Quapropter Iuſtinus, vt puto, facilè intelligit Athenienſes lanificij vſum primos poſt Mineruam docuiſſe, veluti eos, autore Diodoro, primos ſecũdum Cererem, vel Siculos, frumentum monſtraſſe probauimus. Fuſos in lanificio reperit Cloſter filius Arachnæ, teſtis Plinius. Illud quaſi prætieriens non omittam, olim in pleriſq; Italiæ locis, lege pagana ſancitũ fuiſſe, vt ne mulieres fuſos per itinera ambulantes torquerẽt, né ve detectos ferrent, quòd id aduerſaretur omniũ ſpei, præcipueq; frugum. Hinc cognoſcere licet quàm vana fuerit veterum religio: hodie enim Italicæ mulieres illud paſſim faciunt, ſine tamen alicuius rei maleficio. Aulæa ornamenta, quibus parietes & aulæ teguntur, primùm, teſte Seruio ſuper tertio Georg. in aula Attali regis Aſiæ, vnde nomen habent, inuenta ſunt,

Universidad de Deusto Biblioteca

poſtquam is populum Romanum fecit hæredem. Sutoriæ artis inuentionem Plinius neſcio cui Boëthio aſſignat: ego verò dixerim Hebræos primos ſutores fuiſſe, quando ſatis conſtat Moſen calceatum extitiſſe, cui, velut in Exodo capite tertio patet, dictum à Domino fuerit, Solue calceamētum de pedibus tuis. Veſtium vſum Palladem inueniſſe Diodorus libro ſexto, autor eſt. Sed, vt ait Euſebius, cùm de rebus Phœnicum in primo de Euang. præparat. ſcribit, Vſo ex Siculi genere ortus, traditur primus corporibus tegmina ex pellibus ferinis confeciſſe. Quod ego illis apud Phœnices duntaxat tribuendum duco, quando Adam primus à Deo creatus, pelliceam ſibi veſtem fecit, quod proculdubio veſtes faciundi poſteris exemplar extitit. Præterea, quoniam de veſtibus facta eſt mentio, videtur locus exigere, vt ſingulorum veſtimentorum inuentores prodamus. Latus clauus primùm repertus eſt ab incolis Balearium inſularū, quo Caius Cæſar, autore Trāquillo, ad manus fimbriato vſus eſt, et à latis clauis, qui eius veſtitus tunicæ inſerti erāt, nomen habet: vnde tunica lati claui palmata à genere picturæ dicta. Auri intexēdi modū, vti Plin. in XXXIII. & in VIII. eſt teſtis, Attalus rex Aſiæ inuenit, vnde Attalicæ veſtes dictæ. Acu facere excogitauerūt Phryges Idæi, ideoq; Phrigiones vocati ſunt, & veſtes ipſæ

Phry



Phrygianæ. Rectā tunicam Tanaquil prima contexuit. Apud Græcos inuentū eſt pallium, ſicut apud Hetruſcos prætexta, ita nūcupata, quòd eius circuitus & ora purpura prætextæ eſſent: & magiſtratuum veſtitus erat. Cōtrà toga alia pura dicebatur, cui nihil purpuræ foret prætextum, qua teſte Plin. in VIII. tyrones ac nouæ nuptæ induebātur. Item colores diuerſos intexere Babylonij cœperūt. Martialis: Veſte Semiramia, quæ variatur acu. Vndulatam veſtē, quæ toga regia dicebatur, qua Seruius Tullius vſus eſt, fecit Caia Cæcilia, quæ eadem Tanaquil vocata eſt autor Plinius octauo. & vndulata dicta, quòd vndis aſperſa foret, quæ fit ex pilis hircorū caprarumque. Hoc genus panni nos ſymbaliſton vulgò vocamus. Dalmatica veſtis longa, non admodū lata, à Dalmatis primùm cōfecta. Gabanium à Græcis inuentum eiuſdē ferè formæ, ac dalmatica eſt, manicis eius longitudinē æquantibus, quo Itali etiā nunc vna cum Græcis vtuntur. Eorundem Græcorum inuentum fertur mantale, quod eſt genus penulæ, quam ipſi μανδύην vocant, nos verò mantelum, at vulgò cappam, cuius nunc vbique gentium vſus eſt perquam celebris. Braccæ Gallorum veſtitus fluxus intonſuſque, ac varij coloris: vnde pars Galliæ Braccata appellata eſt. Sindonem ex lino amictum primum in vrbe Sidone factam conſtat,

qua

qua corpus ſeruatoris noſtri inuolutum Matthæus tradit. Hæc de veſtimentis, quorum autores produntur, dicere habui. Erant veſtes aliæ alijs peculiares, vt toga Romanis & Gallis, ex quo Gallia Ciſalpina Toga nuncupata eſt. Tunica interior veſtis ſine manicis, ſenatoria, eadẽ nobis linea proxima carni eſt, quam camiſiam vocamus. Bulla aurea puerorum nobilium Romanorum erat, trabea triumphantium, lacerna ludorum ſpectantium: militum verò, paludamentum, chlamys, quę & Macedonum, Græcorumque, abolla, læna, & ſagum, quod vulgò ſayon vel cotta dicitur, à quo milites noſtros ſagatos appellamus. At ſtola matronarum erat ad pedes vſque demiſſa, extremáque in parte inſtita, faſciola exornata. Atque hæc Romanorum aliorúmque populorum veſtimenta propria, quæ vno alteróve tempore ab illis ipſis inuẽta dixerim. Eſt & cilicium veſtis genus, confectum ex villis hircorum atque caprarum, quod teſte Varrone, Cilicia, vnde nomen habet, primùm inuenit, vt illud denſe duplicatum adhiberetur, ad ſaggittarum ictus excipiẽdos. In eo apud nos ſumma eſt ſanctitatis tutela, quando viri ſanctiſſimi ad domandũ corpus proxime carnem vtũtur. Pellium vſus frigoris vitãdi cauſa, olim apud Britannos fuit, quemadmodum in noſtra Anglica hiſtoria oſtendimus. Item apud Scythas,



Universidad de Deusto Biblioteca



Ouidius de Triſt. lib. III. inter quos exulauit:

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis,
Oráque de toto corpore ſola patent.

Apud veteres Romanos non fuiſſe teſtatur Tranquil. ſcribens Auguſtum ſolitum eſſe hyeme ſe quaternis tunicis munire, aduerſus vim frigoris: quod vtique non feciſſet, ſi pellibus longè mollioribus vti mos fuiſſet. Poſtea Neronis temporibus ea mollitia ad ipſos quoq; Romanos irrepſit, quando Seneca in Epiſt. frigoris cauſa, meminit de pelliculis vulpium & murium ponticorum, quas Itali zebellinos, & alij præſertim Angli ſables vocant, quæ vt quam aliæ molliores, ita pretioſiores multò ſunt. Sed longum etſi nimis facimus, non præteribo tamen ſericum, fœminarum virorumq; luxuriæ vberrimum alimentum. Hoc ſeres Scytharum populi, à quibus nomen habet, primùm inuenerunt, dicente Plin. in VI. Primi ſunt hominum qui noſcãtur, ſeres, lanificio ſyluarum nobiles, perfuſam aqua depectentes frondium caniciem: vnde geminus fœminis noſtris labor redordiendi fila, ruſúmque texendi: tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, vt in publico matrona tranſluceat. Item Vergil. in II. Georg.

Velleráque vt folijs depectãt tenuia ſeres.

Ex his autem Vergilij verbis multi ſuſpicantur hu

tur huiuſmodi vellera non à vermibus, vt apud nos ſiunt, cõfici, ſed ſua ſponte in frondibus illarum arborũ naſci. Cui opinioni Solinus etiam ſuffragari videtur, cùm ſcribat, ſeres aquarũ aſpergine inundatis frondibus vellera arborũ adminiculo depectere, liquoris & lanuginis teneram ſubtilitatẽ humore domantes. Verùm Seruius hoc non minus ſcitè quàm elegãter declarat ſuper II. Geor. vbi Maro oſtẽdit apud alias quoq; gẽtes lanigeras arbores naſci dicẽs,

Quid nemora Aethiopum molli canentia lana? &c.

Ait enim: Apud Indos & ſeres ſunt quidam in arboribus vermes, qui bõbyces appellantur, qui aranearum more, fila tenuiſſima deducũt, vnde eſt ſericum, hæc Seruius: cui Plinius ſuppetias ferre videtur, cùm in XI. de bombyce Coa loquitur, ſcribens: Et in Co inſula naſci traduntur cupreſſi, terebinthini, fraxini, quercus, florem imbribus decuſſum terræ halitu animante. Fieri autem primo papiliones paruos nudóſque, mox frigorũ impatientia villis inhorreſcere, & aduerſus hyemẽ tunicas ſibi inſtaurare denſas, pedum aſperitate radente foliorum lanuginẽ in vellera. Hanc ab his quoque cogi, ſubigiq; vnguiũ carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari cen pectine, & reliqua. Bombycinas igitur veſtes à ſericis non diſtinguunt, quas in filum retorquere, ac inde

texere



texere, in Co inſula Pãphila Platis filia inuenit. autor Ariſtoteles de animalibus, & Plin. in XI. At ſerici vſus tardè admodum ad nos acceſſit, magniq; fuit pretiũ. nam vti Vopiſcus teſtatur, Aureliano principe, qui regnare cœpit anno circiter ſalutis humanæ CCLXXIIII. ſerici libra auri pondo, id eſt, libra vẽdebatur: quare is princeps modeſtiſſimus nunquã holoſericam veſtẽ quæ tota ex ſerico intexta erat, induere voluit, qua paulò antè primus Romanorum Antoninus Heliogabalus homo luxurioſiſſimus vſus eſt, autor Lampridius, cùm id temporis tantum in vſu eſſet veſtis ſubſericæ, cuius ſtamen ex ſerico foret, trama autem ex alia materia, cuiuſmodi hodie pannum in primis cõficiunt Flandri, quem Satin de Burges vulgò appellant. Poſthac circiter annũ ſalutis DLV. ingens ſerici copia per totã Europam fieri cœpit, cùm per idem tẽpus duo monachi, velut Procopius autor Græcus tradit, vermiculorum ſemen, hoc eſt, oua ex Serinda Indiæ ciuitate, ad Iuſtinianum Imperatorem Conſtantinopolim attulerint. Fit autem ex puro ſerico panni in primis triplex genus: vnum vulgò dicitur raſum, quòd in eo nullus vtrinque ſit pilus, apud alios vocatur ſetin: alterum damaſcum floribus intextum quòd Damaſci in Syriæ ciuitate primò confectum ſit: tertium villutum, id eſt, villoſum, quod ex altera parte

villos

Universidad de Deusto Biblioteca



villos habet. Purpura verò quo pacto, & quando ſit inuenta, eſt apud Pollucem libro de Verbis idoneis ad Commodum primo, qui inquit: Tyrij ferunt captum amore Herculem cuiuſdam Nymphæ indigenæ, cui nomen Tyros, ſequebatúrque eum canis, qui irreptantem ſcopulis purpuram conſpicatus, pereſa caruncula, ſua ſibi labra cruore puniceo infecit. Cùm igitur ad puellam adiſſet Hercules, delectata illa inſueta tinctura, affirmauit ſibi cum illo poſthac nihil fore, niſi ad ſe veſtem afferret, ceteram canis illius labris ſplendidiorem. Quocirca Hercules inuenta animante, collectóque ſanguine, munus puellæ detulit, primus, vt Syrij dictitant, puniceæ infecturæ autor. Sunt autem purpuræ, teſte Plinio libro nono cap. trigeſimo ſexto, piſces ex concharum genere, quæ ſeptem vt plurimum viuunt annos, congregantur verno tempore: mutuóque attritu liquorem quendam veluti ceræ emittunt: ſed nobilem illum ſuccum, quo veſtes tinguntur, in medijs habent faucibus, quem cum vita euomunt, ideo viuæ capiendæ ſunt. Hinc purpureus color, qui nigrantis roſæ ſplendore ſublucet. Eſt eiuſdem concharum generis, ſed non idem murex piſcis, qui & conchylium dicitur, cuius cruore conficitur color etiam purpureus, quem oſtrum appellant. Ex quo à bonis autoribus eiuſcemodi piſcium, purpuræ, muricis, conchy-





lij nomina, pro ipſo colore paſſim vſurpantur. Fuit Romæ purpuræ vſus, iam inde ab initio vrbis conditæ, diſtinguebatque ab equite curiam, id eſt, inſigne erat Romanorum magiſtratuum, quæ idcirco quàm plurimo vendebatur: nam purpuræ violaceæ libra tempore Augusti Cæſaris cētum denarijs venibat, hoc eſt, decem noſtris coronatis aureis. Poſtea dibapha tyria, ita dicta quòd bis tincta eſſet, & apud Tyrios infectores optimos, in libras, vt inquit Plin. non poterat emi mille denarijs, id eſt, centum coronatis. Quapropter cùm poſteritas ſemper luxurioſa fuerit, mirum profectò eſt, purpuræ vſum tam rarum, vel potius nobis penitus eſſe ignotum.

De origine architecturæ. CAP. VII.

HOmines primùm more ferarum, in ſyluis & ſpeluncis & nemoribus naſcebantur, cibóque agreſti veſcendo ibi vitam agebant: poſtea reperto igne, vt Vitruuio de Architectura placet, cognitáque eius commoditate, ad teporem propter vim frigoris arcendā, propius accedentes, in vnum plures conuenire cœperunt, & in eo congreſſu, quicquid vellent, iam tum facilè tractare, vt qui rationis participes erant: alij ex fronde tecta facere, alij ſpeluncas ſub montibus fodere, vti Troglodítæ & Libyæ quidam populi Heſperijs Aethiopibus vicini, teſte Strabone in XVII. Geograp.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*factitabant: nonnulli hirundinum nidos imitantes, ex luto & virgultis condere loca quæ ſubirent. Et ſic vſu venit, vt homines, quorum ad quiduis intenditur ingenium, valet, nouis inuentionibus gloriantes, & alij alijs deinde oſtendentes, ædificia informare, parietes furcis erectis, & virgultis interpoſitis luto texere, lateas glebas areſacientes ſtruere, & vt imbres & æſtus vitarent, arundinibus, vel fronde tegere, vel ex vlua paluſtri tuguria componere cœperint. Quæ ædificia Vitru. teſtatur, ſua etiam ætate conſtruxiſſe Galliam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Aquitaniam, Phrigiam. At etiam Aegyptus poſuerat, ſecundum Diodorum: imò apud omnes ferè gentes talia hodie viſuntur: nec mirum; cùm ſint qui etiam nunc ſine ædificiis, ſub dio vitam ducant, pars in curribus, vt Scythæ prope omnes, pars in campis, vt Nomades & Saraceni, in Africa, qui ſyluestres nuncupantur. Atque eo pacto rem paulatim ad artem, id eſt, architecturam, deductam ferunt, quæ ædificandi rationem docet, quam, autore Diodoro in VI. Palladi aſſignant. Quod ego ex Ioſephi teſtimonio, aut Cain Adam primi hominis filio, aut Iobal ex Lamech genito potius attribuerim, quorum alter primus, ſicut infrà dicemus, oppidum, alter tabernaculum condidit. Vnde deinceps non modò caſas, ſed domos ex lateritijs parietibus & lapide ſtructas, imo*

*deorum*



*deorum templa quàm ornatiſſima facere cœperunt. Sed iam ad ædificiorum diuerſi generis autores tranſeamus.*

Qui primi luteas aut lateritias domos ædificauerint, & tegulas & lapidicinas inuenerint, & de prima columnarum origine, & quando primùm marmorum vſus Romæ in ædificiis. CAP. VIII.

*Domos luteas, teſte Plinio lib. VII. Doxius Gellij filius primus ædificauit, ſumpto ab hirundinum nidis exemplo. Lateritias verò, hoc eſt, ex lateribus conſtructas eodem autore, Euryalus & Hyperbius fratres Athenis primùm fecerunt. Earum ſtructuras Diodorus in VI. dicit Veſtam Saturni ex Rhea filiam primam inueniſſe. Domos ipſas & agros, teſte Laertio, Epimenides Cretenſis primitus expiaſſe dicitur. Tegulas, quibus domus teguntur, Cinyra Agriopæ filius in Cypro inſula inuenit. Lapidicinas, hoc eſt, loca vbi lapides effodiuntur, Cadmus Thebis, aut ſicut Theophraſto placet, in Phœnicia. autor Plinius. Verum ego huiuſmodi rerum inuentionem verius, vt opinor, Cain, aut Seth eius fratris filijs aſſignarim, quando ille, teſte Ioſepho in primo Antiquitatum, mortalium omnium primus oppidum condidit, de quo infrà mentionem faciam: iſti verò, vt in primo huius operis volumine demonſtrauimus, columnas*

 *duas*

Universidad de Deusto
Biblioteca

*duas, id eſt, vnam lateritiam, alteram lapi-
deam, vt in eis rerum cœleſtium diſciplinam
inſcriberent, conſtruxerunt, quàm primam
columnarum atque laterum originem eſſe
dixerim. Quo apparet, in ipſo ferè mundi pri-
mordio domos aliáque ædificia ex diuerſis ma
terijs cõſtruendi vſum fuiſſe. Non eo tamen in
ficias, eos, quos ex autoritate Plin. prodidimus,
vſpiam deinceps hæc primos docuiſſe. De mar
more reſtat dicere, cuius fodiendi cauſa (tan-
tum enim deliciarũ olim mortalibus obrepſit)
natura ipſa rerum penè acta eſt in planum,
montes ipſi ceſi, promontoria mari aperta, vi-
ſcera denique terræ in ſexcentas partes dila-
cerata ſunt. Vnde, vt de cæteris ſileam, ad Ro-
manos tanta marmoris, cuius conuehendi gra
tia naues etiã ſiebant, copia venit, vt M. Scau-
ri ædilitate, autore Plinio libro XXXVI. Na-
tur. hiſtor. trecentæ ſexaginta columnæ mar-
moreæ ad ſcenam theatri non diutius ludo-
rum celebritate duraturi, portatæ ſint. At L.
Craſſus orator primus peregrini marmoris co
lumnas habuit. M. vero Lepidus primus o-
mnium limina ex Numidico marmore in do-
mo poſuit, magna reprehenſione, qui conſul
fuit anno vrbis DCLXXVI. Cruſta marmo-
ris primus, teſte Cornelio Nepote, totius do-
mus parietes Mamurra eques Romanus ope-
ruit, qui fuit præfectus fabrorum C. Cæſa-
ris*



*ris in Gallia. Marmore autem ſcalpendo pri-
mi omnium inclaruerunt Dipœnus & Scyl-
lus, geniti in Creta inſula, prius quàm Cy-
rus in Perſis regnare inciperet.*

## Qui primi condiderint oppidum, muros, turres, tabernacula, delubra, aut quis primus Deo omnipotenti templum poſuerit, & qui puteos foderint. CAP. IX.

*MOrtales ab initio conditis per rura ca-
ſis, vt dictũ eſt, paulatim inter ſe coëun
do è fera agreſtique vita ad mãſuetiores mo-
res peruenerunt, tuncque primũ vinculo quo-
dam ſocietatis ſimul vincti, oppidum, hoc eſt,
locum muris munitum, ædificarunt vt eò opes
ſuas cõferrent, vbi nullũ eſſet hoſtium pericu-
lum: qui inde ciues à coëundo vocati ſunt, &
ipſum oppidum vrbs, quam colit ciuitas, id eſt
ciuium cœtus, dicta ab vruo parte aratri cur-
uata, quo illi antiqui homines ritu Hetruſco,
ſulcum ducebãt, intra quem oppidum poſiturã
eſſent, vt illud foſſa muróque munitum foret.
Hoc primus omnium, teſte Plinio, Cecrops cõ-
didit, qui fuit, vt Iuſtinus ait in ſecundo, an-
te Deucalionis tempora, idque à ſe Cecropiã
nominauit, quæ deinde arx fuit Athenis. Ali-
qui Argos, quod Pelaſgicum autore Strabone
libro VIII. Geograph. Homerus vocat, à Pho
roneo rege antè conditum volunt, de quo Lu-
canus in ſexto:*

--*Vbi nobile quondam, Nunc ſuper Argi arant.*

*Fuit alterum Argos in Attica: aliud, vt Plinius in IIII. eſt teſtis, in Achaia Hippium cognominatum. Quidã etiam Sicyonẽ primũ conſtructam dicunt. Aegyptij verò multò antè apud ſe Dioſpolin, id eſt, Iouis oppidũ, ædificatam aſſerunt, quod fidem propius eſt, cùm ipſi omnino antiquiſſimi ſint. De hoc oppido Strabo libro XVII. meminit. Muros Thraſon fecit primus omnium. Turres, vt Ariſtoteles ait, Cyclopes inuenerunt: vt Theophraſtus, Phœnices. Quod Vergilius Palladi aſſignare videtur in Bucolicis:*

*-Pallas quas condidit arces. Ipſa colat.*

*Quæ quidem omnia poſtea inuenta puto, cùm Cain Adam filius, qui ſicut palàm eſt, in ipſo propemodum orbis principio fuit, autore Ioſepho in primo Antiquitatum, mortaliũ omniũ primus vrbem condiderit, muriſque munierit, quam ab Enoch filio ſuo ſeniore Enochiam appellauit. Turrim verò quæ præ altitudine vix oculis terminari poterat, in eo loco quæ deinceps Babylon vocata eſt, vt idem teſtatur, inuentus poſt diluuiũ Noë, rurſum vim aquarum formidans, id ſuadẽte Nemroth, primum conſtruxit. Quare Cecropiam, Argos, Sicyonem, Dioſpolin vrbes vnà cum turribus poſtea conditas fuiſſe, iam meo iudicio liquidò conſtat.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*ſtat. Tabernacula, teſte Ioſepho in primo Antiquitatum, Iobal filius Lamech fecit, quãuis Phœnices seculi nepotibus attribuant. autor Euſebius de præparat. Euangel. Delubra Epimenidem Cretenſem primum ædificaſſe, autor eſt Diogenes Laërtius libro primo. At Vitruuius Pythium architectum primum omnium Prienæ ædem Mineruæ feciſſe tradit. Herodotus tamen lib. II. Aegyptios, vt nos in primo huius operis volumine ſcripſimus, primos dijs delubra ſtatuiſſe prodidit. Romæ, teſte Liuio, Romulus templum locauit Ioui Feretrio, quod primum omnium more gentis ſacratum fuit. Deo autẽ omnipotenti Solomon rex Hebræorum ab ortu Adã primi hominis, tribus millibus centum & duobus pòſt annis, primus omnium, autore Ioſepho libro octauo Antiquitatum, Hieroſolymis templum condidit, quod Dauid illius patrẽ extruere parantem, Deus per Nathan prophetam ab opere, propterea quòd manus hoſtium ſanguine pollutas haberet, reuocauit, eique iuſſit, vt id Solomoni filio condendum relinqueret. Quod quidẽ templum cùm miro opificũ artificio, tum ingentẽ auri copia quo ornatum erat, omniũ profectò operum quæ tunc in orbe terrarum extabant, celeberrimum fuit. Secus tamen factitauit Alexander Romanus Imperator, vir in hac parte haud mehercle contemnendus, qui teſte*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Lampridio, in templũ nunquam præter quatuor aut quinque argẽti libras, auri ne guttulam quidẽ, aut bracteolam poſuit, identidem verſum Perſij repetens, In ſacro quid facit aurum? Puteos, autore Plinio in* VII. *Danaus ex Aegypto aduectus in Græciam quæ vocabatur Argos Dipſion, fodit. Quod ſanè abſurdum eſt: nã vt ab ouo, veluti dicitur, incipiam, cõſtat primò Abraham & Iſaac, ſicut patet in Geneſ. lib. cap.* XXVI. *ac deinde alios Hebræos de Aegypto egreſſos, duce Moſe, per ſolitudines multos fodiſſe puteos, quo tempore nondum Danaus erat, dicente Ioſepho contra Appionẽ: Iam palàm verò eſt ex prædictis annis tempore computato, quia hi qui vocabantur paſtores, id eſt, noſtri progenitores, ex Aegypto liberati ante tres & nonaginta atq; trecentos annos hãc prouinciã inhabitauere, quam Danaus Argos accederet. Sed nec Argis quidẽ Danaus puteos fodit, verum eius filiæ: poëtæ enim aiũt, vt teſtis eſt Strabo lib.* VIII. *Argos aquis carere. Vnde Homeri verſus:*

θεοὶ δ᾽ αὖ θέσαν Ἄργος ἄνυδρον.

*Dij poſuere Argos lympharum protinus expers.*

*Sed non ipſam regionem, quæ amnibus irrigua eſt, aquarum inopia laborare volunt, verùm oppidum. Vrbem verò illam, vt Strabo ait, in loco iacuiſſe arido ferunt, in qua ma-*

gna



*gna erat puteorum copia, quos non Danaus, ſicut Plinio placet, ſed eius filiæ fecerunt, teſtificante hoc carmine:*

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναὰι θέσαν Ἄργος ἔνυδρον.

*Argos aquis vacuum Danaæ ſtruxere redundans.*

De primis labyrinthorũ pyramidũmq; autoribus & de mauſoleo ſepulchro, ac de vario apud gentes olim ſepeliendi vſu, & vnde apud Romanos mos cremandi cadauera, conſecrandorũmque Imperatorũ poſt mortem, atq; de origine funebris orationis.

CAPVT X.

*OPeræpretium eſt, vt antequam hinc digrediamur, labyrinthos dicamus portentoſiſſimum humani ingenij opus: in ſe enim continent mille itinerũ ambages, occurſus ac recurſus inexplicabiles, crebris foribus indiditis, ad fallendum occurſus, redeundũmque in errores eoſdẽ. Quatuor fuiſſe commemorãtur: Primus in Aegypto, quem alij regiam Motherudis principis fuiſſe exiſtimant: alij ſepulchrũ Meridis, quod etiam Diodorus ſentit: plures alij ſoli honori extructum ferunt. Hunc Plinius lib.* XXXVI. *ait à Petеſuco rege, ſiue à Tithoe eſſe cõditum. At Herodotus libro* II. *commune Aegyptiorum regum opus appellat, ſeque illum vidiſſe paulò ſupra ſtagnum Myrios, verſus Cracodilorum vrbem conditũ teſtatur:*

 ſtatur:

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſtatur: de quo Strabo etiam in decimoſeptimo meminit. Hinc ſumpſiſſe Dædalum exemplar illius, quem fecit in Creta, non eſt dubium, ſed centeſimam tantum eius portionem imitatũ. Alter hic ab Aegyptio labyrinthus fuit, de quo intellexit poëta in ſexto Aeneidos, dicens:

*Hic labor ille domus, & inextricabilis*
*error.*

Et Ariadne apud Ouidium epiſtola x.

*Cùm tibi, ne victus tecto morerere recuruo,*
*Quæ regerent paſſus pro duce fila dedi.*

Idem Naſo in VIII. Metamorph.

*Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis,*
*Ponit opus, turbatq; notas, & lumina flexu*
*Ducit in errorẽ variarũ ambage viarum.*

Plinius quoque & Plutarchus in vita Theſei, & Strabo atque diuus Hieronymus mentionem faciunt. Tertius in Lemno fuit, quem, eadem Plinio autore, fecere architecti Zmilus & Rholus & Theodorus indigenæ, cuius Plinij ætate, vt ipſe eſt teſtis, reliquiæ extabant. Quartus in Italia: omnes lapide polito, fornicibus tecti. Italicum Labyrinthũ, ſicut teſtatur Plinius, ſibi fecit Porſena rex Hetruſcorũ ſepulchri cauſa, de quo Varro: ſepultus eſt Porſena ſub vrbe Cluſio, in quo loco monimentum reliquit lapide quadrato, ſingula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm,





inq; baſi quadrata, intus labyrinthum inextricabilem, &c. De labyrinthis ſatis eſt dictũ. Sequuntur pyramides, quarũ autores minimè ſunt ſua laude fraudandi, propter videlicet earum magnitudinẽ: tam altæ enim in Aegypto fuiſſe traduntur, vt magna omniũ admiratio fuerit, qua ratione in tantam altitudinem ſubuecta forent cæmenta. Tres autem pyramides, autore Plinio, inter Memphim & Deltam fuiſſe conſtat, quarum vnam ac reliquarum maximam, teſte Diodoro libro II. CCCLX. hominum millia annis XX. conſtruxiſſe produntur: quam, vt idem dicit, ſibi fecit vt in ea ſepeliretur, quando iſtæ pyramides aliud nihil erant, niſi ſepulchra, Chemis rex, quem Herodotus Cheopem appellat. Poſt hunc regnum obtinuit, ſicuti Diodorus ait, Cephus eius frater. Quidã non fratrem, ſed filium nomine Chabreum regnũ tenuiſſe aſſerunt, quod ſimilius vero Diodorus autumat. At Herodotus non Chabreum, niſi codex mendoſus eſt, ſed Chephrenem, & nõ filium, verùm fratrem illius qui primã condidit pyramidem, vocat. Conueniunt tamen vt hic, ſiue filius eius, ſiue frater fuerit, alterã pyramidem ædificauerit, arte priori ſimilẽ, magnitudine quidem imparem. Et hæ duæ, autore Strabone, inter ſeptem ſpectacula mundi numeratæ ſunt. Martialis:

*Barbara pyramidũ ſileat miracula Mẽphis.*

Hunc regem, vt Herodotus & Diodorus prodũt, ſecutus eſt Mycerinus rex, priorũ pyramidũ autoris filius. Is tertiam pyramidẽ longè minorẽ paterna vicenis, velut teſtatur Herodotus in II. pedibus, ex omni parte reliquit. Hanc quidam, teſte Strabone, Rhodopæ meretriculæ ab amãtibus poſitã volunt, narrantes huiuſmodi fabulã. Cùm ea aliquando lauaretur, aquila alterũ calceum è manu ancillæ rapuit, & in gremium regis iura Memphi dãtis dimiſit, rex demiratus, perquiri mulierem iuſſit, quam in vrbe Naucratitarũ inuentam vxorem duxit, & mortuæ inde pyramidem conſtruxit. Quod Herodotus prorſus falſum eſſe dicit, cum Rhodope mulier longè pòſt fuerit quam reges qui pyramides feciſſent. Iſti igitur reges quos cõmemorauimus, pyramidum autores traduntur: & ſi Diodorus lib. II. & Plin. in XXVI. Natur. hiſtor. à quibus factæ ſint, nõ ſatis conſtare dicunt, iuſtiſſimo caſu obliteratis tantæ vanitatis autoribus. Pyramides autẽ faciendi, eſt teſte Plin. cauſa à quibuſdã traditur, ne plebs eſſet otioſa. Quare Ioſeph. in II. Antiquit. dicit, Aegyptios coëgiſſe Hebræos pyramides ædificare, vt eos huiuſmodi labore attererent, aut ne reges pecuniam ſucceſſoribus, aut æmulis inſidiantibus relinquerent, vel præberent. Propter quod ipſe Plinius hæc opera, regum pecu-

nia

niæ otioſam ac ſtultam oſtentationem vocat. Verùm ego hãc potius fuiſſe cauſam opinor, quòd Aegyptij, vt ait Diodorus, domos noſtras diuerſoria appellabãt, tanquam breui tẽpore à nobis inhabitandas: mortuorum verò ſepulcra ſempiternas domos, quoniã apud inferos infinitum ſit tẽpus: idcirco domus ædificandæ curam cõtemnebant, ſepulcrorũ magnificentiæ, vt ſtultiſſimè ſit etiã apud nos hodie, ſummum ſtudium operamque tantã impendentes. Quamuis nõnulli, teſte Diodoro, Aegyptios huiuſmodi ſepulcrorum præcipuum ſtudium ab Aethiopibus eſſe mutuatos aſſeuerent. Nemo tamen rex ex ijs qui eas pyramides condiderant, in illis ſepultus eſt, autor Diodorus in I. Mauſoleum autem, id eſt, Mauſoli regis Cariæ monimentum, autore Strabo. lib. XIIII. Geograph. Artemiſia eius vxor extruxit, quod, teſte Plin. lib. XXXVI. inter ſeptem miracula adnumeratum eſt. Martialis:

Aëre nec vacuo pendentia Mauſolea.

De quo etiã meminit, Cicero, Lucan. Gellius, & Vitruuius. Varius prætereà apud gentes olim vſus ſepeliendi cadauera fuit: mortui enim Perſarum non prius humabantur, quàm aut ab alite, aut à cane traherẽtur. Maſſagetæ & Derbicæ miſerrimos putabant, qui ægrotatione morerentur: & parentes, cognatos, propinquos, cùm ad ſenectutem perueniſſent,

iugulatos

Universidad de Deusto Biblioteca

iugulatos deuorabant, rectius eſſe ducentes,
vt ipſi potius quàm vermes comeſſent. Tiba-
reni quos dilexiſſent, ſenes ſuſpendebant pa-
tibulo. Albani Caucaſi montis accolæ, mor-
tuorum curã habere, aut meminiſſe, nefas pu-
tabant, quibus cũ etiam pecunias defodiebãt.
Aegyptij ſtatim mortuo homine, ferro incur-
uo cerebrum per nares educebant, locum illum
medicamẽtis explentes, dehinc acutiſſimo la-
pide Aethiopico circa ilia cõſcindebant, atque
illac omnẽ aluum protrahebant, quam vbi re-
purgauerant, rurſus odoribus contuſis reſar-
ciebant, inde iterum conſuebãt: vbi hæc feciſ-
ſent, ſaliebant nitro abditum LXX. dies: nam
diutius ſalire non licebat: quibus exactis, ca-
dauer ſindone inuoluebant, gummi illinien-
tes. Eo deinde recepto, propinqui ligneam ho-
minis effigiem faciebant, in qua inſerebant
mortuum, incluſumque ita reponebant. Et id,
vt arbitror, ideo factitabant, vt eo pacto con-
dita cadauera diuturnius incorrupta ſerua-
rentur: nam Aegyptij, teſte Seruio in tertium
Aeneidos, ſecuti Stoicorum ſententiã, perſua-
ſum habebãt tandiu animam durare, quãdiu
duraret & corpus. Aethiopes Macrobij, id eſt,
longæui, in vitreis ſepulcris mortuos condere.
Scythæ eos qui à demortuis amati fuiſſent, vi-
uos infodiebãt cum oſsibus mortuorum: regem
autem ſuum vbi mortuũ ad eas gentes quibus
imperaſſet,



imperaſſet, circumtuliſſent, ſimiliter humo te-
gebant, atque cum eo ſepeliebãt aliquam eius
pellicum ſtrangulatã, & cum qui vina mi-
ſcuiſſet, aut qui præfuiſſet nuncijs, necnon o-
mnium rerũ primitias. Naſamones ſedentes
mortuos humabant, obſeruantes, vt dum quis
cœpiſſet agere animam, eum ſedentẽ conſti-
tuerent, ne ſupinus ſpiritum efflaret. Hyrca-
ni volucribus & canibus ſemiuiuos proijcie-
bant. Thraces mortuos ſuos per luſum & læ-
titiam terræ demandare, prædicantes in qua
tot malis liberati eſſent felicitate: contrà edi-
to puero, propinqui cum ploratu proſequeban-
tur, exponentes quæcunque neceſſe foret illi,
quòd vitam ingreſſus eſſet, perpeti humanas
calamitates: inſtitutum mehercle inter tot vi-
tæ mala, ſapientia plenum. Eorum autẽ opti-
mates ſimulatque combuſti eſſent, ſepelieban-
tur. Quidam Aethiopum demortuos in flumen
proijciebant, exiſtimantes id optimum ſepul-
crum eſſe: alij vitro circundatos domi ſerua-
bant: aliqui fictilibus condebant, atque infos-
diebant. Aſſyrij melle cõdebant, ac cera obli-
nebant. Nabathæi cadauera pro ſtercore ha-
bebant, regeſque ſuos in ſterquilinijs defodie-
bant. Taxili mortuos vulturibus non ſecus
proijciebant, atque Caſpij cæteris beſtijs. Quæ-
dam Indicæ fœminæ cum viris cremari ſibi
feliciſſimum glorioſumq; putabãt. Bactriani
canibus

*canibus ad hoc ipſum nutritis obÿcere ſenes. Quod, vt diuus Hieronymus eſt teſtis, quum Alexandri præfectus Nicanor emendare voluiſſet, penè amiſit prouinciam. Parthorum ſepultura, aut auium aut canũ laniatus erat. Iſſedonum Aſiaticæ Scythiæ populorum mos erat parentum funera cantibus proſequi, & proximorum congregatis cœtibus, cadauera ipſa dentibus laniare, pecudúmque carnibus miſta comedere, ac capitibus auro incinctis pro poculo vti, quæ autore Plinio lib. IIII. vltima erant pietatis officia. Herodotus tamen in quarto dicit, illos parentum capitibus non loco poculi, ſed pro ſimulacro vſos eſſe, immolantes illis quotannis maiores hoſtias multis cum cærimonÿs. Hyperborei hoc ſepulturæ genus optimum arbitrabãtur, vt ſi quos ſatietas teneret vitæ, epulati delibutique, de rupe nota præcipitarent ſeſe in mare profundum. Romani, teſte Plinio in ſeptimo, poſtquam longinquis bellis obrutos ciui cognouerunt cadauera comburere cœperunt. Primus omnium in Cornelia domo, Sylla dictator crematus eſt, veritus talionem, id eſt, timens vt ſuum corpus è ſepulcro extraheretur, perinde ac ipſe Marÿ cadauer eruiſſet. Hinc igitur apud Romanos cremandorum cadauerum vſus increbuit: ſed hũc magis foris quàm domi ſeruatum eſſe duco, nec tamen ſemper*

*combuſta*



*combuſta ſunt. Illud vel ſcire licet, apud Romã conſueuiſſe filios & propinquos mortuorũ corpora in rogum iniicere. autor Cicero, qui libro Tuſculan. I. ita de ea re ſcribit: Metellum multi filÿ, filiæ, nepotes in rogum impoſuerunt. Fuit & apud alios huiuſcemodi mos comburendi. Plinius enim teſtatur in XIX. cum de lini generibus loquitur, ſcribens: Regum inde funebres tunicæ corporis fauillam ab reliquo ſeparant cinere. Optimates etiam Thracum, vt diximus, comburebantur. Sed de hac re funerea plura alibi dicemus, cùm de anniuerſariis noſtrorum exequiis diſſeretur. Non eſt tamen ſilendum de more imperatorum conſecrandorum, qui Romanis talis fuit. Sepulto corpore, Imperatoris imaginem fingebant, eamque in regiæ veſtibulo ſupra lectum eburneum ponebant, ad ægroti ſpeciem pallidam, quam circunſtantibus vtrinque ſenatu & matronis nobilioribus, medici inuiſebant quotidie, ſeptimo autem pòſt die vbi viſus erat obiiſſe mortem, iuuenes vtriuſque ordinis lectum humeris in vetus forum primò, dein in campum Martium perferebãt, ibiq; in tabernaculo ad exemplum turris ſtructo, ac aridis fomitibus oppleto locabant, cum ingente aromatum aceruo. Hic cærimoniis patrio more concelebratis, ſucceſſor imperÿ facem tabernaculo admouebat, cæteriſque ignem ſubiicientibus, cuncta combu-*

 *bure*

Universidad de Deusto Biblioteca



burebantur mox è faſtigio quodam aquila dimittebatur, quæ in cælum credebatur ipſam principis animam deferre. Ac iam ex illo, vnà cum cæteris numinibus, imperator colebatur. De hac re Herodianus ſtatim in initio IIII. libri latius meminit. Cæterùm hanc conſecrādi rationem poſteritas ſumpſiſſe videtur ex Cæſaris dictatoris funere, cuius forma nō multum ab iſta fuit diuerſa. Funebrem orationem de Bruti laudibus primus Valerius Publicola habuit, quæ adeò grata iucundáque Romanis fuit, vt ex eo conſuetudo manſerit, vt qui ſtrenuè pugnando interiiſſet, ab optimatibus laudaretur. Dicitur etiam funebribus Græcorum orationibus illa vetuſtior fuiſſe, niſi iam Solon, qui, teſte Gellio libro XVII. Tarquinio Priſco Romæ regnante, leges Athenienſibus dedit huius rei autor, vt Anaximenes orator dicit, antea fuerit, teſtis Plutarchus in vita Valerij. Apud Romanos deinde, autore eodem Plutarcho in vita Camilli, cùm mulieres ornamenta aurea, quibus vtebantur, ad conficiendam pateram in Delphum mittendam contribuerint, ſenatus decreuit, vt quemadmodum pro viris, ita etiam pro fœminis, in funere orationem habere liceret. Hinc igitur demortuos laudandi mos fluxit, quē nos hodie ſeruamus: ſeruamus autem in laudandis illis, ſi ne quid falſi dicere audemus, qui dum vixere, ſummope





moperè curarunt, vt ab omnibus bene audirent: nam hoc vnum in primis indicium virtutis & vitij in homine exiſtit. Quippe natura quadam optimus quiſque inuigilat, vt de ſe reliqui mortales non malam imbibant opinionem, & poſt mortem omni tempore bene loquantur: at ignauiſſimus non item. Cuius ſanè rei coniectura, Plato in Epiſto. II. ad Dionyſium tyrannum, ſe duci affirmat, vt credat eſſe aliquem ſenſum iis qui mortui ſunt, rerum noſtrarum.

### Qui primi obeliſcos fecerint, aut Romā inuexerint, & inibi locus Plinij emaculatus, & de notis obeliſcorum, & quales eſſent Aegyptiorum literæ. CAP. XI.

LAbyrinthos ac pyramides regum opera omni admiratione digna, ſuperiore capite deſcripſimus, eorū ſimul prodito autoribus. Sequuntur modò obeliſci, quos reges iuxtà certatim fecerunt. Sunt autem obeliſci, trabes lapideæ ſolis numini ſacratæ, propter quod ad radiorum ſimilitudinem fiebant. Apud Aegyptios nomen habent à radio, & planè talis eſt radij forma, dum per feneſtram intrat. Græci à veru ſimilitudine nuncupant, apud quos ὀβελὸς veru eſt. Obeliſci primùm in Aegypto, inde Romæ plures erecti ſunt. Primus omnium, teſte Plinio libro XXXVI. hoc opus inſtituit Mitres, qui in ſolis vrbe regnauit,

ſomnio iuſſus: hoc enim in eo inſcriptum erat. Poſtea & alij Aegyptiorum reges in eadem vrbe fecerunt. Sochis enim quatuor erexit, quadragenorum & & octonum cubitorũ longitudine. Rameſes autem is, quo regnante Ilium captum eſt, XL. cubitorum: idem & alium poſuit longitudine vndecentenis pedibus, per latera cubitis quatuor. Erant & alij duo, vnus à Myrne poſitus, alter à Phio. hæc ex Plinio volumine XXXVI. Verùm quidam codices non à Myrne, ſed à Smarre, & non à Phio, ſed ab Eraphio habent, vt in alterutro mendum ſit. Vnum Alexandriæ ſtatuit LXXX. cubitorum Ptolemæus Philadelphus. Pheron etiam duos in æde ſolis poſuit, hanc ob cauſam. ferunt enim hunc regem, teſte Herodoto libro II. facinus admiſiſſe, quod ſpiculum in medios fluminis vortices contorſerit, & propter id e veſtigio amiſſo viſu, decennio cæcum fuiſſe: vndecimo autem anno ab vrbe Buci oraculum accepiſſe, viſum eſſe ſibi rediturum, ſi oculos abluiſſet lotio mulieris, quæ cæterorum virorum expers, ſuo tantum viro contenta fuiſſet: & ante omnia, cùm lotium vxoris tentaſſet, ac nihil amplius cerneret, reliquarum deinde vrinam expertum tandem vidiſſe, ibique omnes mulieres quas fuiſſet expertus, præter eam (vxorem enim duxit) cuius lotio lotus viſum recepiſſet, con-

cremaſ



cremaſſe, atque ea calamitate liberatum. cùm alia in aliis templis donaria poſuiſſe, omnia memoratu digna, tum maximè memorabilia ac ſpectaculo digna in templo ſolis gemina ſaxa, quos obelos vocant à figura veru, centenûm cubitorum longitudinis, octonûm latitudinis. Fuerunt & plures alij in ipſa Aegypto: quapropter Auguſtus Cæſar, teſte Ammiano, duos Romam ex Heliopoli vrbe Aegyptia tranſportauit, quorum vnus qui, vt autor eſt Plinius, exciſus fuit à rege Semneſerteo, in circo maximo, alter qui à Seſoſtride factus eſt, in campo Martio poſitus fuit. Tertius in Vaticano erat, à Caio principe inuectus, qui etiam nunc eo loci ſtat: de quo Plinius libro XVI. capite XL. cùm de arborum magnitudine loquitur: Abies admirationis præcipuæ viſa eſt in naui, quæ ex Aegypto Caij principis iuſſu, obeliſcum in Vaticano circo ſtatutum adduxit. Hunc, vt idem in XXXVI. teſtatur, fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus. Et deinde ſubdit: Eiuſdem remanet & alius centum cubitorum, quem poſt cæcitatem, viſu reddito, ex oraculo ſoli ſacrauit. hæc Plinius. Ex his verbis facilè conijcere poſſumus, Plinium intelligere de altero obeliſco, quem, vt ſuprà oſtendimus, ex teſtimonio Herodot. Phæronem, non Nuncoreum, vt apud Plinium legitur, recepto oculorum

lorum viſu, ſoli ſacraſſe conſtat. Ex quo extra omnem controuerſiam, Plinij locus deprauatus eſt, qui vt emaculetur, loco Nuncoreus, legendum eſſe duco Pharon, ne duo inter ſe grauiſſimi autores certare videantur, cùm haud difficulter fieri potuit, alterum ex iis quos Pharon fecerit, eundem eſſe, quem Caius Romam portarat. Quod demiror Hermolaum Barbarum, virum vtique ſagaciſſimi ingenij, non animaduertiſſe, præſertim cùm paulò ſuperius admonuiſſet vndecimo capite eiuſdem trigeſimiſexti Plinij voluminis, vbi Nuncoreus inſcriptus eſt, legendum eſſe Seſoſtridis, non Meſoridis, qui teſte Herodoto fuit huius Pharonis pater, de quo Plin. lib. VI. cap. XXIX. meminit, & Strabo lib. VII. & Ioſephus contra Appionem volumine II. Non eſt etiam tacitum relinquendum, obeliſcos quamplurimum notis quibuſdam, id eſt, varia animalium effigie, inſculptos fuiſſe, quæ vel regum gloriam, vel eorũ perſoluta vota ſequentibus monſtrarent, quæ loco literarum erant, dicente Plin. lib. XXXVI. Etenim ſculpturæ illæ effigieſque quas videmus, Aegyptiæ ſunt literæ. Et Cornelius Tacitus lib. ſuarum hiſt. XIII. Primi, inquit, Aegyptij per figuras animalium, ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monimenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur. Strabo etiã lib. XVII. ait:



ait: In obeliſcis quibuſdam literæ ſunt, quæ regum illorum diuitias ac potentiam declarãt: nam per ſpeciem apis mella conficientis, regem indicabant, cui cum iucunditate moderante, aculei ineſſe debent. Per accipitrem, rem denotabant citò factam, quoniam hæc aliarum fermè omnium auis ſit velociſſima. Per inſtrumenta etiam quædam mẽbráve humana ſcribebant: quod Diodorus ſtatim in principio quarti libri planè demonſtrat.

### A quibus primò aſylum conſtitutũ fuerit, & quo nos pacto aſylis vtamur.
### CAPVT XII.

POſtquam Hercules migrauit è terris, nepotes eius, autore Seruio in octauo Aeneidos, timentes inſidias eorum quos auus afflixiſſet, Athenis ſibi primi omnium aſylum, hoc eſt, templum miſericordiæ, collocarunt, vnde nullus per vim poſſet abduci. nam componitur ex α, quod eſt ſine, & σύλη. Strabo. quod Statius affirmat in XII. Thebaidos, dicens:

Fama eſt defeſſos acie poſt buſta paterni
Numinis, Herculeos ſedẽ fundaſſe nepotes.
Sic ſacraſſe locũ cõmune animãtibus ægris
Confugium.

Cuius Plutarchus etiam in vita Theſei mentionem facit. Verùm ego hoc primum inuentum Moſi veriùs, ni fallor, aſſignauerim, qui, vt autor eſt Euſebius, longè ante



Universidad de Deusto Biblioteca

ante Herculem fuit. Is enim, teſte Ioſepho lib. Antiq. IIII. in tribus ex iis vrbibus quas ipſe condiderat, dum Hebræum populum in patrium ſolum reduceret, aſylum cõſtituit, quod illis tantum profugio foret, qui minimè ſcientes homicidium commiſiſſent. Secundum hæc, longo deinde tempore Romulus, vt haberet aduenas plures, cum quibus conderet Romam, ad imitationem Athenienſis, vt Seruius tradit, aſylum, teſte Liuio in primo ab vrbe condita, & Dionyſio lib. II. aperuit, quò quiſquis proficiſceretur, ab omni noxa liberatus eſſet. Ouid. in III. Faſtorum:

Romulus vt ſaxo lucum circundedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Vergilius quoque in VIII. ait:

Hinc lucũ ingẽtẽ, quẽ Romulus acer aſylũ
Retulit.

Fuit & aliud aſylũ, autore Strabone, in octauo Geograph. non procul Trœzene, in inſula nomine Calauria, Neptuno dicatum. Tum aliud quoque in Aegypto, ad Canopicum Nili oſtium Herculi conſecratum, de quo Herodotus lib. II. meminit: Erat, inquit, & in eo littore quod nunc quoque eſt, Herculis templum, ad quod ſi quis cuiuſcunque hominis ſeruus confugiens capiat ſacras notas, ſeſe Deo tradens, cum nefas eſt tangere. Quæ ſanctio ad meam vſque ætatem, prorſus immota perſeuerauit. Fuit etiam in ipſa Aegypto, ſicut



ſicut commemorat Strabo libro XVII. & vltime Geograph. Oſiris aſylum, & in Syria Apollinis. Sunt hodie in orbe noſtro Chriſtiano, præſertim apud Anglos, paſſim aſyla, quæ non modò inſidias timentibus, ſed quibuſuis ſontibus etiam maieſtatis reis patent: quod facit vt manifeſtè appareat, nos id inſtitutum non à Moſe, qui illis duntaxat, qui nolẽtes hominem occidiſſent, aſylum poſuit, ſed à Romulo eſſe mutuatos. Quæ nempè res haud dubiè in cauſa eſt, cur benè multi à maleficiis minus abſtineant manus. Quid, quod templa noſtra vbique gentium iſtiuſmodi ſceleratis hominibus inſtar aſylorum ſunt? & id contrà quàm Moſes etiam conſtituerit, qui in Exodo capite XXI. ita ſanxit: Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo auelles eum, vt moriatur.

## De origine theatri, & in eo recitandi comœdias tragœdiáſque modo, & qui primò Romæ theatrum, & amphitheatrum, ac circum conſtruxerint, & quare amphitheatrũ arena ſpargeretur, & inibi de frequẽti apud veteres lauandi vſu, ac thermarum origine.

### CAPVT XIII.

THeatri, quod hemicycli ſpecie conſtructum erat, ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quod eſt videre appellatum, Latinè dici ſpectaculum poteſt, conſuetudo, teſte Caſſiod. in Epiſt. à Græcis



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



conſumpta eſt; nam cùm agrorum cultores feriatis diebus ſacra diuerſis numinibus per lucos vicóſque celebrarent, Athenienſes primùm hoc in vrbem ſpectaculum tranſtulerunt, theatrum Græco vocabulo appellantes, quòd in eo eminus aſtans turba conueniens ſine aliquo impedimento conſpiceret: apud quos, autore Euſebio in II. de Euangel. præparat. Dionyſius primus theatrum fecit: propter quod, vt mea fert opinio, Seruius ait theatrales ludos in honorem duntaxat apud veteres Liberi patris fieri conſueuiſſe. Plutarch. ſimiliter Athenis theatra fuiſſe, in vita Theſei apertè oſtendit. Sanè apud Alexandriam, in Antirrhodo inſula theatrum etiam fuiſſe, Strabo in XVII. autor eſt. Hunc morem Romani quoque, vt pleráque alia, in vrbem conſtruendi theatri tranſtulerunt, quod ita diſpoſitum erat, vt à fronte inter duo cornua, ſcena eſſet, dicta ἀπὸ τῆς σκηνῆς, quod apud Græcos tabernaculũ ſignificat, ita appellatum à faciendà vmbra. Scena primò inuenta eſt vmbræ gratia, in qua ludi ab eo loco ſcenici nuncupati, à principio facti ſunt, qui, teſte Liuio, anno vrbis condi. CCCXCI. C. Sulpitio Petico, C. Licinio Stolone COSS. peſtilentiæ ſedandæ cauſa inſtituti ſunt. Verro cũ vis morbi nec humanis cõſiliis, nec ope diuina leuaretur, inter alias iræ cœleſtis placationes eiuſmodi ludos introducere

placuit,



placuit, inſanis certè hominum mentibus, qui putarent Deum laſciuis ſaltationibus ſibi placatum iri. Itaque ex Hetruria ludiones acciti, qui ſine carmine vllo, ſine imitandorum carminum actu, ad tibicinis modos ſaltãtes, haud indecoros motus dabant. Res noua ſic bellicoſum populum delectauit, vt iuuentus inde iocularia ſimul inter ſe verſibus inconditis fundentes, eos imitari cœperint. Hæc ridicula carmina ſine cantu iactitata Græci exodia appellabantur, ſicut epodia, quæ cantabantur. Et quia hiſter Thuſco verbo ludius vocabatur, id nomen hiſtrionibus eſt inditum. Poſt annos deinde cẽtum & viginti duos, qui fuit annus ab vrbe condita DXIII. Liuius Andronicus fabulam verſibus intextã primus recitandam dedit. Ac ita ludus paulatim in artem verſus eſt, cùm in ſcena comici tragicique, & cæteri poëtæ ſua recitarent poëmata. In ea etiam erant præcones, tibicines, citharœdi & huiuſmodi, qui vel in fine cuiuſque actus canerent. Hoc ſanè loco non abs re videtur eſſe aliquid dicere de modo in primis agendi comœdias, tragœdiáſque. Nam cùm Cic. lib. III de orat. de Roſcio, qui fuit homo Gallus, & comœdus peritiſſimus, ac eius præceptor in pronuntiationũ geſtuúmque exercitatione, dixerit: Nunquam agit hunc verſum Roſcius eo geſtu, quo poteſt: nonnulli ſuſpicati ſunt comicos & tra-

gicos

*gicos ſua poëmata recitare ſolitos, & mimos, hoc eſt, hiſtriones, preſtò fuiſſe, qui perſonarũ inductarum facta dictaque exprimendi cauſa, eorum voces geſtibus tantum perſequerentur: id quod alibi Cic. in Paradoxis falſum eſſe demonſtrat, cum inquit: Hiſtrio ſi paulò ſe moueat extra numerum, aut ſi verſus pronuntiatus eſt ſyllaba vna breuior aut longior, exibilatur & exploditur. Si igitur hiſtrio geſtu, non item voce agebat, qui fieri potuit, vt mutus in pronuntiatione reprehenderetur? Theatralis autem ſcena apud antiquiſſimos parietem non habebat, ſed frondibus tantum tegebatur: poſtea tabulata cœperunt componere inſtar parietis, & ſic binis & ſæpe pluribus contignationibus conſtabat. Deinde erat proſcenium, ſuggeſtum in quo ludi exercebãtur. Vergilius.*

*„Et veteres ineunt proſcenia ludi.* *In medio orcheſtra, in qua ſenatorum ſedibus erant loca deſignata, vnde omnium agẽtium geſtus ſpectari poſſent: dicta orcheſtra, quòd in ea ſaltationes fieri conſueuerunt. ὄρχησις enim Græcè, ſaltatio dicitur. In cauea verò, quæ pars media theatri erat, ſubſellia equitum erant in cuneos eodem modo diuiſa. In circuitu hemicycli erant gradus ita diſpoſiti, vt altiores in ambitu ſemper excreſcerent: in his plebs promiſcuè ſedebat. Quibus non erat locus ſedendi, ij ſtantes in cauea ſpectabant: nam*

*ſenat*

Universidad de Deusto Biblioteca



*ſenatus a populo ſecretus ludos ſpectare. Cuius rei, teſte Liuio in quarto de bello Macedonico, & Plutarcho, Scipio ille Africanus, & Valer. Sempronius Longus Conſules, primi autores fuerunt: quod & vulgi animum auertit, & fauorem Scipionis magnopere quaſſauit. Valerius autem Maximus hoc ex ſententia poſterioris Africani actum eſſe narrat. Caueæ theatri nullis fornicibus obductæ, velis tegi ſolebant. Ex quo primus omnium Qu. Catulus, teſte Plinio in XIX. linteis theatro vmbram fecit, primúſque byſſina vela duxit. In hanc ſanè formam, theatrum M. Scaurus in ſua ædilitate, non quidem perpetuò duraturum, ſed in triginta tantum dies ſcenicorum ludorum (principio enim ad tempus fiebant theatra) primus omnium Romæ extruxit, dicente Plin. lib. XXXVI. cap. decimoquinto. Hic fecit in ædilitate ſua opus maximum omnium, quæ vnquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verumetiam æternitatis deſtinatione, & reliqua. C. autem Curio, qui bello ciuili in Cæſarianis partibus obijt, in patris funere theatra duo è ligno conſtruxit, quibus inter ſeſe auerſis, ne inuicem obſtreperent ſcenæ, & repentè circumactis, ac cornibus inter ſe coëuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula edebat. Manſurum theatrum è quadrato lapide, vt ait Cornelius*

Tacit

Universidad de Deusto
Biblioteca

*Tacitus, primus Romæ conſtruxit Pompeius Magnus, cuius exemplar ex eo quod Mitylenæ erat, poſt deuictum Mithridatem ſumpſiſſe, teſtis eſt Plutarch. Amphitheatrum autem, qui locus erat ſpectaculorum gratia, forma rotunda, & velati, vt ſuprà oſtendimus, ex duobus conſtans theatris, primus omnium, teſte Cornelio de geſtis Neronis, in campo Martio poſuit C. Iulius Cæſar, quod paulò pòſt, autore Tranquillo, Auguſtus mauſoleum ædificaturus deſtruxit, qui & ipſe amphitheatrum deſtinauit media vrbe, quod à Veſpaſiano conditum fuit, & à Tito conſecratum, autor Sueton. in eorum vitis. Sed quoniam Domitianus, vt idem eſt teſtis, omnibus operibus quæ poſt mortem illorum vel reſtituit vel perfecit, ſuum duntaxat titulum addidit, ſine vlla priſtinæ autoris memoria: hinc, vt opinor, illi de hoc amphitheatro Martialis ſtatim in principio ſui operis adulatur, dicens:*

*Omnis Cæſareo cedat labor amphitheatro,*
*Vnum pro cunctis fama loquatur opus.*

*Auguſto etiam Cæſari Herodes Hieroſolymis theatrum & amphitheatrum condidit, autor Ioſephus in XV. Antiquitatum. In amphitheatro autem beſtiarum & gladiatorum ludi celebrantur: nam permulti capite damnati, aut in bellis capti, illic cum feris pugnando mortem oppetere cogebantur. Quod epigrammaticus*





*ticus poëta affirmat, de delatoribus dicens:*

*–Nec cepit arena nocentes.*

*Seneca teſtatur duos, qui ad id certamen deſtinati erant, ſibi prius mortem conſciuiſſe. Arena, vt hoc commodum moneamus, aliquando pro amphitheatro, id eſt, contentum pro continente, ab autoribus eleganter ponitur. Martialis rurſus:*

*Quicquid fama canit, donat arena tibi.*

*Et id, quoniam amphitheatrum ſpargi arena ſolebat, vel ne pugnantes fœdarentur cruore occiſorum, vel ne cruor ſparſus ſpectantibus eſſet horrori, propter quod iuuenum multitudo arenam vertendo cruorem obtegebat. At quidam aliam ſpargendæ arenæ cauſam commentati ſunt, tradentes eam ſterni, ne gladiatores deſſluerent. Cicero, de cuius forma libro ſuperiore, cap. XIIII. affatim diximus, regnante Tarquinio Priſco, locus primum deſignatus eſt, atque ſimul patribus equitibúſque loca diuiſa, vnde ſpectarent ludentes. Certamen fuit equorum pugilúmque, qui ex Hetruria accerſiti fuerant. Is Maximus circus dictus eſt. Poſtea duo alij poſiti ſunt, Flaminius & Neronis. In hoc obeliſcus olim fuerat, qui nunc Romæ in Vaticano extat. In circo item, teſte Dionyſio, athletæ certabant, qui aut pugnabant, aut currebant, vel luctabantur: quorum certamen tum primò Romanis ſpectaculo*

culo fuit, cùm Sp. Poſthumius Albinus, & Qu. Martius Philippus conſules fuere anno vrbis conditæ DLXVIII, autor Liuius libro nono, decadis quartæ. Sed horum operum magnificentiæ iam iungatur thermarum luxuria: fuit enim mos priſcorum quotidie lauari, quòd ea res, credo, teſte Celſo, ad proſperam valet conſeruandam valetudinem. Ex quo vſu venit, vt ciuis quiſque pro opibus, priuata haberet balnea: ſed poſtea creſcente principum luxuria, publicæ balneæ haberi cœpere: quippe loca aſſignata erant, quæ aut aquis calentibus, aut igne calefactis, lauandi ſudandive vſum præberent, quæ Græcè thermas appellarunt. & cùm alibi, tum Romæ in modum prouinciarum, vt ait Ammianus, videbantur extructæ, in quibus plebs etiam lauaretur: fuitque adeò populare principibus id cum ea promiſcuè facere, vt Commodum, Gordianum, & Galenum iuniores, alios ter, alios quinquies vel ſepties æſtate, bis verò hyeme in die lauaſſe Capitolinus tradat, in thermiſque cœnitaſſe. Admittebantur & mulieres, idoneum voluptatis inſtrumentum. Thermæ in primis celebres Romæ fuere, Agrippinæ, Neronianæ, Titi Veſpaſiani, Domitiani, Antonianæ, alexandrinæ, gordianæ, ſeuerianæ, diocletianæ, aurelianæ, conſtantinianæ, nouatianæ. Hæ magno ſumptu

ædifica



ædificatæ ſunt inſtar ferè vrbium. Erant in his areæ ampliſſimæ, erant porticus, in porticibus exedræ habentes ſedes, in quibus philoſophi, rhetores, reliquique quibus ſtudia erant cordi, ſedebant diſputantes. Erat & palæſtra, in qua ſe athletæ exercebant. Erant præterea multa intus loca ad fouendam luxuriam faberrimè extructa. Adeò veſana dementia, omnium voluptatum quæſiſſe tentamenta videntur Romani principes, cum tanto impendio tam paucis profuturo.

### Quis primus inuenerit fabricam materiariam, & in ea ſerram, aſciam, perpendiculum, terebram, glutinum, normam, libellam, tornum, clauem, circinum, ſecurim, dolia, & vaſa viminea. CAP. XIIII.

FAbricam materiariã, hoc eſt, lignariam, Dædalus, vt Plin. lib. ſeptimo ſcribit, primus omnium inuenit: & in ea ſerram, aſciam, perpendiculum, id eſt, inſtrumentum quo plumbo à filo & gnomone pendente, rectio ſiue obliquitas operis perpenditur, hoc eſt, examinatur: & terebram & glutinum, quod Græci collam nominant, quo ligna coniunguntur, & conglutinantur. Normam autem & tornum atque clauem Theodorus Samius reperit. Ouidius tamen libro octauo Metamorphoſ. dicit Perdicem Dædali ex ſorore nepo-

tem, circinum, hoc eſt, inſtrumentum quo circuli vertendo deſignantur, & ſerram inueniſſe: traxerat enim in exemplum ſpinas in medio piſce notatas, de quo etiam in Ibim ait:

*Vt cui cauſa necis ſerra reperta fuit.*

*At ſecundum Diodorum lib.* v. *Talaus, non Perdix, adoleſcens filius ſororis eiuſdem Dædali, qui ab eo erudiebatur, reperta ſerpentis maxilla, paruulum cum ſecuiſſet lignum, imitatus poſtea dentium ſerpentis ſpiſſitudinem, ſerram ferream primus omnium fecit: reperit etiam tornum, & rotam figuli, vt antè monſtrauimus: ita cùm pluribus rebus hominibus profuiſſet, magna laude celebratus eſt. Hunc puerum Dædalus inuidia motus, exiſtimans turpe eſſe magiſtrum ab adoleſcente gloria vinci, dolo interfecit. At normam cuius ratio vt longè alia ſit, ac communis normæ non modò in menſuris, ſed etiam in ædificijs vtilis eſt, inuentum Pytagoræ eſſe Vitruuius libro nono dicit, eiúſque formam valde artificioſam ponit. Securim Penteſilea Amazonum regina inueniſſe fertur. Cæterum ego huius lignariæ artis, vel eiuſdem inſtrumentorum, quamuis alia alibi vſurpentur, inuentionem potius Hebræis tribuerim, apud quos multò ante Dædalum optimi opifices fuerunt, præſertim in conſtructione tabernaculi, quod Moſes, qui etiam Dædalo, vt autor eſt*





*Euſebius, antiquior fuit, Deo dicauit. Vel aſſignauerim Tyrijs, qui, teſte Ioſepho in octauo Antiquitatum, in ea arte Hebræis longè excellentiores fuerunt, propter quod Solomon Deo templum conditurus, ab rege Tyri per literas fabros lignarios, ſicut idem Ioſephus & Euſebius teſtimonio ſunt, petijt. Quo pacto autem ex gracilioribus lignis capacia & in ventrem tumentia vaſcula, veluti ſunt dolia, fierent, Pſeuſippus, autore Laërtio, docuit. Vaſa ex viminibus facta, vt qualos, corbes, &c. teſte Seruio in primum Georgic. Ceres omnium prima monſtrauit.*

## Quis primus mari imperauerit, & vt primò nauigari cœptum ſit, & qui inuenerint artem nauigandi, nauigia diuerſi generis, remum, vela, anchoram, & pugnam naualem. CAP. XV.

*QVis non fatetur humanum genus merito ſuo inſaniæ audaciæq́; coargui, cùm ſeſe intra ſuos fines minimè ſciat tutum continere? Nam quamuis Deus opti. max. ei abunde conſuluerit, ſua tamen ſponte in pericula ruit. Ille enim nobis terram veluti ſolidum & ad nos ſuſtentandum idoneum elementum dedit, at nos cœlum atque mare tentamus. Nónne Dædalus fabricatis alis, cœlum ipſum adiuit? nónne modò ſæua pecuniæ cupiditate obcæcati, tenui ligno freti mare, non dico*



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



*ſulcamus, ſed propemodum habitamus? Quod Flaccus Horatius dolens in primo Carminum inquit:*

*Nequicquam Deus abſcidit*
*Prudens Oceano diſſociabili*
*Terras, ſi tamen impiæ*
*Non tangenda rates tranſiliunt vada.*
*Audax omnia perpeti*
*Gens humana, ruit per vetitum nefas.*

*Et in eum paulò ſuperius qui hoc primum tentauit:*

*Illi robur & æs triplex*
*Circa pectus erat, qui fragilem truci*
*Commiſit pelago ratem Primus.*

*Et Propert. lib. 3. de Peti naufragio dicit:*

*Ergo ſollicitæ tu cauſa pecunia vitæ es,*
*Per te immaturum mortis adimus iter.*
*Tu vitijs hominũ crudelia pabula præbes,*
*Semina curarum de capite orta tuo.*

*Et deinde ſubiungit:*

*Ite rates curuæ, & leti quoq; texite cauſas,*
*Iſta per humanas mors venit acta manus.* *Idem:*
*Natura inſidiãs põtũ ſubſtrauit auaris, etc.*

*Quid denique, vt poeta ait, non mortalia pectora cogit Auri ſacra fames? Itaq; adeò ab initio mare à mortalibus freq̃uẽtatũ eſt, vt deincepſ omiſsis ratibus, quibus primùm eſt nauigatũ, naues inſtar domorũ ædificauerint, qui-*





*bus etiam nunc totum ferè pelagus ſternitur. Et ita nauigandi arte comperta, maris imperium ſibi pro ſe quiſque vindicare auſus eſt, in eoq; non ſecus ac interra bella gerere. Sed iam ad rem veniamus. Minos, teſte Strab. libro decimo Geograph. mari primus imperauit: quod Diod. in ſexto, Neptuno aſsignat, qui primus nauigandi artem inuenit: ait enim, Neptunus ſecundum Cretenſes, primus nauigandi arte inuenta, claſſem inſtituit, eiúſque præfectus eſt à Saturno factus. Quapropter traditum eſt poſteris, Neptunum imperaſſe mari. Cretenſes omnino iampridem, vt Strabo demonſtrat, nauigandi principatum tenuerũt, à quibus propter id fluxit prouerbium, Cretenſis neſcit pelagus, in eum qui ea quæ probè nouit, ſe ignorare diſsimulat, vt in noſtris adagijs expoſuimus. Primum autem, autore Plin. in ſeptimo, inuẽtis ratibus, in mari rubro, inter inſulas ab Erythra rege nauigari cœptũ eſt. Quod etiam teſtatur Quintil. in x. dicens: Si nemo plus effeciſſet eo quod ſequebatur, nihil in poetis ſupra Liuium Andronicum, nihil in hiſtorijs ſupra pontificum annales haberemus: ratibus adhuc nauigaremus, &c. Ipſas verò rates ſunt qui non Erythram regem, ſed Myſios & Troianos priores inueniſſe in Helleſponto putent, cùm tranſirent aduerſus Thraces. Alij in Britannico oceano primò inuentas prodũt*

Universidad de Deusto Biblioteca



corio circumſutas. Nauem, ſicut Plin. lib. VII. ſcribit, primus in Græciam ex Aegypto inuexit Danaus: at alij teſte Euſebio in 1. de Euan. præparat. à Samothracib. inuẽtam dicunt, aut, ut Clementi placet, ab Atlante: alij verò, velut oſtendimus, à Neptuno, alij à Minerua, autor Tertul. libro de Militis corona. Verùm ego hoc aliquando verius, ut par eſt, Noe tribuendum iudico, qui ex teſtimonio Euſebij libro X. de præparat. Euãgelica, per diu ante Danaum & Neptunum fuit. Is enim vir ſanctus & innocens, autore Ioſepho in primo Antiq. cùm à Deo diluuium ad perniciem humani generis futurum eſſe cognouiſſet, ut aquarũ vim euaderet, arcam ſibi ligneam fabricatus eſt, quæ haud dubiè nihil aliud fuit, niſi nauis, & condendorum diuerſi generis nauigiorũ primum ac vnicum poſteris exemplar. Beroſus itidem Chaldæus, ut Ioſephus eſt teſtis, eam ipſam arcam nauim appellat. Ac non iniuria igitur & nauigandi & condẽdarum nauium uſum primùm à Noe, ante quem, quod memoriæ proditum ſit, nemo mare tẽtauerat, fluxiſſe credere conuenit, cùm præſertim ab eodem Ioſepho accipiamus, illius nepotes, dum alij aliam orbis regionem ad habitandum peterent, multis nauibus eſſe uſos. Tibullus autem hoc Tyrijs aſſignat, elegia VII. dicens:

Vtq; maris vaſtũ proſpectet turribus æquor.

Prima



Prima ratem ventis credere docta Tyros.

ob hoc hercle, ut puto, quòd Tyrij, teſte Strabo. lib. XVI. diu nauigandi arte excelluerunt. Ex quo fit, ut etiam qui poſt tempora Noẽ, ad hanc uſque ætatẽ, huiuſmodi artem exercuerunt, nonnihil bene meriti ſint: nã cùm nulla ferè ars intra initium ſuum ſteterit, multa idcirco cùm nauigiorũ, tum cæterarum rerum nauticarum genera reperta ſunt, quæ plurimum artẽ illuſtrarunt. quorum proinde autores cõmemorare haud omnino alienum inſtituto noſtro ducimus. Longã itaque nauem Iaſon primus ædificauit, quã apud Aegyptios, ut puto, Diodoro libro primo teſte, Seſoſtris rex Aegyptiorum primus omniũ poſtea uſus eſt. Biremem Erythræi fecerunt. Triremem Amoclem Corinthium inueniſſe, prodit Thucydides. Quadriremẽ Carthaginienſes, ſecundum Ariſtotelẽ. Quinqueremem inſtituit Neſichthon Salaminius, quod nauigij genus, teſte Polybio volumine primo, Romani primi omnium in Italia, in apparatu primi belli Punici ædificarunt. Sed ordinum Zenagoras Syracuſanus, ab ea ad decirẽ Neſigiton, ad duodecim ordines Alexander Magnus, ad quindecim Ptolemæus Soter, ad triginta Demetrius Antigoni, ad quadraginta Ptolemæus Philadelphus, ad quinquaginta Ptolemæus Philopator, qui eſt Tryphon cognominatus.

minatus. Onerariam nauem Hippius Tyrius inuenit, Lembum Cyrenenſes, Cymbam Phœnices, Celocem Rhodij, Cicerum Cyprij, Lintres Germani circa Danubium habitantes, Scaphas Illyrij, quæ nauiculæ maiores ſequuntur naues. Remum autem Copæ inuenerunt, latitudinem eius Platææ, vela Icarus. Diodorus tamen dicit Aeolum velis vti nautas primùm docuiſſe. Malum, id eſt, arborem nauis, & antennam Dædalus. Hippagines, hoc eſt, vt Feſto placet, naues quibus equi vehuntur, Salaminij vel Athenienſes. Tectas longas Thaſij. Roſtra addidit Piſeus, Tyrrheni anchoram. Eupalamius eandem fecit bidentē. Quod inuentum quidā, autore Strab. lib. VII. Anacharſidi aſcribunt, qui inuenit harpagonas, id eſt, telum in ſummitate aduncum, quo nauigia capiuntur, ab ἁρπάζειν, quod eſt rapere. Adminicula gubernandi Tiphys, ſumpto à miluo aue exemplo: hæc enim auis, teſte Plin. libro X. videtur artem gubernandi docuiſſe caudæ flexibus, in cœlo monſtrante natura, quod eſſet opus in profundo. Claſſe verò primùm depugnaſſe Minoēm, autor eſt Plin. Hæc de nauigijs dicta ſatis ſint, quæ cùm potiſſimum merces vltro citróque conuehendi cauſa reperta ſint, eis vtique conuenire viſum eſt mercaturæ inuentores quàm primum ſubtexere.

Qui



## Qui primi mercaturam inuenerint, & de primis inſtitoribus. CAP. XVI.

Mercatura haud equidem paruo mortalibus auxilio eſt, quando in aſportandis mercibus, vitæ humanæ neceſſaria vbique locorum ſuppeditat, multarū quoque ac maximarum rerū vſum experientiámque homines edocet, ad barbarorum inſuper neceſſitudines regúmque amicitias cōtrahendas plurimum valere cēſetur. Quapropter Plin. in XXXIII. haud temerè putat commercia victus gratia eſſe inuenta: ſed ibi, vt opinor, de rerum commercijs loquitur, quæ, vt ipſe tradit, Troianis temporibus in permutādis rebus ad victū neceſſarijs, mortales inter ſe exercebant, propter quod cū illis tunc haud dubiè multò præclarius agebatur. Poſthac autem reperto, ſicut idem ſentit, aureo numo, tanta hominibus lucri cupiditas inceſſit, vt merces aſportandi cauſa, ſeſe ad omnia pericula, vel, vt ita dicā, ad aleam, veluti etiam hodie fit, exponerent. Ex quo veriſſimè Flaccus Horatius de his ait:

Impiger extremos mercator currit ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

De huiuſmodi mercatura Cic. quoque in I. de Offic. Mercatura autem, inquit, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt: ſin magna & copioſa,

T 5 multa

Universidad de Deusto Biblioteca

*multa vndique apportās, multiſque ſitæ vanitate impertiens, nō eſt admodū vituperanda: atque etiā ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius, vt ſæpe ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros poſſeſſionéſque contulerit, videtur iure optimo poſſe laudari. Mercaturā etiam, teſte Plutar. viri præclariſſimi exercuerunt, Thales, Solon, Hippocrates, & Plato. Hāc, autore Plin. lib. VII. Pœni inuenerunt: verum Diod. in VI. Mercurio aſſignat, id quod Galli quondam ſibi perſuaſum habuere, qui, vt Cæſar ait, deum maximè Mercurium celebrāt, cuius plurima erant apud eos ſimulacra: hunc enim omnium inuentorē artium ferebāt: hūc viarum atque itinerū ducē, hunc ad quæſtum pecuniæ mercaturáſque vim maximā habere arbitrabantur. Sed Plinius ſibi omnino repugnare videtur, cùm in eodem lib. dicat, emere ac vendere inſtituiſſe Liberum patrē, præſertim cùm mercatura, quam ait Pœnos inueniſſe, nil aliud ſit, niſi actus quidā emendi vendendíque merces. Quare ita fortaſſe intelligendum eſt, vt Pœni mercaturā à Libero patre inſtitutam primi exercuerint. Cæterùm neque hoc primò Pœnis, aut Mercurio vel Libero patri aſſignandum ducimus, quando ex teſtimonio Ioſephi, libro I. Antiquit. vſum vendendi & emendi multò antè apud Hebræos, hoc eſt, Noë temporibus fuiſſe conſtat.*





*Inſtitores verò primi, teſte Herod. in I. Lydi fuerunt. Sunt autē inſtitores, non qui egregiè mercaturam exercēt, ſed qui à mercatoribus emunt, vt diuiſim deinde merces emptas vendant: de quibus M. Tul. in I Offic. intellexit: Sordidi etiā, inquit, putantur, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant: nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur.*

### Quis primus inſtituerit artem meretriciam, & Bacchanalia ſacra, ac qualis pœna adulterij, aut inuenerit tincturam capillorum, vel vſum tondendi, & quādo primùm tonſores Romæ. CAP. XVII.

*VEnerem, quam ex ſpuma maris procreatam, princeps apud nos poëtarum, & Ouid. teſtimonio ſunt, impudicā, ad omnéſq; diuulgatā libidines fuiſſe propalàm eſt, quippe quæ plures ex adulterio filios procreauit: nam ex famoſo Martis ſtupro, genuit Harmoniam, de qua Plutarc. in vita Pelopidæ aſſatim meminit: ex Mercurio Hermaphroditum, ex Ioue Cupidinem, ex Anchiſa Aeneā, & ex Bute Erycem: quas ob res, amorū gratiarumq;, item pulchritudinis & deliciarū & voluptatum omniū, & libidinis atque coitus dea habita eſt. Hæc autem ne ſola impudica virorúmque appetens videretur, omnium prima, teſte Lactantio libro primo, vt eſt in hiſto-*

Universidad de Deusto Biblioteca



ria, quam priſci ſacram appellabant, meretri-
ciam artem inſtituit, autórque mulieribus in
Cypro inſula fuit, vti vulgato corpore quæ-
ſtum facerent. Ex quo apud Cyprios, teſte Iu-
ſtino lib. XVIII. mos inoleuit, vt virgines
ante nuptias ſtatutas, dotalẽ pecuniam quæ-
ſituras in quæſtum ad littus maris mitterẽt,
pro reliqua pudicitia, libamẽta Veneri ſolu-
turas. Harum ex numero LXXX. admodum
virgines rapi, & in naues imponi iuſsit Eliſa,
cùm illac trãſiret è Tyro fugiens, vt iuuentus
matrimonia, & vrbs ſobolem haberet. Apud
Babylonios etiã conſuetudo fuit, vt cùm rem
domeſticam conſumpſiſſent, vnuſquiſque ple-
beius ob victus inopiã, filias ſuas adigeret ad
quæſtum corpore faciundum. Itẽ mulieres ſe-
mel in vita omnibus indigenis cõmunes erãt:
ſanè ad templũ Veneris ſedebant, nodis coroł-
liſque tempora reuinctæ, è quibus aliæ ad di-
uerticula, quæ aditum externis præbebant ad
mulieres, dum ſe cõferebant, aliæ regrediebantur.
Etenim cum ſemel illic ſederãt, non prius
domum redire fas erat, quàm hoſpitũ aliquis
pecuniam in ſinum mulierũ iecisſet, ac cum ea
conſuetudinẽ habuiſſet. Mulier acceptam pe-
cuniam ad ſacrũ vſum reſeruabat, hoſpes ve-
rò dans dicebat: Tanti ego tibi deam Myli-
tam imploro: ita Aſſyrij Venerẽ vocãt. At pul-
chriores citò expediebantur, deformiores non
item,



item, quas ſæpe vno vel altero anno expecta-
re oportebat. Ac talis erat lex, honoris deæ Ve-
neri habendi gratia, autor Herodotus volumi-
ne I. Sed bacchanalia ſacra vberrimum apud
cunctas fermè gentes libidinis ſeminariũ fue-
re, quorũ, vt idẽ teſtatur Herodotus autor fuit
Melampus Amytheonis filius, primúſque ad
Græcos detulit ex Aegypto, vbi ea ſacra fieri
cœpere: fœminæ enim ſtatuas cubitales è ner-
uis compactas, quibus ingens mentula in ven-
tre extabat, per pagos præeunte tibia circum-
ferebant, Bacchum canentes. Deinde in Par-
naſo monte bacchanalia, quæ Græcis Dionyſia
dicũtur, alternis annis acta ſunt, magno cùm
hominum multo mero incalentium clamore,
tum tympanorũ crepitu. Haud ita multò poſt,
Græcus quidam homo ignobilis eiuſmodi ſa-
crorum antiſtes in Hetruriã venit, docuitq́;
ritus. Ex Hetruria ea mali labes mox Romam
penetrauit, vbi mirandũ in modũ morbi con-
tagione matronarum pudicitiã corrupit: pri-
mò ſacrarium fœminarũ fuit, nec quiſquam
virorum admittebatur: tres in anno ſtatutos
dies habebant, quibus interdiu Bacchis initia-
rentur. Sacerdotes inter ſe matronæ creaban-
tur: cùm demum Pacula Minia Campana fa-
cta eſt ſacerdos, hæc omnia tanquam Deorum
monitu immutauit, ſanè viros & cumprimis
filios initiauit, nocturnúmq́; ſacrũ ex diurno,
& pro

& pro tribus in anno diebus, quinos in ſingulos menſes dies initiorum ſacros fecit. Tum promiſcuè ſacra viri fœminis permiſti facere cœperunt, vbi cum per noctis licentiã quidquid ſcelerum vnicuique edere liceret, nihil facinoris, nihil flagitij prætermittebatur: ſiquidem eo loci ſtupra pariter atque cædes redundabant, quãdo qui aut ad Venerem pigriores, aut dedecoris minus patientes erant (nã poſtremò nemo maior viginti annis initiabatur) morte afficiebantur: nec id multis cognitum, cum nulla vox queritantiũ præ vlulatu, tympanorum cymbalorumque ſtrepitu exaudiri poſſet, & mortui ex conſpectu illicò in ſpecus abderentur. Summa religionis erat inter eos, viros velut mente captos, corporis iactatione fanatica vaticinari, matronas Baccharũ habitu crinibus paſſis cum facibus ardentibus diſcurrere, & mactatos dici à dijs raptos. Verum ad extremũ tantorũ ſcelerum indicio ad Sp. Poſthumium Albinũ & Q. Martium Philippum COSS. delato, religio peſtifera extincta eſt, anno vrbis cõditæ DLXVIII. Atqui non eſt quòd plura veterum probra vitæ repetamus, cum nos forſitan magis reprehendendi ſimus, quando apud nos præ Veneris inſtitutis, parum Dei opt. max. præcepta ritè ſeruantur. Moſes enim mulierem adulteram cum adultero, vt in Leuit. cap. XX. eſt, morte

mactandam

mactandam ſtatuit: apud Romanos & Græcos, adulterium crimen etiam capitale fuit: Arabes qui Felicem Arabiã incolunt, virum etiam adulterũ capite mulctabant. Quin & diuus Clemẽs epiſtola ſua prima dicit, ſecundam hæreſim, adulterium omniũ grauiſſimũ eſſe peccatum, atque apud iuſtum iudicẽ maiore pœna lui, & tamen ioco habetur. Quid, quòd vxores & viri palam multis adulterijs inquinati, eo quòd aut ad nullam, aut ad minorem pœnam quàm culpa ſit, vocantur, nihil penſi habẽt ſacroſanctum matrimonij fœdus violare? Ita apud nos manſuetudo puniendi, illecebra eſt peccandi. Non ſola igitur, vt ipſa cupiebat, Venus impudica eſt, nec tamen prima fuit: ſiquidẽ ſatis conſtat iam inde ab initio fermè orbis conditi, fuiſſe mulieres, quæ vulgato corpore quæſtum fecerint. Legimus enim in Geneſeos libro, Iudam Iacob filiũ eò rem habuiſſe cum Thamar nuru ſua, quòd ſuſpicatus eſſet illam eſſe meretricẽ prout mulier talem ſe eſſe veſtitu pariter atque arte ſimularat. At quanto Venere præſtantior Lucretia fuit, quæ non pudicitiæ omnibus peruulgandæ, ſed cõſtanter ſeruandæ vnicũ edidit exẽplum, ſibiipſi mortem conſciſcens? Hæc tamen non facilè multas ſui ſimiles habet, adeò libido creuit, qua mehercule nihil in vita mortalium turpius fœdiùſque eſſe poteſt,

quando

quando hæc nobis cum belluis cõmunis eſt, & hæc vna tantum humanæ vitæ internoſcitur infirmitas. Quapropter Magnus Alexan. vt teſtis eſt Plutarch. ſe duabus potiſſimum rebus mortalitatẽ intelligere aiebat, ſopore ac coitu, quas ſola naturæ infirmitas pareret. Pythagoras verò rogatus quando concũbendũ eſſet, Tunc, inquit, cùm teipſo infirmior fieri vis. autor Diogenes lib. VIII. Quod nos eſſe rectè ſcimus, nihilominus tamen mulierũ illecebris in libidinem trahimur, veluti canis, vt dicitur, ad vomitum ſuum reuertitur. De his ſatis. Tincturam capillorũ, teſte Clemente, Medea primùm inuenit. Vſum autẽ tondendi ab Abantibus fluxiſſe ferunt: ita enim huiuſmodi populi cùm natura bellicoſi forent, expeditius cum hoſtibus cominus congrediebantur. Teſtatur vtrũque Plutarchus in vita Theſei, ſcribens: Vigebat etiã illis tẽporibus conſuetudo, vt qui ex ephebis exceſſiſſent, delati in Delphos, de comis Deo primitias darẽt. Acceſſit igitur in Delphos Theſeus, & anteriorem partem capitis abraſit. At Abantes primi hoc tondendi more vſi ſunt, quem quidem non ab Arabibus, vt quidam exiſtimant, didicerunt, nec Myſios imitati, ſed quòd natura bellicoſi eſſent, & propè pugnandi ac præter cæteros manus cum hoſtibus conſerendi peritiam tenerent. Et pòſt paulò infert: Ne





igitur ullas hoſtibus ad capiendum anſas darent, tondebãtur. hæc ille. Ea etiam de re Magnus Alexan. ſuis ducibus imperaſſe dicitur, vt Macedonum barbas araderent. Tonſores in Italiam ex Sicilia primũ venere, anno poſt conditam vrbem CCCCLIIII. adducente P. Ticinio Mena, teſtis Varro: antè intonſi fuere. Primus omnium radi quotidie inſtituit Africanus, ſequens Diuus Auguſtus cultris iugiter vſus. autor Plinius volumi. VII. Natur. hiſtor.

## Multa cùm vetera, tum noua inuenta eſſe, quorum autores ignorentur. CA. XVIII.

QVanquam probè ſcimus, quantum laudis præmiiq; debeatur illis, qui olim aliquid ſuo ingenio, vel ad vſum vitæ, vel ad animum excolendum vtile, nihil non neceſſarium excogitarint, eóque huiuſcemodi rerum autores hoc vno opere omnes complecti, ne quempiam ſua laude fraudaſſe videremur, diligentius elaboraui: attamen nobis per vetuſtatem, quæ, vt Varro inquit, multa tollit, pauca non deprauat, id præſtare minus licuit, quòd multis vtimur, quæ aut ad ſuos minimè referuntur autores, aut omnino ad nullos, vt pote qui non produntur. Quapropter ſi ſcriptores quos ſequeremur nullos planè habuimus, nemini ſanè mirum ſit, nos quædam ſilentio præteriſſe: quando illud ad-

Universidad de Deusto Biblioteca

miratione dignius eſt, vt plurima noua inuenta ſint, quorum inuentores non tradantur, & ex iis quædam nec ſcripta habeamus, quo nomine vocari poſſint. Nam quid iucundius reperiri potuit horologio? quo nobis, etſi occultato ſole, per tintinabulum ſua, vt ita videtur, ſponte ſonans, horæ nuntiantur. Aut quid gratius ipſo tintinabulo, quod alij campanam, nonnulli nolam nuncupant, inueniri potuit? quod licet recens inuentum non ſit, Moſis enim temporibus, teſte Ioſepho in III. Antiquitatum, eius vſus erat, de quo Martialis ait:

Redde pilā, ſonat æs thermarū, ludere pgis?
Virgine vis ſola lotus abire domum?

vtriuſque tamen pariter autor latet. Sed & aliud meo iudicio admirabilius fuit, inuenire pyxidem illam, qua nautæ admodum peritiſſimè nauigationem moderantur, quis tamen eam repererit, omnino in aperto non eſt. Adde præterea illud tormentum æneum, quod bombardam vocant, omni admiratione execrationéque dignum, ad perniciem hominum excogitatum: quod haud adduci poſſum, vt humanum ingenium inueniſſe credam, ſed mehercle potius malum quempiam dæmonem mortalibus monſtraſſe puto, vt inter ſe non modo armis, verumetiam fulminibus (eſt enim vt alio loco diximus, quam ſimillimum fulmi-





ni) pugnarent, cuius autor Perilli exemplo, ſicut opinor, monitus, non temerè nomē ſuum occultauit, ne in ſe, vti merebatur, primum huiuſmodi tormentum experiri cogeretur. Perillus enim, teſte Plin. libr. XXXIIII. vir Athenienſis, vt Phalaridi Agrigentinorum tyranno poſt hominum memoriam crudeliſſimo placeret, ex ære taurum artificioſiſſimum fabricauit, cui ianuam in latere poſuit, cum reus incluſus ſubiectis ignibus torqueretur, mugitum, non hominis vocem videretur emittere. pro quo opere cum à tyranno pretium poſtulaſſet, in illo ipſe includi omnium primus à Phalaride iuſſus ſuppoſitis ignibus, artificij ſui verum experimentum præbuit: de quo Ouid. in I. de arte amandi ita cecinit:

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit autor opus.
Iuſtus vterque fuit, neque enim lex æquior vlla eſt,
Quàm necis artifices arte perire ſua.

Eſt & illud nouum inuentum, in quo vterque pes vtrinque eius quieſcit, qui equo inſidet: nam vt in marmoreis ſtatuis Romæ conſpicitur, antiqui non vtebantur, nec quo nomine appelletur, apud autores legitur: vulgò ſtaffa nominatur, quòd in eo pedes commodè ſtant. Sunt & huiuſmodi plurima, ſed illa in primis incitamenta gulæ, quæ hodie tam di-

Universidad de Deusto Biblioteca



*uerſi generis ex ſaccaro fiunt: vel etiam pars maxima armaturæ: quæ cùm ſuis vocabulis haud aptè explicari queãt, nihil eſt quod proferam. Eſt vel nouitium inuentum illud laneum tegmen capitis, quod biretrum vocant: veteres enim omnino caput non velabant, ſicuti teſtantur numiſmata, vel ipſæ ſtatuæ, quæ, vt Romæ vidimus, apertum caput habẽt, præſertim cùm propalam ſit, nos patrio more eo fingi veſtitu, quo prorſus vtimur. Sed hoc omnino C. Cæſaris exemplo ſignificantius cõprobatur: is enim, autore Tranquillo, cùm caluitij deformitatem iniquiſſimè ferret, obtrectatorum ſæpe iocis propoſitam, deficientem capillum reuocare à vertice conſueuit, vt illam obtegeret. Quod quidem quis non videt, ab eo fieri ſubabſurdum fuiſſe, ſi more patrio, commodius decentiúſque caput, hoc eſt, dehoneſtamentum illud caluitij, obnubere potuiſſet? Ex quo apparet, recens eſſe inuentum hoc operimentum capitis quo nunc paſſim vtimur, autor tamen ignoratur. Et ſic huiuſmodi ſexcenta ſunt, quorum iuxtà autores nõ produntur. Acutius eſt etiam inueniſſe, & multò vtilius, qua ratione frumentum ad decurrentis aquæ impetum molere poſſemus, quamuis nõ vtique recens ſit, tamen apud idoneos autores ſuo nomine caret, vulgus molẽdinũ vocat. Multa inſuper nouiſſimis tẽporibus inſtrumenta muſica*

*inuen*



*inuenta ſunt, quorum autores iam in obliuionem venerunt: ex quibus propter ſuauitatem concentus, omni admiratione & laude digna ſunt illa, quæ organa nuncupant, valde quidem ab illis diſſimilia, quæ Dauid Iudæorum rex, vt in I. huius operis volumine memorauimus, fecerat, quibus Leuitæ ſacros hymnos concinerent, ſicut nos his pariter canimus. Item alia id genus ſunt, quæ monochordia, clauicymbala, variéque nominantur, eorum tamẽ æquè inuentores magno quidem ſuæ gloriæ damno, in nocte denſiſſima deliteſcunt. Non proditur itidem quis primus fecerit candelam ex ſeuo, tametſi ſordidam, attamen apprimè vtilem: neque is qui primùm aues ad venandum domuerit, quod ſimiliter recens inuentum eſt. Nec memoriæ proditum eſt, quis annulos primò repererit, quibus apud Romanos, vt demonſtrauimus, magnus honos acceſſit. Sed quid miramur eiuſmodi rerum admodum tenuicularum inuentores, diuturnitatem temporis obliteraſſe, cùm imprimendarum literarum artis nouiter diuino quodam ingenio excogitatæ, ipſe autor propemodum in tenebris iaceret? Nos tamen pro virili parte operam impendimus, quemadmodum alibi appoſitè oſtendimus, vt ab omni obliuionis iniuria vendicaretur. Eſt vel memoria noſtra tegumentum crurum tam commodiſſimè quã decentiſſimè con-*

 *fect*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*ſectum, quod nos caligas dicimus: etſi caligæ calceamenti genus fuerat apud veteres, aſt autor tam neceſſarię veſtitus tamq; honeſti iamiam in occulto latet. Extant plures præterea artes, quæ intra ſuum initium tanquam humile cum minimè ſteterint, deinde ab inſequentibus auctæ, neutiquam ad ſuos priores autores ſed ad eos à quibus incremētū acceperint, perperā, vt in pleriſq; locis huius operis docuimus referuntur. Quare proinde ſi vetera quedā inuenta aut noua minus attigimus, id profectò in cauſa fuit, quod maluerim paucis verbis certa tradere, quàm multa incerta perſequi.*

LIBRI TERTII FINIS.

# POLYDORI VERGILII VRBINATIS IN QVINQVE LIBROS DE INITIIS INSTITUTORUM REI CHRIſTIANÆ, AD IOANNEM MATTHÆUM VERGILIUM FRATREM,

## PROOEMIVM.

*CHriſtus ſeruator noſter, qui quemadmodum ipſe teſtatur, ad nos mortales venerat, haud legis reſcindendæ, ſed atque adeò confirmandæ cauſa, tam inde à*





*de à principio omnia pura, nuda, apertaque reddidit, quæ antea Iudæi vmbram ipſius legis ſecuti ſuffecerant, colorarant, fucoſaque fecerant, & denique quicquid iſti laxarant, ac quò minus pietatis pluſque cærimoniarum introduxerant ille aſtrinxit, atque plus pietatis, minuſque cærimoniarum eſſe voluit. Quod Eſaias fore prædixerat, inclamans: Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Cæterùm deinceps ſylua hæc Iudaicarum cærimaniarum ſic paulatim agrum dominicum occupauit, vt periculum ſit, ne aliquando ipſe dominus illud agricolis crimini det, ab eiſque petat. Quis enim quæſiuit hæc de manibus veſtris? Verùm vt non parum multa à Iudæis, ita non modica ab aliis gentibus inſtituta, aut caſu, rationéve accepta, tam in frequentem vſum & conſuetudinem venere, vt pro noſtris habeantur. Quod equidem fecit, vt putarim me operæpretium facturum, ſi origines eiuſmodi rerum omnium quæ ad religionem pertinerent, proderem, quò luculentius conſtaret, quas Seruator, quas Apoſtoli, quas deinde Epiſcopi, quáſve alij introduxiſſent. Et id amantiſſime frater, tuo præſertim rogatu, mihi officium præſtandum duxi, vt dum tu qui Græcis pariter atque Latinis literis es longè eruditiſſimus, Patauij, quò nu-*

*per à ſenatu Veneto philoſophiæ docendæ cau-
ſa accitus es, negotiaris, ne ipſe otiarer. Ita-
que omnes noſtræ religionis ritus, eorúmque
initia, quinque libris expoſui, etſi neſcio quàm
benè, tamen accuratè, quos ad tres illos de re-
rum inuentoribus libellos abhinc XVIII. an-
nos, à me & ætate & fortaſſe doctrina tyro-
ne compoſitos adiunxi, demonſtrauique pa-
tres olim in bona illorum parte recipienda, piè
ac cum cauſa feciſſe, quippe qui gentes etiam
barbaras ad veræ pietatis cultum ducere
auentes, arbitrati ſunt humanitatis condi-
mentis tractandas, cùm earum inſtituta
haud prorſus horruerint, nec ſuſtulerint,
ſed meliora fecerint, quò ne vllum religio-
ni periculum crearetur, ſi vel minus admi-
ſiſſent, minúſve mutaſſent, quemadmodum lo-
cis per appoſitis commodum demonſtrauimus.
Atq; iſto ipſo labore quem religionis cau-
ſa non inuitus ſuſcepi, Deum opti-
mum maximum, nobis propi-
tium reddidiſſe cõfido.*

Vale, Nonis De-
cembr. Lon-
dini.

M. D. XVII.

Universidad de Deusto Biblioteca



# POLYDORI VERGIL. VRBINATIS DE INVENTORIBVS RERVM

# LIBER IIII.

## De principio Eccleſiæ, Chriſtianæque religionis. CAP. I.

*QVAE ab orbe condito, ad no-
ſtram vſque ætatem quiſque ad
vſum humanæ vitæ neceſſaria
primus inuenerit, tribus ſupe-
rioribus libris explicauimus: de-
hinc verò de principio Eccleſiæ Dei ac inſtitu-
tis, & eorum initiis Chriſtianæ religionis age-
tur, quæ ſola eſt, quæ poſſit hominem facere ac
ſeruare beatum. Eccleſia vox Græca, apud nos
ſignificat congregationem, cœtum, concilium,
multitudinem, concionem, & vt plurimùm ac-
cipitur pro hominum congregatione creden-
tium vni vero Deo, quos vocant fideles: ac eo
pacto Apoſtolus epiſt. ad Epheſios cap. 5. appel-
lat* CHRISTVM *Eccleſiæ caput. At vulgus
omne Eccleſiam vocitat cunctorum Sacerdo-*

tum ordinem, ſinguliq; templa Deo atque di-
uis eius dicata. Hæc igitur Eccleſia hominum
Deo vero credentium, ac ſummo cultu eundem
ſanctéque venerantium eſſe cœpit iam inde à
primordio mundi creati, cum Adam ac eius fi-
lij Cain & Abel Deum colere cœperunt: iuue-
nes enim ſtatim Deo ſua obtulere dona, velut
lib. Geneſ. extat. Deinde creſcente hominum
genere, Eccleſia magis fuit celebris, vſque ad
Noë tempora, cùm exigua admodum facta, ex
familia tantùm ipſius Noë conſtitit: poſtea penè
extincta eſt, ſed paulò poſt per Abrahā & eius
familiam reſtituta, in ſuo tandiu ſtetit medio-
cri ſtatu, donec cœperit maiorem in modum flo-
rere per Moſen, qui eam mandatis diuinis, le-
gibus cærimoniisque adauxit, ſtabiliuit, orna-
uit. Poſtremò tam ipſam Eccleſiam populo He-
bræo per ſuos impios reges, et in primis Achaz
ad idololatriam impulſo, vti eſt lib. Paralipo.
II. iamiam cadentem prophetæ eatenus ſuſten
tarunt, quoad præſto ei fuit CHRISTVS: de
cuius aduentu cauſáque adueniendi dicturi,
aliquātò altius rurſum nobis exordiēdum eſt,
prodito iam Eccleſiæ Dei ortu. Hebræi itaque
ab Heber, à quo Abraham originem duxit, au
tore Euſebio de Euangel. præparat. libro VII. di-
cti: qui poſt Moſen, teſte Lactantio, lib. Diui-
narum inſtitut. IIII. à Iuda, qui illorum fuit
dux contra Cananæum, Iudæi appellati ſunt,
ante



ante multa ſecula, quàm eſſet Moſes, abſque le-
ge aliqua ſcripta, piè ſanctéque vixerunt, vt-
pote qui naturali quadam ratione, ac mentis
acumine, magnitudineq; animi, veritatem vt-
rāmque pietatem cōſecuti eſſent. Quorū prin-
cipes fuerunt, Enos, qui primus, ſicuti ſuprà
oſtendimus, nomen domini Dei inuocauit,
Enoch, Noë, item poſt iſtius tempora, Abrahā,
Iſaac, Iacob, qui quod Deum vidiſſet, Iſraël
eſt ab ipſo Deo appellatus, & ab eo Hebræi Iſ-
raelitæ nūcupati. Ab hoc duodecim tribus Iu-
dæorum profectæ ſunt, ſingulæ à ſingulis eius
filiis denominatæ. Præter hos Iob, qui etſi homo
alienigena (erat enim è terra Hus, in Arabiæ
Idumææq; finibus ſita) pietate tamen & inno-
centia Hebræis comparandus eſt. Sed Ioſeph
Iſraëlis filius in primis vitæ caſtimonia excel
luit. Iis igitur ob iuſtitiam commiſſa ſunt, vt
apoſtolus Paulus ait, eloquia Dei. Verùm non
diuturna fuit in gente integritas: nam poſtea
quam famem declinaturi primùm Abraham,
deinde Iſraëlem ſecuti, in Aegyptum migra-
uere, ſenſim ex peſtilenti illius populi commer
cio patriæ pietatis obliti, adeò ſeſe maleficæ ſu-
perſtitioni addicere, & dæmonibus ſeruire cœ-
perūt, vt nihil ab ipſis Aegyptiis, nihil ferè à
reliquis gentibus, quæ olim ab eis, prout alibi
appoſitè demonſtrauimus, ortum habuerant,
religione differrent. Deus tamen miſertus
poſt

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



poſt annum CCV. vt Ioſepho placet, quàm Iſraël cum filiis in Aegyptum venerat, & quàm Abraham in eam terram acceſſerat CCCCXXX. duce Moſe, per quem illis deinde lex data eſt, eos eduxit, liberauitq; ſeruitute, qua ab Aegyptiis premebantur. Pro iis diuinis beneficiis, honorem Deo non habuerunt, ſed depulſa iam ſeruitute, in luxuriam delapſi, ad prophanos Aegyptiorum ritus animum adiunxerunt, atque deinceps nunquam peccare ceſſarunt, veluti cæteræ gentes factitabant. Quocirca ſummus Deus ac parens omnium cùm videret malitiam & falſorum Deorum cultus orbem terræ occupaſſe, ac iam nomen ſuum ex hominum memoria penè ſublatum, appropinquante iam termino quo religionem ſuam transferre voluiſſet ad nouos cultores, ſecundum illud Dauid oraculum: Populus quem non cognoui, ſeruiet mihi: miſit in mundum vnigenitum filium ſuum nuntium & doctorem, ad erudiēdos mortales præceptis iuſtitiæ ſuæ, quem propterea voluit mortali carne indui, & in crucem tolli, & morte mactari, qui, vt viua lex, nomen ac templum nouum conderet, pium cultum verúmque per omnem terram verbo & exemplo doceret. Sed tamen quo certum eſſet à deo miſſum, oportuit illum non ita naſci, ſicut naſcitur homo ex vtroq; mortali genitus, qui vt cœleſtis appareret, crearetur ſine

ope



opera genitoris, & tunc cōciliator inter Deū & homines, ad immortalitatem duceret ipſos homines, & ſicuti homo præcepta ſuis factis approbando, cæteros parendi neceſſitate conſtringeret. Idcirco voluit morti & afflictionibus cunctis eſſe expoſitus, vt ea tolerando vti bonus doctor, doceret illa quoque poſſe perferri à quocunque mortali homine, qui non vt humanus corpori ſeruiret, ſed vt, quemadmodum Origenes ex Apoſtoli ſententia, ſuper Geneſim pulcherrimè admonet, exercens bona animi, cuiuſmodi ſunt, voluptatum fuga, doloris atque mortis contemptus, cœleſtis effectus, imaginem cœleſtis Dei acciperet. Venit ergo ad nos ſimiliter diuinus ac humanus doctor, id eſt, perfectus Deus, perfectus homo, qui verbum Dei, qui cum patre ſemper, & pater cum eo eſt vnus Deus. Ille tanquam ſol hic tanquam radius ex ſole porrectus: ille quaſi fons, hic riuus: quia æquè vna vtrique mens, vnus ſpiritus, vna ſubſtantia eſt, ſicut ſolis lumen in radio, & aqua fontis in riuo. Sed quomodo ad nos venerit, & verbum caro, veluti euangeliſta Ioannes ait, factum ſit, audiamus Lucam ita intonantem: Miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria.

Universidad de Deusto Biblioteca

Maria. Et ingreſſus angelus ad eam, dixit:
Aue gratia plena. Dominus tecum. Benedicta
tu inter mulieres. Et paruminfrà: Ecce conci-
pies in vtero, & paries filium, & vocabis no-
men eius IESVM. Is erit magnus, & filius al-
tiſſimi vocabitur, & dabit illi dominus Deus
ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo
Iacob in æternũ, &c. Dixit: Dauid patris eius
quoniam tam Ioſeph, qui putabatur eius pa-
ter, quàm Maria virgo ex regia ſtirpe Dauid
orta erat, ſicuti ex genealogia vtriuſque apet-
tè liquet, quando Ioachim, qui ex Anna vxore
hãc puellam genuerat, ſuum pariter genus ad
Dauid referebat. Dũ igitur pax in terra poſt
hominum memoriam ſumma erat, dum Augu-
ſtus Cæſar vniuerſo orbi imperabat, dum edi-
cto ipſius Cæſaris, Iudæi, vt in alijs quoque
gẽtibus fiebat, à Cyrino qui Syriæ præerat, vo-
cãtur, vt tributim dent nomina, dum denique
Ioſeph ex Galilæa profectus cum coniuge, vt
in tribu Iuda cum ſuis profiteretur, in Bethleẽ
opido Iudææ morabatur, quæ terrarũ ferè me-
dia eſt contigit vt virgo quæ diuinũ ſpiritus
hauſtu conceperat, filiũ pareret, ſine vllo vteri
accepto incõmodo, quòd partus diuinus eſſet,
de quo iã multò antea veteres cecinerant pro-
phetæ. Eſaias: Ecce virgo concipiet, & pariet
filiũ. Et rurſus: Egredietur virga de radice Ieſ-
ſæ. Fuit Ieſſa Dauid regis pater, qui & Iſai
dictus



dictus eſt, velut in extremo decimo capite li-
bri primi Paralipomenon legitur. Extiterunt
& alibi argumenta quædam myſterij huius.
Romæ regione trãſtyberina oleũ, vt Euſebius
ſcribit, per idem tẽpus terra erupit, perq; inte-
grum diem, perpetuo manauit fluuio. Itẽ Oro-
ſius tradit Auguſtum eodem die vetuiſſe edi-
cto, ſe dominũ appellari, manifeſto præſagio
maioris dominatus, qui tum in terris ortus eſ-
ſet. Fuit hic annus, in quem ille ſacratiſſimus
incidit partus, alter & quadrageſimus impe-
rij Auguſti principis, mundanæ verò originis
nonageſimus vnus ſupra cẽteſimum ac quin-
quies milleſimum. Octauo deinde die, puer ad
templum delatus, patrio more circunciditur:
non enim venerat vt legem abrogaret, ſed vt
conſummaret: vocatur q; IESVS, quod idem
Hebraicè ſignificat atque ſeruator. Haud ita
multò pòſt colitur à Magis, pretioſisq; muneri-
bus donatur. Magos Perſæ ſapientes vocãt, &
Chaldæi, quos Græci Philoſophos. Deinde ma-
tris ſecuta eſt purgatio, vt magis lex ſeruare-
tur, quàm quòd luſtratione aliqua opus eſſet,
vnde omnis labes abfuerat. Tulit virgo ſecum
puerum ad templum, quem Simeon vir iuſtus
miro perfuſus gaudio cupidiſſimè complecti-
tur, ac regem, & ſeruatorem ſuum prophetico
ſpiritu profitetur. Vnde CHRISTVS ex my-
ſtico chriſmate dictus, quod certo argumento
poteſtatis

poteſtatis & regni vnctus eſt. CHRISTVS etiam dicitur vnctus, quem Hebræi Meſsiam vocãt. Sic IESVS, id eſt, ſeruator, & CHRISTVS, hoc eſt, rex dictus eſt. Anna itidẽ prophetica mulier IESVM CHRISTVM vidit & agnouit. Herodes verò audito nomine noui regis, eum perdendum ſtatuit. Quo cognito, Ioſeph diuinitus antè monitus in Aegyptum cum puero & matre aufugit, vbi ſeptem fuit annos. Interim Herodes oraculi neſcius, omnes pueros qui tamẽ in Bethleem erãt occidit, qui propter id ſcelus tabo & ſacro igne correptus, cruciabiliter vitam finiuit. Tum Ioſeph iterum per quietem monitus in patriam redyt, & cùm audiſſet Archelaum regnare in Iudæa loco Herodis patris, in Galilæam diuertit, & Nazareth ciuitatẽ incoluit, vnde puer Nazaræus eſt appellatus. Secundum hæc, cùm iam puer XII. eſſet annos natus, Hieroſolyma cum parentibus de more ad diem feſtum agendum proficiſcitur, ibiq; in templo cœpit cum doctoribus, tùm percontando, tum reſpondendo, ſupra ætatem diſputare; mox parentes domum ſecutus, vſque ad XXX. vitæ annum contentus manſit gratia Dei & virtute, quæ in eo maxima erat. Tum demum Chriſtianæ rei fundamentum iacturus, & ſuum negotium, propter quod venerat, geſturus, tinctus eſt à Ioanne propheta in Iordane flumine, vt





ea aqua ſpiritali, peccata non ſua, quæ vtique non habebat, ſed carnis quam gerebat, aboleret, & quemadmodum Iudæi ſuſcepta circuncisione, ſic etiam gentes per baptiſma, id eſt, ſalutaris roris perfuſionem ſeruarentur. Delegit apoſtolos XII. & diſcipulos LXX. quibus deinde mandaret concionandi munus: ſeu ij delectus paulò pòſt quàm prædicationem inchoauerat, ab eo habitus eſt, quod parui refert. Cœpit docere homines, vnum eſſe Deum, & illum ſolum coli oportere, quòd diligentibus ſe hæreditatem cœleſtem donaret, quò ſic eorum mentes à ſtultitia, qua tenebantur, ad ſapientiam, ab iniquitate ad iuſtitiam reduceret: item debere omnium maximè mutuam charitatem habere, ac cætera præcepta Dei ſyncera mente ſeruare: ſe verò non Deum, ſed nuntium Dei profitebatur, qui non ſuum, ſed patris honorem quæreret: inde maxima ſimul miracula edere cœpit, non præſtigijs magicis, quæ nihil veri oſtentant, ſed vi ac poteſtate cœleſti, quæ iam pridem prophetis nuntiantibus canebantur: ſic viam oſtendebat olympo. Quo fiebat, vt populus ex tota Syria ad eum ob eius iuſtitiam, vel ob huiuſmodi miracula conflueret, & præcepta eius audiret, ac à Deo miſſum, Deique filium crederet. Docuit præterea modum orandi atque ſacrificandi, vt nihil omitteret, quod ad



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



veram religionem faceret, in qua demum cun-
cti mortales acquieſcerent. Hæc ſunt facta
IESV Chriſti præceptoris noſtri, quæ mi-
raculis conſtant: hæc eius doctrina, quæ con-
tinetur decretis, quæ ipſe Euangelium, hoc eſt,
bonum nuntium, appellauit. Cæterùm quò
magis hæc à pluribus recipiebantur, hoc a-
criores inuidiæ ſtimuli exagitabant Iudæo-
rum primores & ſacerdotes vociferantes, le-
gem Dei ob hanc nouam ſuperſtitionem (ſic
enim Euangelium vocitabant) violatum de-
ſertúmque iri, qui vſque eò ira obcæcati ſunt,
vt omnium prophetarum oraculorum imme-
mores, non prius machinari ceſſauerint, quàm
ipſum CHRISTVM in crucem ſuſtulerint,
quò ſic per eius mortem, veteris inſtrumenti
myſterium aperiretur, intelligeretúrque: at
nouum inſtrumentum, quod ab eo eſt condi-
tum, veteris fieret conſummatio, quia ille in
vtroque teſtator eſt. Sed fruſtra opponuntur
diuinæ voluntati humana conſilia: nam
CHRISTVS poſt tertium diem, quàm paſ-
ſus fuerat, reſurrexit, obtulitque glorioſum
corpus ſuis diſcipulis conſpiciendum: Qui fuit
annus principatus Tiberij Cæſaris decimuſ-
octauus. Illis per hæc confirmatis, quos iuſſit
ſpiritum ſanctum expectare, qui ad eorum
mentes inſtruendas eſſet è cœlo mox paulò ven-
turus, poſt quadrageſimum diem quàm reſur-
rexerat



rexerat, & videntibus apud patrem aſcendit,
poſt annum trigeſimumtertium, ac mẽſes tres,
quàm ad humani generis inſtaurationem in
terram deſcenderat. Verùm prius quàm cœ-
lum repeteret, poteſtatem dedit apoſtolis, qui
rempublicam Chriſtianam conderent, dicens,
vti teſtis eſt Matthæus euangeliſta: Data eſt
mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: eũtes
ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in
nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, docẽ-
tes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vo-
bis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus
vſque ad conſummationem ſeculi. Et ſecun-
dum Marcum, illud ipſum repetens: Ite in mun
dum vniuerſum, & prædicate euangelium o-
mni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus
fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit,
condemnabitur. Ioannes vero euangeliſta ni-
hil diuerſum commemorat, cùm inquit: Venit
IESVS, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax
vobis. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus
& latus ſuum. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, viſo
Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis: ſi-
cut miſit me pater, & ego mitto vos. Et cùm
dixiſſet, ſlauit in eos, & dixit eis: Accipite
ſpiritum ſanctum: quorumcunque remiſeritis
peccata, remittentur eis, & quorumcunque re
tinueritis, retenta ſunt, &c. Et hanc CHRI-
STVS æquam omnibus apoſtolis autoritatem

 fecit

Universidad de Deusto Biblioteca

fecit, poſtquam ſpiritum dederat, vt qui ea deinceps vterentur, ſcirent oportere ſe retinere etiam ſpiritum. Deinde CHRISTVS in cœlum ſe contulit, qui poſt decimum diem quàm aſcenderat, ſpiritum ſanctum ad apoſtolorum mentes diuinitus illuſtrandas miſit, qui Hieroſolymis vnà erant, & cum paracletum expectabant, quo repentè afflati, cœperunt loqui alijs linguis, prout ſpiritus dabat vt loquerentur. Atque ipſum Chriſtianæ religionis principium tale fuit, taléque fundamentum, quod ſeruator noſter iecit, & denique tale frumenti granum, quod ille ſolo condidit. Sed agè iam dicamus, vt illud enatum ſit, quáſve paulatim protulerit opes.

## De Chriſtianæ reipublicæ origine, eiúſque miro à primo incremento, ac apoſtolorum Petri & Pauli martyrio.

### CAPVT II.

APoſtoli ſpiritu supernè accepto, vt valido muniti præſidio, nihil formidãtes, audacter incipiunt CHRISTVM Hieroſolymis prædicare, vbi ille paulò antè datus fuerat neci. Sed Petrus in primis Iudæos tãti parricidij intrepidè coarguit, hortaturq́; vt eos pœniteat, ac veram religionẽ quamprimum complectantur. Ea cõcio ita mouit, vt tria millia ſexus vtriuſque eodem die baptizata ſint. Confirmat Petrus ſtatim animos iſtorũ mira-

culo,



culo, qui in aditu tẽpli, ad Speciosam portam, claudum ex vtero matris, IESV Nazareni nomine in pedes erexit. Quo viſo totus populus ad Petrum & Ioannẽ qui aderat, cucurrit, & ille rurſus concionatur. Poſt hæc à principibus Iudæorum interrogatus, qua arte id miraculum edidiſſet, aperit illud nomine IESV Chriſti geſtum, quem illi iniquè crucifixiſſent. Ad hæc indignati principes, iubent, vt ne id nomen amplius apud populum diuulgent: quibus Petrus & Ioannes reſpondẽt, ſe non poſſe quæ de IESV vidiſſent, non loqui: qui cùm perſeuerarent in ea prædicatione, vnà cum alijs apoſtolis in cuſtodiam conijciuntur, ſed ſtatim noctu apertis diuinitus portis, in templum ſe conferunt, ibique docent. Tum iterum à principibus prohibiti ne concionarentur apud populum, reſpondit Petrus ſic: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Quare principes indignati, cùm non auderent in apoſtolos ſæuire, veriti ſi id tentarent, ne in plebe tumultus fieret, Stephanum vnum ex ſeptem diaconis, lapidibus conſciunt, cuius cædes nihil minuit piorum alacritatẽ, cùm audiſſent illum dicentem: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. Interea conueniebat multitudo vicinarum ciuitatum Hieroſolyma ad eos afferentes ægrotos, & vexatos à ſpiritibus immundis, qui ſanabãtur omnes. Per hæc

Universidad de Deusto Biblioteca



creſcebat cœtus Chriſtianorum, quibus erat cor vnum & anima vna, atque omnia communia. Apoſtoli autem communiter viuebant, & quod illis piè offerebatur (offerebantur autem ad illorum pedes à credentibus pretia agrorum) id extra naturæ vſum, pauperibus erogabant. Philippus inter hæc, vnus ex ſeptem diaconis, Samaritanos ad religionem trahit, Simonem magum baptizat. Cucurrit illuc Petrus cum Ioanne, qui eam gentem corroboraret. Paulus non multò poſt nominis Chriſtiani acerrimus hoſtis, in piorum cœtum ope diuina ducitur. Sed vt illud Dauid carmen euento probaretur: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrarum verba illorum: haud multò poſt eiuſdem Philippi opera, euangelicus ſermo vſque etiam ad Aethiopes penetrauit. Philippus porrò poſtquam Samaritanos vera religione imbuerat, cùm Dei monitu Gazam pergeret, quemadmodum in apoſtolorum Actis extat, Eunuchum Candacet reginæ Aethiopum præfectum baptizauit, & Eunuchus deinde reginam ipſam, cum tota familia, bonáque populi parte, ſic, vt Chriſtiana religio in gente ſemper viguerit. Sanè memoria noſtra cùm Clemens VII. Rom. pontifex, & Carolus V. Imperator Bononiæ negotij cauſa conueniſſent, accidit vt Franciſcus Aluarez legatus Dauid vulgò Pretogiã dicti, re-

gis



gis Abyſſinorum Aethiopum, qui mediterraneam Africæ partẽ tenent, eò Ioannis Luſitaniæ regis oratore duce, acceſſerit, atque in ſenatu ſui regis nomine, promiſſum fidei obedientiæque Clementi fecerit, anno ſalutis M CCCCCXXXIII. menſe Februario. Ad rem reuertor. Petrus oraculo admonitus Ioppe, vbi Tabitham vita priuatam à morte ſuſcitauit, Cæſaream proficiſcitur, ibique Cornelium Centurionem cũ tota eius familia, primũ ex gentibus externis, ſacri roris vnda eluit. At Paulo id in primis negotium inter gentes deinde datum eſt. Dum hæc alibi fiunt, Antiochiæ interim prædicatione diſcipulorum, qui poſt cædem Stephani Hieroſolymis factã aufugerãt, multus numerus credentium adiunxit ſe ad CHRISTVM, ita vt illi primùm eò loci cognominarentur Chriſtiani. Felix Antiochena ciuitas, quæ prima omnium auſa eſt Chriſtianum proferre nomen, atque naſcentis euangelij celebrare gloriã. Noſtræ hæc demum religionis origo eſt, quæ vitiorum omnium expultrix, Deo nos conciliat, & vinculo connectit arctiſſimo, cuius autor nõ Saturnus, aut Iupiter, ſed verus Deus, rerũ omnium origo. Accepit ſenſim ſuum deinde incrementũ reſpublica Chriſtiana: nam apoſtoli partiti inter ſe prouincias, Thomas Parthos ſortitus, Matthæum Aethiopiam, citeriorẽ Indiam Bartholo-

 lomæus

lomæus, Andreas Scythiam, Ioannes Aſiam, Petro Galatia, Pontus, Bithynia, & Cappadocia obtigit. Erat Petrus Galilæus ex Bethſaide vrbe, Ioannis filius, & Andreæ apoſtoli frater, qui ſeptem inde annos Antiochiæ epiſcopus Tiberio principe fuit. Quo tempore Iacobus iunior Hieroſolymitanæ diœceſi præerat, & is CHRISTI frater dictus, quòd ortus eſſet ex ſorore virginis, & apoſtolus, nō quòd de numero duodecim fuerit, ſed quia teſte Hierony. in cōmētarijs in epiſt. Pauli ad Galatas, viderat CHRISTVM, & poſtea prædicarat: quando omnes, qui eo pacto de CHRISTO prædicauiſſent, apoſtoli nuncupati ſunt: item ſanctus, qui, vt Egeſip. ait, nullum nouit aut vini, aut carnis vſum, intonſus, vnguēti & balnei expers, & cui ob aſſiduum orandi vſum genua in camelorum ſpeciē occalluiſſent, quem demū Iudæi è pinnaculo templi præcipitatum, quòd CHRISTVM prædicaſſet, fullonum fuſte mactarunt. Petrus verò pluribus in Aſia ciuitatibus nouo religionū ritu inſtitutis, & in ijs Antiochena, ad maiora inde rerum initia, Romā anno Claudij Cæſaris II. proficiſcitur, docénſque euangelium ſacri pontificatus fundamentū iacit, cuius plures inde annos cuſtos fuit. Atque ita reſpubl. Chriſtiana paſſim augebatur, cū Maria virgo mater CHRISTI in cœlū aſſumpta



pta eſt, qui fuit annus VII. & XL. humanæ ſalutis. Ducitur haud multò pòſt Romā Paulus, qui à Iudæis ad ſupplicium petitus, Cæſarem vt Romanus ciuis appellauerat. Is etiam ad rem Chriſtianā propagandā mirè intentus, vtcunq; in cuſtodia potuit, ſalubriter docere nō prius deſtitit, quàm iuſſu Neronis, eodem die capite obtruncatus, quo & Petrus pedibus in ſublime elatis, cruci affixus eſt. Sic ambo iactis iam validis religionis fundamentis, ſunt martyrij coronam adepti: quod verū eſſe teſtatur Tertul. lib. IIII. aduerſus Marcionem, ſcribens: Videamus quod lac à Paulo Corinthij hauſerint, ad quam regulā Galatæ ſint recorrecti, quid legāt Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſij, quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus euangelium & Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt. Et lib. de præſcript. hæreticorum, ait Clementem à Petro initiatum, quò nemo homo poſſit ambigere, eos apoſtolos apud Romanos autores religionis fuiſſe.

## Quando primùm circunciſio inſtituta, & quàm graue viſum ſit eius rei præſcriptū.

### CAPVT III.

NOs, ſicut Origenes ſuper Geneſin ſcienter diſſerit, vt incorporeum eſſe Deum, & omnipotentē, & inuiſibilē profitemur, ita eum curare mortalia, & nihil abſq; eius prouidentia

Uniuersidad de Deusto Biblioteca



uidentia geri, neque in cœlo, neque in terris conſitemur. Secundũ hoc itaque, quod prouiſorem omnium dicimus Deũ, conſequens eſt, vt quid velit, vel quid hominibus expediat, indicet. Sed quomodo id fiat, Plato in magna epiſtola perſpicuè docet, ſcribens: Deus fabilis nullo modo eſt, ſed ex multa inhæſione hærentiaque, vt ita dixerim, circa rem ipſam, & vitæ integritatem, repentè quaſi ab igne accenſum lumen animo innaſcitur, quod ſeipſum alit. Ita innuit Deum intellectu percipi, quod propheta multò antè protulit, dicens: Signatum eſt ſuper nos lumẽ vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo. Et rurſus, Et in lumine tuo videbimus lumen. Sic igitur Deus dicitur eſſe locutus, cùm nobis nota ſunt oracula ea, quæ eius ſunt voluntatis indicia. Ad hunc modum Abrahæ inquit, Ego ſum, ecce teſtamentum meũ tecum, & eris pater multitudinis gentium. Et hæc pòſt addidit: Circuncidetur omne maſculinum veſtrũ, & circuncidetur caro præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Abraham credidit Deo, vti ſolebat, quia illi attributum eſt ad iuſtitiam, & ſtatim ipſa die nonaginta nouẽ natus annos, ſe & Iſmaëlem filium ex Agar ancilla ſuſceptum, tertiumdecimũ agentem annum, & omnes vernas ſuos circuncidit, quò

deinceps



deinceps ſecundũ præceptum Domini præputium carnis ſobolis ex ſe futuræ circunciderctur. Cuius rei diuus Cyprianus rationem reddens, ita ſcribit: Cùm iam fidei tẽpora appropinquarent, imperata eſt circunciſio, & pars illa corporis in qua eſt voluptatum ſeminariũ, & libidinis officina, iuſſa etiam in paruulis amputari, vt proprij primitias ſanguinis ei, qui totum ſanguinẽ ſuum oblaturus erat, offerrent. Fiebat autẽ circunciſio ad hunc modum. Præputium, hoc eſt, pellis quæ glandẽ id eſt, partem virilis mẽbri ſummam tegit præputabatur machæra petrina: eſt enim μάχαιρα vox Græca, & Latinè gladius dicitur. Atque Deus ita fieri iuſſit, Ieſue dicens: Fac tibi cultros lapideos, & circuncide ſecundò filios Iſraël. Atque hoc fuit circunciſionis initium, quandoquidẽ non modo ante Abraham, ſed nec prior Moſe, de vita inſtitutis inter gẽtes ſanxit quiſquam. teſtis eſt Ioſephus aduerſus Appionem. Et propterea diuus Ioãnes Chryſoſtomus, homil. LII. in Matth. ait circunciſionem omniũ aliorum mãdatorum longè antiquiſſimam eſſe. Hinc igitur cõſentaneum eſt ad alias nationes morẽ circuncidẽdi poſtea manaſſe: Phœnices enim & Arabes, ſicut diuus tradit Cyprianus, item Saraceni, vt Iudæi veteri ritu circuncidebantur. Plin. Iudæorum, Aethiopum, & Aegyptiorum id fuiſſe

inſtitutum,

Universidad de Deusto Biblioteca

inſtitutum, autor eſt Herod. ſimul & colcho-
rum ait, ſed ex Aegypto tranſlatitiū. Et quia
per id dei præſcriptio ſeruabatur, ideo circun-
ciſio perinde, vti teſtis eſt diuus Gregorius,
valebat apud Hebræos, vel ad tollendum ori-
ginale peccatū, atque apud nos vnda baptiſ-
mi: hoc differebat, quòd per myſterium circun-
ciſionis nō conferebatur gratia bene agendi,
ſicut fit in baptiſmate. Proderat igitur cir-
cunciſio, prout ait Apoſtolus, cùm legem ſerua-
rent, cùm erga carnis motus non importuni
exiſterent, nec ſtatutos legibus terminos ſu-
perarent, nec aliarū fœminarū niſi coniugum
legitimarum notitiā haberent, & ea quoque
ipſa poſteritatis tantummodo cauſa, certis &
legitimis temporibus facerent. Iſti circunciſi
præputio carnis ſuæ dicendi erāt. Hæc prima,
& carnis circunciſio. Altera erat ſpiritus, &
perfectior habebatur, quæ nō ſolùm à vetitis
toris, verumetiam à cōceſſis & licitis tempe-
rabat, de qua Moſes ita vaticinatus eſt: Ipſe
in nouiſſimis diebus circuncidet Deus cor
tuum, ad Dominū Deum tuum amandum. Et
prima circunciſio, teſte Lactan. huius ſecun-
dæ figura fuit, ſignificans nudandum eſſe pe-
ctus, id eſt, aperto & ſimplici corde oportere
nos viuere, quoniam pars illa corporis quæ
circunciditur, habet quandam ſimilitudinem
cordis, & eſt pudenda. Vtranque apoſtolus
innuit,



innuit, dicens: Nō is qui in manifeſto Iudæus
ſit, Iudæus eſt, nec ea quæ in manifeſto ſit car-
nis circunciſio, circunciſio eſt, ſed qui in oc-
culto Iudæus fuerit, is Iudæus eſt: & circun-
ciſio cordis, circunciſio eſt, quæ ſpiritu cōſtat,
non litera, cuius laus non ex hominibus eſt,
ſed ex Deo. Quod & Origenes explicat: Qui
verò puram ſuæ in cōſcientiæ ſynceritate cu-
ſtodit, iſte circunciſus eſt corde. Et diuus Hie-
ronymus ſuper illud Hieremiæ: Omnis autem
domus Iſraël incircunciſi ſunt corde, ait: O-
mnis domus Iſraël incircunciſa eſt corde, non
carne, quæ incircunciſio ducit ad mortem: illa
enim carnis, hæc ſpiritus eſt. Hanc, vt dicit
Cyprianus, CHRISTVS à carne mortali
ad animam tranſtulit, quæ ſola manſura eſt.
Cæterum viſum eſt præceptū minimè æquū,
cùm ita præſcriptū eſſet: Maſculus cuius præ-
putij caro circunciſa nō fuerit, delebitur ani-
ma illa de populo ſuo, quia pactū meum irri-
tum fecit. Si quidem id accidere non poterat
culpa pueri, ſed parentis: quare admodū gra-
ue videbatur, vt negligentia patris deberet
fraudi eſſe filio. Quapropter putant illam pœ-
nam indictam eſſe patri, cū ſubijceretur, De-
lebitur anima illa. At cōtrà plures ad filiū re-
ferendum ducūt, quò violatio præſcripti ma-
iori ſit timori, quādo innocens ob alterius cul-
pam plectitur. Verùm diuus Ambroſius neu-
tram

tram opinionē ſatis probat, qui maſculi nomine mentem ſignificari autumat, quòd vt ſexu potior ille eſt, ita eius mētis vigor ſit validior. Ergo ait, hæc ratio eſt, quòd omnis mens quæ non fuerit circunciſa à ſuperfluis corporalibus, & purgata ſolenni munere, vt exuat ſe paſſionibus & vitijs, interibit. Non caro, inquit, interibit, non homo, ſed anima illa peribit, quia potuit ſalua fieri, ſi habuiſſet purgationem.

De primo baptiſmatis vſu, & baptizandorum infantium inſtituto, & de baptiſmo non iterando, ac modo baptizandi adultos, & quibus diebus. CAP. IIII.

CHRISTVS, qui æquè mortaliū omniū negotium gerebat, volens vitæ ac ſaluti noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere, docuit, quemadmodū ſi cor nudaremus, ſi peccata confeſſi ſatis Deo faceremus, veniā conſequeremur: & ne aberraremus, nobis ſtatim initio gratiā ſuam per baptiſma impertiuit, vt ea aduerſus dæmonum inſidias muniti, recto itinere ad cæleſtem patriam tenderemus. Quapropter prophetam ante ſe miſit, qui nos inſtrueret ad eā gratiam promerendā. Is fuit Ioannes Zachariæ filius, quo maior ſurrexit nemo, vt veritas teſtata eſt, ad quem anno decimoquinto imperij Tiberij Cæſaris, ſicut Lu-

cae



cas perhibet, factum eſt verbum Domini, & venit in omnē regionem finitimam Iordani, prædicans baptiſmum pœnitētiæ in remiſſionem peccatorum, ſicut ſcriptū eſt in libro ſermonum Eſaiæ prophetæ dicētis: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Tunc, vt Matthæus teſtatur, egreſſa eſt ad illum ciuitas Hieroſolymitana, & tota Iudæa, totáque regio vndique finitima Iordani, & baptizabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata ſua. Hoc fuit initium baptiſmi, vel potius gradum faciendi omnibus, quò ſeſe factorum pœnitētes, mox digni eſſent qui ad baptiſma CHRISTI percipiendum accederēt. Quod Cyprian. cōprobat, ita diſſerens: Præparabat viam Domino Ioannes, lauando exterius corpora, vt præcederet exterius lauacrum ſecuturū baptiſma, in quo cōferretur animarum ablutio, & peccatorum remiſſio. Præceſſit quod erat ex parte, vt cōſummatio ſequeretur. Et Chryſoſtomus paria teſtatur, ſcribens: Aptè ergo cùm dixiſſet, quòd venit prædicans baptiſmū pœnitentiæ, adiecit, in remiſſionem peccatorum. Idcirco ſuadebat vt illos pœniteret, quò ſubſequentem veniā facilius impetrarent, credētes in CHRISTVM. Vnde baptiſma illud nullam aliā habuit cauſam, niſi vt inſtitueret ad fidem. hæc ille. Sed ipſe Ioannes illud

ipſum

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



ipſum planum facit, cùm inquit: Ego quidem baptizo vos in aqua ad pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt (de CHRISTO loquitur) fortior me eſt, cuius non ſum dignus vt calceamenta portem, ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igne, & reliqua. Ego verò dixerim, Moſen primitus baptizandi rationem oſtendiſſe, quippe qui baptizauit, ſed in aqua ſolùm, id eſt, in nube & mari: quod, teſte Gregorio Nazianzeno, & baptiſmi Ioannis & CHRISTI exemplar fuiſſe cõſtat, quando iſta omnia à Deo proficiſcebantur. Quòd autem baptizati à Ioanne, rurſus admouerentur ad lauationem, hoc eſt, baptizarentur, illud perſpicuè conſtat teſtimonio Lucæ in apoſtol. Actis, in hunc modum ſcribẽtis: Factũ eſt autem cùm Apollo eſſet Corinthi, vt Paulus peragratis ſuperioribus partibus, veniret Epheſum, & inueniret quoſdam diſcipulos, dixitque ad eos: Num ſpiritum ſanctum accepiſtis, cùm crederetis? At illi dixerunt ad eũ: Imò neque ſitne ſpiritus ſanctus, audiuimus. Et ait illis: Quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: Ioannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Ioannes quidem baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, populo dicẽs, in eum qui venturus eſſet poſt ſe, vt crederent, hoc eſt, in IESVM CHRISTVM. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini IESV. Et





cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit ſpiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant, &c. Hac igitur de cauſa CHRISTVS venit ad Ioãnem, voluitq; ab eo baptizari, vt ſuo baptiſmate illius baptiſmum approbaret, corroboraret, ac demonſtraret neminem eſſe quamuis iuſtum & ſanctum, quin ea foret ſalutari aqua abluendus, cùm ipſe nullius purgationis egens ſic luſtrari voluiſſet. Cuius nempe rei Ioannes optimè gnarus, etſi in materno ſanctus habitus fuerat vtero, prohibebat illum à ſe, aiens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? CHRISTVS autem reſpondens, dixit ei: Sine modò, quaſi diceret, poſtea te ſpiritu baptizabo, quod ſecundum Chryſoſtomum & fecit. Quin & alios baptizaſſe ſatis conſtat teſte euangeliſta Ioanne, capite tertio, vbi ait: Poſt hæc venit IESVS & diſcipuli eius in terram Iudæam, & illic morabatur cum eis, & baptizabat. Atque hoc demum baptiſmatis initium fuit, hæcq; eſt vnda ſalutis, qua perfuſi innocentes efficimur, ſine cuius roris luſtratione, nulli fas in regnum intrare cælorum. Primus autem ex gentibus externis, Cornelius centurio cum ſua familia, Cæſareæ à Petro, veluti proximo capite eſt dictum, baptizatus fuit, qui propterea quòd primus ex gentibus credidit, primúſque gratiam baptiſmi ſu-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſcipere meruit, iure primitiæ gentium dici poteſt, vel Origenis teſtimonio, qui ſuper numeros de eo ſic loquitur: Ex quibus eſſe arbitror etiam Cornelium illum qui Cæſarienſis eccleſiæ, cum iis, cum quibus ſpiritum ſanctum meruit accipere, primitiæ meritò dicitur: & non ſolum huius eccleſiæ, ſed fortaſsis & omnium gentium primitiæ Cornelius appellandus eſt: primus enim credidit ex gentibus, & primus ſancto ſpiritu repletus eſt, & ideo rectè primitiæ gentium appellabitur, hactenus Origen. Quòd autem infantes baptizantur, id inſtitutum vetus eſt, & ab Apoſtolis introductum, vti aſſirmat idem Origenes omnium theologorum multò ſcientiſsimus. is enim in commentariis ſuis in epiſtolam Pauli ad Roma. capite ſexto, de ea re ita diſſerit: corpus peccati eſt corpus noſtrum, quia nec Adam dicitur cognouiſſe Euam vxorem ſuam, & genuiſſe Cain, niſi poſt peccatum. Denique pro illo, qui natus fuerit, ex lege offertur hoſtia, par turturum, aut duo pulli columbini, vnus pro peccato, alter in holocauſtomata. Nunquid nuper editus puer peccare potuit? & tunc habet peccatum, pro quo hoſtia iubetur offerri, à quo mundus negatur eſſe aliquis, etſi vnius diei fuerit vita eius. Vnde David: In peccato concepit me mater mea. Secundum hiſtoriam enim nullum matris eius declaratur peccatum. Pro hoc & ec-

clesia



cleſia ab Apoſtolis traditionem ſuſceperat, vt etiam paruulis baptiſmū daret: ſciebant enim illi, quibus myſteriorum ſecreta commiſſa fuerant diuinorum, eſſe in omnibus ſordes peccati, quæ ab initio per aquam & ſpiritum ablui deberent. Vt verò infantes apud Iudæos octauo ab ortu die circuncidebantur, ſic apud nos vt plurimum baptizantur, quod tamen Angli in ipſo natali die faciāt. Id quod diuus Cyprianus lib. Epiſt. III. ſcribens ad Fidū, multis rationibus eſſe faciēdum probat, & in primis, quòd homo id ætatis longè innocentiſsimus ſit. Porrò non ab re VII. diem præteriſſe expectabant Iudæi, quòd is, Plutarc. in Problem. & Feſto teſtificantibus, maximè periculoſus ſit infantibus ſi vexentur, nec ante eum terminum vmbilicus reſoluatur, ante quem homo propior eſt plantæ quàm animali. Hunc quoque diem Romani Hebræos imitati obſeruabant, vocabántque luſtricum, quo infantes luſtrabantur, hoc eſt, expiabantur, & iis nomina imponebant, maribus quidem nono die, vnde Nundina dea apud eos colebatur: fœminis octauo, quia in maris cōceptione plus eſſet temporis. Baptiſmo inſuper vel confirmationi, de cuius initio pòſt dicetur, ne hæc ſacra forent iteranda, quod per patrum decreta fieri non licebat, Iginius Romanus pontifex ſtatuit, vt vnus, quem compatrem vocant, vti teſtis in-

 tereſſ

tereſſet. Hodie vt plurimum ſi mas baptizetur duo viri cum vna muliere, quæ vulgò commater dicitur, adhibentur, veluti rei geſtæ teſtes: contrà, ſi fœmina, duæ mulieres cum vno viro: qui vel ſuſceptores nuncupantur, quòd infantē de fonte ſacro ſuſcipiant. At in confirmatione vnus duntaxat vir ſeu mulier teſtis admittitur, qui puerum vel puellam brachiis ſuſtētet. Quòd autem baptiſma cum confirmatione (alterum enim ab altero pendet) haud iterādum eſſe patres ſanxerunt, id ab Apoſtolo profectū eſſe exiſtimant, qui illud colligūt tam ex eius epiſtola ad Hebreos, vbi inquit: Nam fieri non poteſt, vt qui ſemel fuerint illuminati, guſtauerintque donum cœleſte, & participes facti fuerint ſpiritus ſancti, ſi prolabantur, denuò renouentur per pœnitētiam: quàm ex alia epiſtola ad Romanos: Nam CHRISTVS quod mortuus fuit peccato mortuus fuit ſemel, &c. Ac ita diſputant: Quemadmodum CHRISTVS ſemel mortuus, & ſemel reſurgens iam non amplius moritur, ita ſemel per pœnitentiam gratia baptiſmatis nobis collata, iterari non poteſt, quia per baptiſmum peccatis priſtinis morimur. Vnde propheta: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Præterea cùm ſeruator, teſte Marco, dixiſſet: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: iamtum vnūquenq; oportebat & credere & baptizari, ſi cupiſſet

ſe ſal



ſe ſaluum fore. Sed vt illud per ſe quiſque poterat præſtare, ita hoc ſine aliena ope fieri non poterat. Quapropter Victor pontificum Roma. ordine XV. decreuit, vt à quocunque virilis vel fœminei ſexus Chriſtiano, & in quauis natiua aqua, baptiſmum petentes baptizarentur, ſi neceſſitas inſtaret: inſtabat autem neceſſitas, cauſa præſertim infantium, quibus cum per ætatem non liceret de ſua fide teſtari, à principio, ſicut tradit Cyprianus, prouiſum fuit, vt per alios credere profiterētur, quò quemadmodum aliena culpa, id eſt, Adam primi parentis delictum eis quoque malo fuit, quòd ſtatim nati originali peccato obligarentur, ſic aliena opera bono eſſet, qui idcirco, velut ait Ambroſius libro de Vocatione gentium ſecundo, ex aliena confeſſione credunt, & baptizantur. Atque hoc pacto cunctorum ſaluti conſultum eſt. Atqui ex Euangelio diſcimus, homines alios aliorum pietate apud Deum iuuari: quod Matth. cap. IX. præclarè demōſtrat ita ſcribens: Et ecce viri adduxerunt illi paralyticum in lecto decumbentem: cúmque vidiſſet IESVS fidem illorum, dixit paralytico, Bono animo eſto fili, remittūtur tibi peccata tua. Atque paralyticus per fidem baiulorum ſaluus factus eſt. Ita perſeuerabat in hunc modum celebre baptiſmatis inſtitutum, cuius triplex eſt genus: fluminis, quo Ioannes primitus baptizauit:

nis: item flaminis, hoc eſt, ſpiritus ſancti, quod CHRISTVS inſtituit: & ſanguinis, quo infantes ab Herode occiſi, ſunt initiati. Cyprianus: Hi nuper cruore lacteo loti, primitias baptiſmi matyrio conſecrarunt, tradentes poſteris formam, vbi neceſſitatis articulus excluſerit moram, non minus ad lauacrũ animæ ſanguinem efficacem, quàm ſanctificatas verbis aquas, maximè cùm nec ſanguis hoc elemento careat, ſed aquarum motu per totum corporis alueũ fluat. Spiritus verò ſanctus & aquis & ſanguini ſuperfertur, qui ſubiectos ſibi fouet & abluit, quo baptizante, idem occiſio quod merſio operatur. hæc Cyprianus. Illud hîc admonuerim, in vſu veterum fuiſſe, vt adulti ferè baptizarentur, induti veſtibus albis. Lactantius:

Cãdidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atq; vetus vitiũ purgat in amne nouo.

Et id fiebat in paſcha, & pentecoſte, niſi neceſſitas vrgeret. Interim autem dum dies ſtatutos expectabant, de myſteriis religionis erudiebantur, ac ob id catechumeni dicebãtur, quod κατηχεῖν Græcè ſit voce erudire, qui ita myſteriis initiati, & poſtea aqua tincti, lac & mel deguſtabant, Teſte Tertull. in libr. de Militis corona, vbi ait: Aquam adituri, & ſubiicit: Dehinc ter mergitamur, inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus.

De ſa

Universidad de Deusto Biblioteca



## De ſacerdotij eiúſque graduum apud Hebræos initiis, ac magno pontificis minoriſque ſacerdotis conſecrationis myſterio, & quibus vterque amiciretur indumentis ſacris, & quãtum temporis daretur leuitis ad miniſtrandum. CAP. V.

REmpublicam Chriſtianã duplex genus hominum habet: vnum, quod prophanorum nomine cenſetur, & in ſoboli procreandæ ac imperio adminiſtrando fas eſt operam dare: alterum ſacerdotum, quod ſacrificiis faciundis, precibus, & religioni denique ritè procurandæ vacat. Apud Hebræos idem fuit inſtitutum: ſiquidem principio duces cum populo, deinde reges Reipub. curam habebãt: ſacerdotes verò ſacra curabant, penes quos, teſte Ioſepho lib. III. Antiq. ſacerdotium cœpit ab Aaron, qui primus vnctus atque conſecratus fuit per Moſen fratrem, dicente illi Domino: Sume Aaron & filios eius, & ſtolas & oleum vnctionis, & vitulũ qui eſt pro peccato, &c. Quare Moſes conuocato populo dixit: Hoc verbum quod mandauit Dominus facere: & applicuit Moſes (ſicut etiã eſt in Exod. cap. XXIX.) Aaron fratrem ſuum, & filios eius, & lauit eos aqua, & veſtiuit eum tunica altera ſumma, altera interiore, & præcinxit zona, & impoſuit ei humerale, & cinxit eum ſecundum formam humeralis, & impoſuit ſuper



eum

Universidad de Deusto
Biblioteca



eum logium, & impoſuit ſuper manifeſtationem & veritatem, & impoſuit mitram ſuper caput eius, & poſuit ſuper mitram, ante faciem eius, laminam auream ſanctificatam, ſanctam, ſicut præceperat Dominus. Hæc fuit ſacerdotii primi conſecratio: & ea quidem nõ ſine myſterio. Moſes enim, id eſt, lex, vt Origeni placet, quam pontifex ignorare non debet, lauit & vnxit Aaron ſummum pontificem, cũ filiis, hoc eſt, puros reddidit coram populo, quia oportet illum & teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt, ſicut Apoſtolus dicit: poſtea veſtiuit eum duplici tunica, altera miniſterij humani, altera intelligẽtiæ ſpiritualis: & præcinxit eum Zona, antequam talarem tunicam imponeret: hãc ſtolam nuncupant. Induit eum humerali, quod eſt humerorum quidam ex circunductione veſtis ornatus: humeri autem operum figuram tenent, ac laboris indicia. Et cinxit eum rurſus ſecundum formam humeralis, vt conſtrictus eſſet in verbo, conſtrictus in facto. Poſt hæc impoſuit logium, quod rationale dicitur, & eſt ſapientiæ indicium, quia ſapientia in ratione conſiſtit, ſuper manifeſtationem & veritatẽ. Dabantur & femoralia tanquam indicium caſtitatis: ſed quia licebat ſacerdotibus filios generare, ideo Origenes vult per femoralia innui, non eſſe prædicandum verbum Dei hypo-





critis, ne illud ſemẽ pereat, quaſi tunc ſit vtendum femoralibus, ne in ſterilem terram ſemina iaciantur. Hæc erant pontificis ornamenta, quorum ordo haud myſterio etiam caret: nam humeralis facta præcedunt, logij ſapientia ſequitur, quia poſt facta quærenda ſapientia: deinde poſt rationale, manifeſtatio, quoniam non antè alios docere, quàm nos inſtruere debemus. Item additur veritas, quia veritas eſt ſumma ſapientia. Poſtremò Moſes ornauit caput Aarõ corona, in quo eſſe debet iuſtitiæ Dei ſedes: propterea accepit cidarim, quod eſt operculum vel ornamentum quoddam capitis, cui ſuperimpoſuit mitram, hoc eſt, indicium ſcientiæ vtriuſque inſtrumenti. Ante faciem, id eſt, à fronte pontificis, laminam auream ſanctam locauit, in qua ſculptum erat vocabulum Dei. Hinc noſtri pontifices indumenta bona ex parte, ſicut mox dicemus, mutuati ſunt. Ita Aaron pontifex ſummus, eſt à Deo creatus: filij verò eius, Nadab, Abiud, Eleazar, & Ithamar, longè minoribus cærimoniis initiati ſunt, quippe quibus neque bina indumenta tradita, neque humerale, neq; rationale, neque capitis ornatus, niſi tantum cidaris; qui propterea loco minorum ſacerdotum ſunt habiti, quales hodie apud nos ſunt qui presbyteri vocantur. Cæterùm libet diſtinctè ex Ioſepho & Hieronymo ad Fabiolam, de his expo-

Universidad de Deusto Biblioteca



nere indumẽtis. Octo enim genera fuere, quo-
rum quatuor communia pontificibus pariter
atque ſacerdotibus erant, feminalia, quæ li-
nea erant, & vſque ad genua & poplites ve-
labant verenda, nos ea vocamus brachas, po-
deris ex lino etiam tunica talaris, quam in-
terulam dicunt: cingulum textum ſubtegmi-
ne trium colorum, cocci, purpuræ, & hyacin-
thini byſſino ſtamine: & tiara ex byſſino con-
fecta rotunda, vt pileus, quaſi ſphæra media
ſit diuiſa, vt pars ponatur in capite affabrè la-
borata: fuit olim Perſarum mulierum capitũ
ornamentum. Põtificum verò reliqua quatuor
propria indumenta erant: tunica talaris tota
hyacinthina, & manicata, in cuius extrema
parte circa pedes, ſeptuagintaduo pendebant
tintinabula, cũ totidem malis punicis, quo pon
tifex in ſancta ſanctorum vocalis incederet,
moriturus ſtatim, ſi hoc non feciſſet. Superhu-
merale, quod Hebraicè Ephot dicitur, ex byſſo
cocco, purpura, hyacinthino, in cuius vtroque
humero erant duo lapides onyches, ſeu ſmarag
di: Ioſephus Sardones vocat. In ſingulis autẽ
inſcripta erãt ſena nomina Patriarcharũ, hoc
eſt, in dextro humero filij maiores natu Iacob,
in ſiniſtro minores, vt pontifex ingrediẽs ſan
cta ſanctorum, nomina populi, pro quo erat
Dominum oraturus, portaret ſecum. Item ra-
tionale, quod erat pannus breuis, auro & qua





tuor, haud alio modo ac ſuperhumerale, con-
textus coloribus, cum duodecim lapidibus, qua
ternò diſtinctis ordine: in primo enim ordine
inſerti erant, ſarda, topazius, ſmaragdus:
in altero carbunculus, ſapphirus, iaſpis: in ter-
tio lyncurion, achates, amethyſtus: in quarto
chryſolithus, onyx, beryllus. Vltimum veſtimẽ-
tum, lamina aurea, cum vitta qua pontifices
tantum vtebantur. Iſti duodecim lapides vi-
dentur ſignificaſſe, vt ait Hieronymus, Apoſto
los duodecim, ſicut illi duo ſuperhumeralis por
tendiſſe Chriſtum & eius populũ, & quatuor
colores retuliſſe quatuor elementa. At qui byſ-
ſinum, quod eſt genus lini ſubtiliſſimũ, terræ
comparari poteſt, quia ex terra gignitur, ſicut
purpura mari, quod ex eius cochleolis tingitur:
item hyacinthus aëri, propter coloris ſimilitu-
dinem: coccus igni & ætheri. Sed ad reliqua
perſequenda iam recurrat oratio. Fuit tamen
ante Aaron, Noë, qui dicitur altare erexiſſe,
& ſuper illud holocauſtum Domino obtuliſ-
ſe: item Melchiſedech, qui primus ſacrificauit:
& Abraham, Iſaac, & Iacob. qui ſecundum
eum itidem fecerunt: ſed illos quadam natu-
rali pietate, non ſacerdotali autoritate rem
diuinam feciſſe conſtat. Alij deinde miniſtri
ab alijs conſtituti ſunt, qui in tabernaculo,
hoc eſt, templo, in miniſtrando hærerent. Le-
uitæ ex tribu Leui filij Iacob, ſtatim poſt da-

tum ſacerdotium Aaron, & eius filijs, iubente Domino, à Moſe eliguntur, qui ſemper adeſſent Aaron ſacrificium facienti, excubarent dies ac noctes in tabernaculo, geſtarent arcam, & tabernaculum, item vaſa, ac in circuitu tabernaculi locum caſtris ſtatuerent. Hos Græca voce Diaconos appellamus: ſiquidem Moſes præcipiente Domino, vti Ioſephus eodem libro teſtatur, tribum Leui à prophanis officijs ſegregans Deo conſecrauit, eique negotium cuſtodiendi tabernaculi dedit. Diaconis adiumento dati ſunt miniſtri, qui illorum dictis audientes eſſent, & oblationes caperent. Ij apud Hebræos Nathinnei appellantur, hoc eſt, dati aut donati, vel in humilitate Domino ſeruientes: nunc Subdiaconi, quòd Diaconis ſubſint, nuncupantur. At Leuitis iſtis adminiſtrandi tempus terminatum erat per legem, quæ, veluti in extremo octauo capite Numerorum eſt, talis fuit: A XXV. annis, & ſupra, Leuitæ ingrediẽtur, vt miniſtrent in tabernaculo fœderis: cùmque quinquageſimum annum compleuerint, ſeruire ceſſabunt, vt poſtea cuſtodiant, quæ ſibi commendata fuerint: tum enim vaſa ac alia tabernaculi inſtrumenta ſeruanda curabant. Item nonnullos alios delegit, qui lucernas ſemper in tabernaculo ardentes curarent. Hos noſtri ceroferarios interpretantur, vel Græcè Acolythos, ſeu potius Acoluthos, qui

res

Universidad de Deusto Biblioteca



res corporis miniſtrant. Poſtea conſtituti ſunt Oſtiarij, qui æditui ſiue ianitores vocantur, vt ex præſcripto legis præeſſent templo cuſtodiendo, ne impurus quiſquam ingrederetur. Item Lectores, quorum ordo à prophetis initium ſumpſit, qui concionarentur, & legerent, quibus dictum erat: Clama, ne ceſſes. Præcentorum, qui Pſalmos canerent, autor Dauid, ſiue Aſaph fuiſſe dicitur, qui poſt Moſen primi Pſalmos compoſuerunt. Erat eorum ordo per ſucceſſionem generis, ſicuti ſacerdotium, qui aſſiduè in templo canebant, ad vocem vnius reſpondente choro. Exorcizatores, id eſt, Adiuratores (ſic enim noſtri interpretantur) aut increpantes, Solomon inſtituit, qui inuocarent ſuper Catechumenos, vel ſuper eos qui ſpiritibus malis vexabantur, nomen Domini, ita dæmones ſubigentes, vt ab eis egrederentur: ſicuti ex Ioſepho alibi demonſtrauimus, ipſum Solomonem effugandorum dæmonum inueniſſe modum. Hæc ſuo ordine, quo apud Hebræos inſtituta ſunt, expoſuimus, vt initium cuiuſque rei, quod noſtri in primis propoſiti eſt, perappoſitè proderetur. Quæ omnia cùm vmbræ duntaxat futurorum fuerint, iam quæ inde conſecuta ſint, explicemus.

A quo noſter primùm inſtitutus fuerit ſacerdotalis ordo, & duplex eſſe ſacerdotium, & quid ſit ſacerdotis manuum impo-

ſitio

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſitio, ac quis epiſcopus pontifexve, atque quale huius munus, & quondam presbyterum vel diaconum dictum epiſcopum.

## CAPVT VI.

IESVS Chriſtus præceptor noſter poſtremò autore Euſebio in Eccleſiaſtica hiſtor. & rex & pontifex fuit, & vtrunque ex teſtimonio prophetarum probat: cùm enim de IESV meminit, qui Moſi ſucceſſerat, inquit: Sed & idem Moſes longè per Dei ſpiritum prævidens qui ſibi præpararetur ſucceſſor, & prænoſcens eum qui poſt ſe regnum ſuſciperet, maioris ſacramenti miniſtrum eſſe futurum, IESVM cognominauit eum, qui prius Auſe parentum fuerat appellatione vocitatus, ſciens in huius vocabuli ſacramento, maioris cuiuſdam gloriæ regem, quàm mortalis natura recipit, eſſe ponendum. Ita igitur per gemina hæc appellationis indicia, in altero pontificatus, in altero regalis formæ exprimuntur inſignia, & IESVS Chriſtus tanquam qui rex & pontifex eſſet, pariter nominatur. Et paulo pòſt infert: Dauid quoque de CHRISTO teſtatur, dicens: Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. In quibus verbis primùm quidem eum Deum deſignat, deinde per æquitatis virgam, ſceptrum



ptrum in eo regale commemorat. hactenus Euſebius. Hic illud appoſitè admonendum duxi non rectè in Euſebiano codice ſcribi, teſte diuo Hieronymo, qui ſtatim in principio libri primi commentariorum in Oſee prophetam, inquit: Oſee enim lingua noſtra ſeruatorem ſonat, quod nomen habuit etiam Ioſue filius Nun, antequam ei à Deo vocabulum mutaretur: non enim (vt malè in Græcis codicibus legitur & latinis) Auſe dictus eſt, quo nihil omnino intelligitur, ſed Oſee, id eſt, ſeruator, & additum eius nomini Domini, vt ſeruator Domini diceretur. hæc Hieronymus. Sed domum redeamus. Igitur pontifex noſter primus fuit, qui nobis ſacerdotium inſtituit, idque duplex eſſe voluit, alterum ſpirituale, alterum miniſterij plenum. Sed de hoc poſtea. Spirituale dedit cùm ſe pro nobis obtulit, dicente apoſtolo Petro: CHRISTVS ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem ſpiritu. Et ſacerdotium iſtud omnibus iuxta Chriſtianis commune eſt, ea de cauſa inſtitutum, vt Chriſtum imitaremur, teſte Apoſtolo ad Romanos ſcribente: Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, placentem Deo, rationabile obſequium veſtrum. Idem noſter ſeruator alterū ſacerdotium miniſter

Universidad de Deusto Biblioteca



*niſterij inſtituit, cùm dogmata legis ſecutus quam non ſoluendi, ſed conſummandi cauſa venerat, vt poſtquam cœlum aſcendiſſent, qui in terris ſacerdotium verum gererent, XII. elegit pontifices, quos nouo vocabulo Apoſtolos nominauit, vt qui mittendi eſſent in diuerſas orbis partes, qui nouum dogma, hoc eſt, Euangelium, cui etiam vocabulum innouarat, mortales docerent. Item ſeptuaginta diſcipulos, quos etiam ad concionandi munus delegerat, ſacerdotes fecit, qui vice filiorum Aaron, ſicut Origeni probatur, apud nos minores haberentur ſacerdotes, quales nunc Græcè preſbyteri vocantur, hoc eſt Latinè, ſeniores, quòd canicies quæ homini prudentiã aſſerre ſolet, digna ſit honore & munere. Ab his igitur presbyterorum, ſicut ab illis epiſcoporum, cœpit ordo, quippe qui in eorum locum ſucceſſere: quod vel Cypriani teſtimonio conſtat, dicentis: Meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam apoſtolos, id eſt, epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit. Et poſt eum, idem Hieronym teſtatur in Epiſt. ad Marcellam, aduerſus Montanum ita ſcribens: Apud nos apoſtolorum locum epiſcopi tenent. Hos autem Apoſtolos ac diſcipulos myſteriorum Dei miniſtros, non alijs conſtat initiatos ſacris, niſi ſola CHRISTI electione, ſeu vocatione: quod ipſis deinde Apoſtolis, & poſtremò Ro-*





*manis pontificibus, ſicut infrà explicabitur, exemplo fuit eligendorum ſacerdotum: ſed vt hæc multis cærimonijs aliòque longè ritu, ita illi ſimpliciter, prout à Chriſto docti erãt, illud inſtitutũ ſeruarũt. Ad hũc quoq; modum Matthias factus eſt Apoſtolus: ſic ipſi Apoſtoli ſeptem ſibi diaconos inſtituerunt, dicẽte Luca in Actis: Et elegerũt Stephanũ virum plenum fide ac ſpiritu ſancto, & Philippum, & Prochorũ, & Nicanorẽ, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum proſelytum Antiochenum. Hoc ſtatuerunt in conſpectu Apoſtolorum, & cùm oraſſent, impoſuerunt eis manus. Sic Titus in Creta ad præſcriptum Pauli presbyteros conſtituit. Sed Beda rem multò luculentiſſimè docet: Erant, inquit, baptizati Apoſtoli, at non erant ſacerdotes, niſi cùm Chriſtus in cœna fecit illos ſacerdotes, dans eis poteſtatem conſecrandi corpus ipſius verum, & poſt reſurrectionem, abſoluendi. Cæterùm cùm Apoſtolus epiſtola priore ad Timoth. cap. 5. ſic præceperit, Manus citò nemini imponas: aliquis poſſet conijcere eum cuiuſpiam myſterij ſacerdotes initiandi formulam dediſſe. Id quod Chryſoſt. homilia in eam epiſtolam XVI. affirmare videtur, ita ſcribens: Vbi verò hæc dixit, illud intulit, quod omnium maximè periculoſum eſt, & in primis eccleſiam continet, de ordinationibus ſcilicet. Quid ſibi*

Universidad de Deusto Biblioteca



vult? non ex prima ſtatim probatione, ſed vbi conſideratio diuturna præceſſit, tunc impoſito manus. Et Ambroſius hunc quoque locum ita interpretatur: Gratiam dari ordinatoris ſignificat, per prophetiam, & manuum impoſitionem. Prophetia eſt, qua eligitur quaſi doctor futurus idoneus. Manuum verò impoſitiones, verba ſunt myſtica, quibus confirmatur ad opus electus, accipiens autoritatem, teſte conſcientia ſua, vt audeat vice domini ſacrificium Deo offerre. Sed ipſe Paulus epiſtola ſecunda ad eundem Timotheum, quid eſſet manuum impoſitio, apertè declarare viſus eſt, cùm ſcripſerit: Quam ob cauſam commonefacio te, vt ſuſcites donum Dei, quod in te eſt, per impoſitionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus ſpiritum timiditatis, ſed potentiæ, ac dilectionis, & ſobrietatis. Quæ omnia Chryſoſto. ita explanat: Admoneo te vt excites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum: hoc eſt, gratiã ſpiritus, quam accepiſti ad eccleſiæ inſtitutionem, ad edenda miracula, ad omne religionis obſequium: quippe hanc vel extinguere, vel excitare in nobis eſt. hactenus ille. Ac ita per impoſitionem manuum, videtur dari ſacerdoti electo ſpiritus ſanctus, quemadmodum teſte Luca in Actis, cùm de Samaritanis loquitur, recens

quoq;



quoque baptizati afflantur eodem ſpiritu, quo CHRISTVS ſuos apoſtolos in primis ornauit, illuſtrauit, muniuit, dicens: Accipite ſpiritum ſanctum, quorũcunque remiſeritis, & reliqua. Fuit enim ille ſolennis ipſius ſeruatoris modus benedicendi manu pariter atque voce, teſte Hierony. in Matthæum, cùm apud eum oblati fuerint pueri, vt manus imponeret, & oraret, hoc eſt, benediceret. At reuertamur eòdem. Atque hinc olim factum videtur, vt in cõſecrando epiſcopo, nihil amplius cærimoniarum eſſet, niſi vt multitudo, quæ eius quoque rei gratia, autore Cypriano non vno in loco, & præſertim in epiſtola IIII. ad Felicem presbyterum, ſemper epiſcoporum electioni intererat, precaretur, & presbyteri manus imponerent. Et hæc dicere habui de prima ſacerdotum conſecratione ab apoſtolis & patribus vſurpata. At poſt CHRISTVM, Petrus in ſacerdotio prærogatiuam habuiſſe dicitur, quòd primus apoſtolorum ordine, & eius ſacroſancti collegij caput fuiſſet. Quapropter diuus Cyprianus epiſto. III. ad Cornelium, cathedram Petri principalem vocat: nam, ne quis erret, nulla alia ratione ſacerdotalis ordo à Romano epiſcopo profectus eſſe dici poteſt, niſi apud Italos duntaxat id factum intelligatur, cùm perdiu ante aduentum Petri in vrbem Romam, apud Hieroſolymos ſacerdotiũ ritè inſtitutum fuiſ-

 ſe

Universidad de Deusto Biblioteca

ſe liquidò liqueat: quanquam Chriſoſt. homilia vltima in Ioannem, arbitratur Iacobum primum Hieroſolymitanum epiſcopum à Petro factum fuiſſe: id quod tamē alij non Petro ſolum, ſed Ioanni quoq;, ac alteri Iacobo aſſignant. Imò nemo eorum illud fecit officium, ſi ipſi diuo Petro credimus, qui apud diuum Clementem, libro Recognitionū primo, de ea ipſa re ita teſtatur: Septimana iam vna ex paſſione Domini complebatur annorum, & eccleſia in Hieruſalē conſtituta, copioſiſſimè multiplicata creſcebat per Iacobum, qui à Domino ordinatus eſt epiſcopus, rectiſſimis diſpenſationibus gubernata, &c. Igitur ita Petrus apoſtolorum princeps fuit, ita Romani pōtifices iam inde ab initio magnæ habiti ſunt autoritatis. Item apud eoſdē Hieroſolymos epiſcopalis cathedra locata ab initio eſt, & vtrunque atteſtatur Euſebius libro Eccleſiaſticæ hiſtor. VII. ita ſcribens: Denique Iacobi cathedra vſque ad hodiernum diem inibi (de Hieroſolymis loquitur) ſeruatur, atque in ea ſedent omnes qui vſque ad præſens tempus ſedis illius ſacerdotiū ſortiuntur, & cum magna veneratione habetur, vel vetuſtatis vel primi ſacerdotij ſanctificationis obtentu, hæc Euſebius: Illud idem poſtea à diuo Petro Romæ factum eſſe teſtimonio eſt cathedralis celebritas eius diei, qui nūc vbique gētium ſolennis eſt. Veruntamen exi-

ſtunt



ſtunt etiam nunc, qui contendant Petrum in omnes apoſtolos ius habuiſſe: de qua re noſtrum non eſt quicquam decernere, qui ſacerdotij originem tantū quærimus: tametſi contrà nonnulli aliter cenſent, quia id videtur Paulus ad Corinthios, epiſtola ſecunda, capite X. negare, ſcribens: Nā ſi & amplius quippiam gloriatus fuero, de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus, non erubeſcam. Non enim dicit, quam dedit Petrus, ſed Dominus. Et ſubijcit: Quam nobis poteſtatem dedit Dominus in ædificationem, & nō in deſtructionem veſtri. Ponit Paulus ædificare, vt alibi ſæpe facit, pro prodeſſe, quò demonſtret officium ſacerdotis eſſe, æquè omnes iuuare, ſi velit poteſtate ſibi data vti. Epiſcopus verò Græca vox eſt, & plus oneris quàm honoris ſignificat: Latinè dici poteſt ſpeculator: & propriè, vt Martianus ſcribit, ij dicuntur epiſcopi, qui præſunt pani, ac cæteris venalibus rebus, quæ populis ciuitatum ob quotidianum victum neceſſariæ ſunt. Vnde pontificibus id nomen inditum par eſt credere: quia quemadmodum illi quæ ad vitā humanam ſuſtentandam pertinent, procurare debēt, ita horū vigilando, docendo, bene agendo, animarum ſaluti conſulere intereſt: id quod vel Clementis primi pontificis declarat præſcriptum, qui decreuiſſe fertur, vt epiſcopalis cathedra in emi-

 nentiore

nentiore templi loco collocaretur, ſicut hodie ſeruatur, vnde epiſcopus vndique ſpeculari poſſet. Ex quo quandiu epiſcopus ſuũ eiuſmodi facit officium, nõ imperare, nõ regnare, ſed tam aptè quàm eleganter dicitur ſedere: quo porrò loquendi modo nos quoque ſcribendo vtamur licet. Hinc certè apparet, vt nihil potius eſſe debeat curæ epiſcopo, quàm incolumitas gregis ſibi crediti: quo fit, vt in ciuitate hoc ſit epiſcopus, quod in naui gubernator, in curru rector, in exercitu dux, vtpote cuius, ſicut ait Cyprianus, quantũ pernicioſum eſt ad ſequentium lapſum ruina, tãtum contrà vtile eſt & ſalutare, cum ſe per firmamentum religionis fratribus præbet imitandum. Væ igitur epiſcopis, ſi qui ſint muneris huius obliti: quia, vt dicitur, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo. Cæterùm olim epiſcopi vocabantur preſbyteri, teſte non vno in loco Diuo Hieronymo, & præſertim in epiſtola ad Euagrium, vbi docet, qua de cauſa epiſcopi poſthac eſſe cœperint, ita ſcribens: Quod autem poſtea vnus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne vnuſquiſque ad ſe trahens CHRISTI eccleſiam rumperet. nã & Alexandriæ à Marco vſque ad Dionyſium, preſbyteri ſemper vnum ex ſe electum epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut





Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium nouerint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, epiſcopus, quod preſbyter nõ faciat? &c. Quid, quod & Chryſoſtomus homilia II. in epiſtol. ad Philippenſes, demonſtrat epiſcopum dictum etiam eſſe diaconum, hoc eſt, miniſtrum. De epiſcopi nomine & officio ſatis dictum habeo. Idem verò pontifex vocatur, à poſſe & facio, vt Scæuolæ affirmat: vt autem Varroni placet, à ponte: nam pons in Tyberi nomine ſublicius, primum à pontificibus factus eſt, poſtea ſæpe reſtitutus, quòd ligneus eſſet, necnon cæterorũ pontium ſarciendorum cura eis data eſt.

## De primo ritu ſacrorum, quibus initiantur ij, qui ſacerdotes fiunt, & amiciendi vſu, ac ibidem de ſacerdotis officij initio.

### CAPVT VII.

ROmani pontifices Hebræorum ſecuti inſtitutum, primi omnium ſacris quibuſdã initiare cœperunt oſtiarios, ſiue ianitores, lectores, exorcizatores, acoluthos, ſubdiaconos, diaconos, hoc eſt, Leuitas, quos numero ſeptem ipſi apoſtoli delegerant, preſbyteros, & epiſcopos, quò ſic per gradus ad ſacerdotium vnuſquiſque promoueretur. Quos quidem ordines Caius Romanus pontifex, qui ex Diocletiani Imperatoris genere ortus erat, pri

Univerſidad de Deuſto Biblioteca



mus diſtinxit, quibus tanquam quibuſdam
gradibus ad epiſcopatum aſcenderetur. Non
nemo id Iginio pontifici qui diu ante Caium
ſedit, aſsignat, cum quo me conſentire minus
pœnitet: nam ſic fieri potuit, vt quod Iginius
inchoauerat, Caius ritè perfecerit. Atque tum
primùm cœperunt apud nos ſacerdotes nouis
atque ſacris initiari ordinibus, quod vel col-
ligere licet ex Tertulliano autore longè anti-
quiſsimo, qui libro de exhortatione caſtitatis,
eam rem planam facit, ſcribẽs: Nónne & laici
ſacerdotes ſumus? ſcriptum eſt, Laici ſacerdo-
tes ſumus, regnum quoque nos, & ſacerdotes
Deo & patri ſuo fecit. Differentiam inter or-
dinem & plebem, cõſtituit eccleſiæ autoritas.
hactenus Tertullianus. Illud idẽ conſtat, alio
apud nos, ac apud Hebræos modo, iſtos ordi-
nes diſtribui: illi enim in eo ordine perpetuò
erãt, in quem à principio recepti fuiſſent: no-
ſtri autem gradatim per omnes ordines ad ſa
cerdotium veniunt. Fuit iam inde ab initio
ſacerdoti in primis negotium à CHRISTO
datum, vt doceret, baptizaret, conſecraret eu-
chariſtiam, miniſtraret aliis, ligaret, ſolueret:
quod fit cùm ſacerdos vt cuſtos & rector ſcit,
qui apud Deum aut ligandus aut abſoluen-
dus ſit. Item iudicaret de dogmatibus, oraret
pro aliis, ac ſacrificium laudis, de quo alibi
tractabimus, pro ſalute populi offerret: & hæc





ex euangeliis, atque apoſtolorum teſtimoniis
cognoſcamus licet. Videant igitur qui ſacer-
dotes faciunt, quo ſe crimine obligent, ſi ſint
ſacerdotes ad ea obeunda munia minus ido-
nei. Sunt autem infiniti, qui tantũ celebrandis
Miſsis, quas dicunt, operam dant, & eius rei
cauſa ſacerdotes ſunt, perinde quaſi in ea o-
mne cõſiſtat officium. Veſtes vero ſacras qui-
bus noſtri amiciuntur ſacerdotes, ab Hebræis,
vti ſuperiore capite dictum eſt, habent: cuius
nempe rei argumentum eſt, quod noſtri tum
pontifices, tum ſacerdotes, partim eadem in-
duunt veſtimenta, vt puta Zonam, ſeu cingu-
lum, tunicam talarẽ, quam vocamus albã, tu-
nicam hyacinthinam, ac mitram, partim non
longè forma aut colore differentia, cuiuſmodi
ſunt amictus capitis tegmen, qui loco cidaris
vſurpatur, planeta, ſiue caſula, quam vocant,
fabrefacta inſtar rationalis, hoc eſt, logii, pal-
lium haud diſsimile ſuperhumerali, & caligæ
vice feminalium. Vnde denique liquidò ap-
paret, pleraque omnia ab ipſis Hebræis vno
vel altero modo ſacerdotes noſtros eſſe mu-
tuatos, ſicut illos ab Aegyptiis principio ſum-
pſiſſe veriſimile eſt. Porro Aegyptii ſacerdo-
tes ex Pythagoræ præcepto, linteo tantũ ve-
ſtimento, vt puriſsimo mundiſsimóque in re-
bus diuinis vtebantur: laneum verò vt pro-
phanum vituperabant, quia ab animato de-

cerpitur, conficitúrque ex mortali materia.
Contrà linea ideo pura videbantur, & ſacri-
ficantibus accommodata, quoniã linum ex ter-
ra oritur: quæcunque autẽ ex terra naſcuntur,
munda & pura exiſtimarunt. Hæc & id ge-
nus alia Herodotus libro ſecundo tradit, &
apud Philoſtratum memorat Tyanæus Apol-
lonius. Atqui pari etiã ratione Hebræi Aegy-
ptiorum inſtitutũ imitati eſſe videntur. Io-
ſephus enim libro VI. Iudaici belli, ſcribit ſa-
cerdotes ad altare templũmque accedere ſoli-
tos omni vitio carentes, veſte byſſina, id eſt,
linea amictos. Et Hieronymus in libro de ve-
ſte ſacerdotali ad Fabiolam, dicit tunicam po-
derim, hoc eſt, talarem, ſuperhumerale, quod
& orarium dicitur, fœminalia, cingulum, &
tiaram, lintea eſſe indumenta. Adde & quod
ſcriptum legimus in Ezechiele, cuius verba
ſubijciam, quæ ſunt huiuſmodi: Cùm ingre-
dientur portas atrij interioris, veſtibus lineis
induentur, nec aſcendet ſuper eos quidquam
laneum, quando miniſtrant in portis atrij in-
terioris intrinſecus. Vittæ lineæ erunt in ca-
pitibus eorũ, & fœminalia linea erunt in lum-
bis eorum, &c. Sic noſtri ſacerdotes linteis ve-
ſtimentis amicti, templũ & altare adeunt, in
ſacrorúmque pompa incedunt, ritu dubio pro-
cul ab Aegyptijs per manus Hebræorũ vſque
ad nos tranſlato: & id credo, quia, teſte Cicer.
de

Universidad de Deusto Biblioteca



de Legibus, color albus præcipuè decorus Deo
eſt habitus. Verùm quia ſplendidus cultus
facit autoritatem, placuit propterea patribus
& bombycinas introducere veſtes, vt qui ar-
bitrati ſunt, opinor, nequaquam id luxuriæ
vitio dari poſſe, quod ad diuini cultus ma-
gnificentiam adhiberetur. Inſignia pontifica-
tus ab ipſis etiam Hebræis omnia ferè acce-
pta, id eſt, linea veſtis ſumma, quæ niueo can-
dore inſignis vitam vndique purã admonet,
velut mitra bicornis noui pariter ac veteris
inſtrumenti ſcientiã. Adduntur bina cornua,
quoniam Moſes acceptis tabulis, quibus man-
data Dei inſcripta erãt, viſus eſt ſuis cornu-
tus. Aureum diadema gemmis diſtinctũ, Con-
ſtantinus Imperator primus Sylueſtro ponti-
fici Romano obtulit, quod ille non recepit, ve-
luti parum religionis idoneum, Phrygia mitra
candida contentus: ſed pontificum poſteritas
donum deinde principis haud aſpernata eſt.
Baculus inſtar Moſis, ſeu Aaron virgæ datus,
populi vitia caſtigandi poteſtatem attribuit.
Annulus, CHRISTI & eccleſiæ copulatio-
nis, vt pignus habetur: ſicuti chirothecæ pu-
rum manuum ab omni humanarum rerũ con-
tagione officium, diuinarúmque adminiſtra-
tionem, & pedum tegumẽta crediti gregis vi-
gilantiſſimam curã indicant. Atque hæc ferè
omnia ex decreto Clementis accepta ferunt,
quæ

Universidad de Deusto Biblioteca

*quæ vndecunq; manarint, magis omnino Hebraica quàm apoſtolica inſtituta referunt. Quædam quoque alia ſunt ad vſum ſacerdotum, myſticè ab inſequẽtibus quæſita, de quorum initijs nihil omnino certi habeo tradere.*

Vnde mos natus, cur omnes initiati verticem deradant, ac quàm illud facere olim probroſum fuerit, & ibi de Nazaræorum ſecta, & quando lege exceptum ſit, quibus initiari non liceret, præſertim per bigamiã, & quomodo liceret, ac vnde ipſa bigamia introducta ſit. CAP. VIII.

*COmmune initiatis omnibus inſigne eſt vertex raſus, præcipuum ſacri prophanique capitis diſcrimen, qui admonet ſacerdotes, ſpretis omnibus humanis voluptatibus, oportere cœleſtia tãtùm meditari. Hoc autore Beda in eccleſiaſtica hiſtoria Anglorũ, ideo per patres in cõſuetudinem venit, legéque ſancitum, vt quod à principio ab inimicis probro & ignominiæ eſt datum, hoc honori deinceps decorique haberetur. Siquidem cùm Petrus, prout idem prodidit, Antiochiæ cõcionaretur, fuit illi ab improbis ſummum capitis abraſum, vt ludibrio cunctis impendiò magis foret. Fuiſſe autem radere caput probroſum, hoc arguit, quòd cùm Dauid miſiſſet nonnullos ex ſuis ad Hanon regem filiorum Ammon, qui eum patris mortem grauiter mœrentem ſuo*

*nomine*



*nomine conſolarentur, ille ſuſpicatus eos veniſſe ad explorandum terræ ſitum, rerúmque ſtatum, raſit illis capita, præciditque tunicas vſque ad nates, atque ita ignominia notatos domum dimiſit. Vnde graue mox ortũ eſt inter reges bellum. Extat hiſtoria lib. Paralipo. priore, cap. XIX. Item apud Romanos conſuetudinis fuit, captiuitate liberatos currum triumphantis ſequi, raſo capite, & pileatos, etſi illud nota erat adeptæ libertatis. Sed apud Longebardos id in rebus longè poſt homines natos fœdiſſimis habitum: ſic enim Archipertus inuaſo per vim regno, Rhotarim ducẽ, qui Liuthperto regio puero fauebat, captum totondit. Ego dixerim à Nazareis, quorum ſecta apud Iudæos celebris erat, initium huius rei ortum, quòd illi prius ſeruato pilo, denuò poſt magnam vitæ continentiã, caput abraderẽt, capillóſque in ſacrificij ignem inijcerent, vt eo modo ſuæ pietatis perfectionem Domino conſecrarent. Meminit & Ioſephus de huiuſmodi more dedicandi capillos, quem Nazarei obſeruabant, lib. IIII. Antiquitat. ſcribẽs: Si quis eorum nouerit, quos Nazaræos appellant, comam nutrire, & vino non vti, iſti dum capillos ſuos dedicant, propter ſacrificia, venientes ad ſacerdotes corban offerunt, quod ſignificat munus. Erant Nazaræi, teſte Origene ſuper Numeros, qui ſemetipſos deuouebant Deo,*

*de*

Universidad de Deusto
Biblioteca



de quibus lex per Moſen data fuit, vt in libro
Numeris extat. Sacerdotes verò Dominus per
Moſen, vt in Leuitico patet, capite & barba
raſa eſſe vetuit: & apud Ezechielem præcepit
illud idem, dicens: Sacerdotes caput ſuum non
radant, neque comam nutriãt: ſed tondeant.
Cæterùm Herodotus in Euterpe, & Plin. ſcri-
bunt, ſacerdotes Aegyptios conſueuiſſe deraſis
capitibus mœrere, & in luctu eſſe ex morte
Apis, qui in Aegypto numinis vice colebatur,
ac demum totũ corpus eradere, vt ne quid eis
inter deorum cultum, aut pediculi aliarúmve
ſordium crearetur. Meminit & Apuleius libro
Aſini ſui aurei in 11. de huiuſmodi ſacerdo-
tibus deraſis. Hinc igitur, opinor, fluxit ritus
Nazaræorum, & ab iis noſtrorum ſacerdotũ,
qui iubentur caput radere, & comam nutrire
prohibentur. Hieronymus verò, quod & in
decretis canonicis ſcriptum leges, raſum ca-
put & coronam quam appellant, ſignificare
autumat diuitiarũ omnium derelictionem: at
capillos qui remanẽt, aliqua ſacerdotibus eſſe
retinenda ad ſuſtentationem. His autem pera-
bellis interpretationibus bene multi ſacerdo-
tes gaudent, ritúſque ſeruãdi cauſa, latè ver-
ticem radunt, ſed ex magnis opibus, quas ha-
bent, nihil impertire, nihil deponere, nihil re-
linquere volunt. Et hæc eſt cærimoniarum
ſumma. Paulus apoſtolus in Cenchreis, Cen-
chreæ



chreæ enim portus eſt Corinthiorum, nutriuit
& totondit comam, raſit caluitium, exercuit
nudipedalia, autor idem Hieronymus aduer-
ſus Iouinianum libro 1. Quæ verò qualiáve
eſſent nudipedalia ſacra, dicetur lib. VI. cap.
XI. cùm de vouendi vſu agetur. Barbam itie-
dem aut comam ne præſul, néve reliqui ſacris
initiati nutrirent, ex Moſis præſcripto, ſecun-
dum Apoſtoli præceptum, primus vetuit Ana-
cletus quintus à Petro pontifex Romanus.
Fuit & eiuſdem decretum, vt epiſcopus à tri-
bus initiaretur epiſcopis, ſacerdos verò ab
vno tantum, cui ſubeſſet: autor Gratianus. At
Romanus epiſcopus à tribus quoque ſed cer-
tis epiſcopis apud Lateranum conſecratur,
hoc eſt, Oſtienſi, Portuenſi & Veliterno. Sic
Ioannes quintus primus conſecrari voluit:
quem ritum poſtea ſucceſſores ſeruarũt. Quin
iam tum mos inoleuit, vt pontifici renuntia-
to ipſe Oſtienſis præſul inter ſacra coronam
imponeret, cùm ſatis conſtet antea Pontifi-
cem vel Imperatoris Conſtantinopolitani, ſi-
cut infrà dicetur, autoritate electum, conſue-
uiſſe duci ad cathedram diui Petri, & poſt-
quam in ea ſediſſet, tum vt ritè factum pon-
tificem haberi aliis cunctis cærimoniis negle-
ctis. Digamus verò ne ad officium ſacerdo-
tii admitteretur, Syricius decreuit, ac ſi iam
admiſſus eſſet, vt ab eo pelleretur, quòd Apo-
ſtolus

Universidad de Deusto Biblioteca

ſtolus illud antea prohibuiſſet, qui ad Timotheum ſcribens, voluit epiſcopum vnius vxoris eſſe virum. Sicut ne debiles membris aut manci in ſacerdotum numerum reciperentur, Anaſtaſius primus conſtituit: & vtrunque ex Moſis legibus eſſe dixerim, qui vt mancos procul à ſacerdotio eſſe voluit, ſic ea ratione iuſſiſſe videtur, vt pontifex virginē tantum duceret vxorem, quò ab eo digamiā excluderet, quæ iam inde ab initio apud Priſcos quoque impedimento eſſe conſueuit ſacerdotium petere volentibus: quod teſtatur Seruius, enarrans illud quarti Aeneidos:

Huic vni forſan potui ſuccumbere culpæ, vbi ait, Culpæ, propter antiquum ritum, quo repellebantur a ſacerdotio bis nuptæ. Præterea ne quiſquam minor XXX. annis preſbyter fieret, Bonifacius primus cenſuit: quia, credo, ea fuit apud Hebræos, teſte Hieronymo in proœmio in Ezechielem, ætas ſacerdotalis miniſterij. Illud deinde decretum Lateranenſis concilij autoritate, ad epiſcopos eligendos translatum conſtat, éſtque ſtatutum, vt XXV. annos natus duntaxat preſbyter creari poſſet, atque hoc ad imitationem, opinor, Leuitarum, qui, vti in Numeris extat, & ſuprà capite V. oſtendimus, non antè incipiebant famulari in tabernaculo, quam totidem nati eſſent annos. Et illa epiſcopis, hæc

preſ



preſbyteris legitima ætas, quò vtrique iam conſilio boni, ſacros canones rectè prius noſſent, quemadmodum Cœleſtinus primus inſerat, quàm alios regere, vel docere inciperent, autor Gratianus.

Qui primi in vrbe Roma & alibi preſbyteris parochias, ac epiſcopis diœceſes diuiſerint, & de Cardinalium ordinis origine.

CAPVT IX.

Sacerdotio ritè inſtituto, viſum eſt patribus in primis conducibile, vt munera diuiderentur, quò pro ſe quiſque ſuum & officium noſceret, & impigrè faceret. Itaque ſummum rerum, id eſt, animarum curandarum negotium preſbyteris datur: & id præcipuè Romæ, vbi apoſtolica ſedes iam locata erat, inſtitutum cœpit. Et ne ea adminiſtratio in promiſcuo eſſet, Euariſtus pontifex primus omnium titulos ipſis preſbyteris diuiſit, ſeptémque diaconos inſtituit, qui veritatis gratia concionatorem obſeruarent, imitatus apoſtolos, qui, vt ſuprà oſtendi, totidem ſibi diaconos adminiſtros creauiſſent. Secundo deinde loco, circiter annū ſalutis CCLXVII. Dionyſius tam preſbyteris vrbis Romæ, quàm aliarum gentium templa, cœmeteria, & parochias quas dicunt, diuiſit: præterea epiſcopis diœceſes diſtribuit, mandauitque vt vnuſquiſque ſuis finibus ac limitibus contentus eſ-

bb ſet.

Universidad de Deusto Biblioteca

ſet. Parochias, vt hoc demonſtremus, noſtri appellant ſingula templa diœceſis, & eorum territorium certis terminis diſtinctum, quod qui terunt, hoc eſt, incolunt, parochiani dicuntur, à parochis puto dictas: erant enim Parochi magiſtratus apud Romanos, qui publicis legatis ligna & ſalem præbenda curabant. Horatius libro primo Sermonum: Et parochi quæ debent ligna, ſalémque. Et quia ſine igne & ſale, apud Hebræos, vti infrà dicetur: nullum ſiebat ſacrificium, & vt parochi legatis vſui neceſſaria prouidebant: ita ſacerdotes templorum præfecti ſuppeditant ſuis parochianis, quæ ad ſalutem animarum pertinent, non abre parochias vocamus. Ad propoſitum redeo. Nec ita multò poſt Marcellus titulos vrbis ab Euariſto primum presbyteris datos numero limitauit, decreto ſtatuens quinque & viginti, ac quaſi diœceſes eſſe, ad baptizandum eos qui ex gentibus in Chriſtianorum cœtum quotidie venirent, & ſepeliendum mortuos. Hæc ex Bibliothecario, Damaſo, Platina, ac aliis vel recentioribus ſacræ hiſtoriæ ſcriptoribus, quos miror neque hoc, neque alio, quod ſciam, loco non explicuiſſe, qui eſſent ij presbyteri, quibus titulos in vrbe datos tradunt, vnde haud dubiè prima cardinaliũ origo eſt: ſed veluti par eſt coniectare, illi rem, vt ab initio parum claram,

ſilentio



ſilentio prætereundam fortè duxerunt, quam Iuriſperiti quidam poſthac inueſtigare tentarunt. Verùm & illi cùm nihil certi haberent quod proderent, more eorum, qui cum obſcuri ſint, inani nobilitatis nomine ſibi blandientes, alius ad Achillem, alius ad Aeneam, alius ad Nummam Pompilium ſuum genus referunt, magnopere conati ſunt oſtendere cardinalium cœtum ab Hebræis profectum, & ante omnes id auſus eſt Siculus Andreas, cognomento Barbatius, qui vt à Beſſarione antiſtite ſeculi noſtri, verè vltra alios & animi & corporis dotibus cardinale, gratiam iniret, de ea re commentariolum primus edidit. Sed ne hominem ſæpius citando defatigemus, ipſe ſuum iam incipiat narrare commentum. Occurrit, inquit, illud quod in 1. Regum libro, capit. 2. pulcherrimè ſcriptũ eſt: Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbẽ. Quam autoritatem Hoſtienſis doctor excelſus figurauit ad cardinales: ſicut enim oſtium regitur cardine, ita & eccleſia Romana regitur conſilio cardinalium, hæc ille. Vide, non ſecus iſti iuriſconſulti aliquoties detorquent ſacras literas quò volunt, ac ſutores ſordidas ſolent dentibus extendere pelles. Si fuit id oraculum, vt quandoque illi qui cardinales appellarentur, regerent apud Romanos chriſtianũ rempublicam, etſi reor nunquam tale quid ſomniatum



eſſe

eſſe ab Anna, quæ inibi loquitur, cur non potius illud referendum eſt ad epiſcopos & presbyteros, qui perdiu antea cardinales, id eſt, præcipui ſiue primarij, & nuncupati ſunt, & res religionis geſſerunt? quod ipſe teſtimonio Guidonis archidiaconi Bononienſis, iuriſconſulti non contemnendi comprobat, dicens: Olim autem in quacunque eccleſia principales ſacerdotes ſeu epiſcopi, dicebantur cardinales, id eſt, principales. Et inde pergit: Scriptum eſt in Deuteronomio: Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, recurre ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: ipſi enim iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et ſubdit: Ecce nunc quòd ſacerdotes Leuitici tempore veteris teſtamenti erant conſiliarij, & ſic fuerunt de iure diuino, licet non ſub nomine cardinalium: ſed huiuſmodi ſacerdotes conſiliarij ſunt domini cardinales hodie, ſic appellati, &c. Non animaduertit Siculus illum locum apud nos, iampridem ab epiſcopis & aliis ſacerdotibus inferioribus occupatum eſſe, qui vnà cum epiſcopo Romano, amplius mille annis gubernarunt Romanam diœceſim, antequam quiſquam illud ſublime cardinalis nomen, quale nunc vbique latè reſonat, tuliſſet, ac propterea ſuos dominos cardinales tardè veniſſe, vt iure dici poſſint apud nos in locum Leuitarum ſacerdotum ſucceſſiſſe.

ſe. ha



ſe. hactenus de ioculatoria Siculi diſputatione. Cæterùm Guido archidiaconus proximè verũ acceſſiſſe videtur, qui in commentariis, quos in ſextum iuris Pontificij librũ ſcripſit, & Frãciſcus Zabarellus cardinalis ex teſtimonio Martini Ciſtercienſis hiſtorici, qui Innocentij quarti pontificis æqualis fuit, vnà produnt, anno circiter humanæ ſalutis ducenteſimo trigeſimo altero, ſedente quodam Põtiano, qui in ordine Romanorum pontificum non ponitur, fuiſſe Romæ ducentos triginta ſex ſacerdotes cardinales, & ſexageſimoſeptimo deinde anno, Marcellum, quem nos diximus diuiſiſſe titulos presbyteris, conſtituiſſe quindecim cardinales, qui mortuos ſepelirẽt, & infantes baptizarent. Hæc non multũ diſcrepant ab iis, quæ ex Bibliothecario, Damaſo, & Platina, ſuprà commemorauimus. Sanè hi Marcellum aiunt quinque & viginti diœceſes conſtituiſſe, ad vſum baptiſmi, & ſepulturæ: alii verò ſcribunt eundem pontificem quindecim feciſſe cardinales, qui baptizandi infantes, atque humandi demortuos, curam ſuſtinerent. Atq; hæc vera cardinalium ordinis origo eſt, non fuitque ab initio aliud cardinalium nomen, niſi excellentioris epitheti notatio, perinde ac id vſurpamus, cùm dicimus, ſolanum, fauoniũ, auſtrum, & ſeptentrionem, quatuor eſſe ventos cardinales, id eſt, primarios: veluti altiſsimæ partes

 cæli

Universidad de Deusto Biblioteca

cœli vocitātur cardines, quòd circa illos mun-
dus circumfertur, et ad ſimilitudinem eorum
nuncupentur cardines, circa quos valuæ voluū
tur. Non fuit item aliquandiu deinde aliud eſ
ſe cardinalem, niſi ante alios habere curam
animarum: quod vt aliis poſt iudicandum me
lius relinquam, teſtimonia quæpiam, etſi re-
centiora, ex diuo Gregorio ſubiiciam. Is
enim libro Epiſtolarum primo Corſicæ inſulæ
ſacerdotum cœtui, & nobilibus ita ſcribit:
Ea de re quoniam eccleſia Alarienſis, Sago-
nenſis ſacerdotis diu eſt auxilio deſtituta, ne-
ceſſarium duximus Martinum epiſcopum fra-
trem noſtrum, ibidem cardinalem conſtitue-
re ſacerdotem, Leoni verò fratri noſtro ope-
ram viſitationis iniungere. Ibidem ad Ianua-
rium archiepiſcopum Caralis Sardiniæ: Li-
beratus igitur de quo nobis ſignificaſti, quia
diaconi fungeretur officio, ſi antea non eſt fa-
ctus cardinalis, ordinatis à te diaconis nulla
debet ratione præponi. Et infrà ſubdit: Si eius
obedientia fueris inuitatus, & eum poſt hæc
cardinalem facere volueris, &c. Item ad Io-
annem epiſcopum Squillatinum: Paſtoralis of
ficij cura nos admonet, deſtitutis eccleſiis pro
prios conſtituere ſacerdotes, qui gregem do-
minicum gubernent. Propterea te Ioannem
Liſſitanæ ciuitatis epiſcopum noſtrū in Squil-
latina eccleſia cardinalē duximus conſtituere
ſacer

Universidad de Deusto Biblioteca


ſacerdotem, vt animarum curam ſpe futuræ re
tributionis ſuſceptam impleas, & reliqua. Ve-
rum cùm poſtea Bonifacius tertius ab Impe-
ratore Phoca impetraſſet, vt in omnes epiſco-
pos prærogatiuam haberet, omniumque caput
perpetuò foret, vti infra ſubtilius dicetur, iam
tum Romanus pōtifex multò quàm antea vnà
cum ſuo vrbano ſacerdotum ſenatu, cunctis
ſine controuerſia præſtare autoritate cœpit, ac
ſimul illi presbyteri quibus olim tituli dati,
quibus Chriſtianorum animas curandi mu-
nus delatum fuerat, eo cardinalium nomine
velut ſupremæ illius dignitatis proprio, cum-
primis honeſtari cœpere. Ac ita quod prin-
cipio prorſum oneri fuit, ſummo tandem ho-
nori eſſe cœpit, nec immeritò, quando illi in
adminiſtranda republ. Chriſtiana, ſuo ponti-
fici ſemper præſtò aderant, ſic vel iis paulatim
decus acceſſit, paulatímque inter contentio-
nes Imperatorum, ac populi Rom. de pontifice
creando ſæpius ortas, prærogatiua iusque ip-
ſius pontificis eligendi partum eſt, adeò vt In-
nocētius quartus, qui circiter annum ſalutis,
MCCXLIIII. apoſtolicam tenere cœpit ſedē,
poſtremò publico decreto ſanxerit, vt equo
deinceps inſidētes rubro vterētur galero quò
maior adhuc ordini accreſceret maieſtas, argu
mento tamen manifeſto oportere eius ordinis
antiſtites ſemper eſſe paratos, pro religionis
bb 4 defen

Universidad de Deusto
Biblioteca



defenſione offerre ſe in diſcrimen, & ſangui-
nem effundere. Ita denique cardinalis nomen
celebre reddit, ita ordinem inſtituit ſupremũ.
At iſtuc inſigne ad imitationẽ Hebræorum ſa-
cerdotum datum eſſe videtur: nam illi tiara
vtebantur, vti ſuprà diximus, quæ teſte Hie-
ronymo rotunda erat, vt pileus. Inde ad diffe-
rentiam ordinis, epiſcopi quoque petaſum fer-
re cœperunt, qui extrinſecus niger, intrinſe-
cus verò viridis eſſet. Dedit poſtea Paulus ſe-
cundus veſtem coccineam cucullo inſignem,
hoc eſt, lacernam (ita veteres appellaſſe indi-
camus) vt hæc etiam cum rubenti petaſo ordi
nis inſignia forent, quæ pictores deinde noſtri
nimirum valde pij, vel diuo Hieronymo imper
titi ſunt, quibus nunc eius ſimulacrum paſſim
in ſacris ædibus ornatum viſitur, quia dicitur
præsbyter Romanus fuiſſe, etſi per id tempus
quo ille vixit, ne nomen quidem tam ſublimè
cardinalis erat auditum. Faciunt præterea fi-
dem tituli quos hodie habent cardinales, quos
vocamus, in locum illorum perpetuo tenore ſuc
ceſſiſſe presbyterorum, quibus, prout declara-
tum eſt, Euariſtus primũ titulos, deinde Mar-
cell. velut diœceſes digeſſerat. Teſtificatur &
illud, quòd fertur Anaſtaſius presbyter car-
dinalis ſancti Marcelli à Leone IIII. damna
tus, reiectúsque ab ordine, quòd contra ca-
nonum ſanctiones quinque annis parochiam





non adiiſſet ſuam. Quanquam vel me minimè
fugit Innocẽtium III. in ſuis Decretalibus
epiſtolis appellare ſacerdotes Leuitici generis,
fratres ſuos in miniſterio ſacerdotali adiuto-
res: at ea verba plures Iuriſconſulti rectè ſen-
tientes, ad epiſcopos, non ad cardinales attine
re affirmant, quò locum vel ſic tueantur, vel
emendent. Sed iam ſatis de initio ordinis, qui
nunc ſupremus habetur, cardinalium, à pio or
ti miniſterio, qui tanto deinde incremento au
ctus eſt, vt omni illo quondam onere leuatus, ſo
lus ſit totius Reipub. Chriſtianæ ſenatus. Quo
factum eſt, vt vrbs etiam Roma, lux olim orbis
terrarum, atque arx omnium gentium, ſuum
recepiſſe ſenatum, quo latè regebat, meritò ſi-
bi videri poſſit, ſimulque gaudere, quòd hi ſe-
natores nõ cenſu, ſicuti priſci illi Romani, ſed
vitæ ſanctimonia, doctrina, moribúsque tem-
peratis ac moderatis ornati iam inde ab ini-
tio, de conſilij ſententia cooptari cœperint.
Quanquam inficias ire non licet, & huic ſa-
croſanctæ legi aliquoties derogari: nam pin-
guis eſt, vt iam vulgò dicitur, panis CHRI-
STI, cuius dulcedo iuxtà probos ac improbos
allicit: at vt illi bono modo, ita hi malo ad eam
deguſtandam non rarò aſpirant. Quare peri
culum eſt, ne aliquando ſacerdotalis ordo in-
de labefactari incipiat. Is autem ordo ex tri-
plici initiatorum genere conſtat: ſunt enim

Universidad de Deusto Biblioteca

*aut epiſcopi, & ij quidem numero ſex, Oſtienſis, Sabinenſis, Portuenſis, Tuſculanus, Præneſtinus, & Albanenſis: aut preſbyteri, aut diaconi, neutrorum tamen certo præſcripto numero.*

De origine honorum qui Romano pontifici habentur, & de eius autoritate in omnes eccleſias, atque quibus illius & epiſcoporum ac Imperatorum occidentalium eligendorum ius à principio fuerit.

CAPVT X.

*PRimus honos Romano pontifici habetur, vt ſi minus pulchro honeſtetur nomine, ei ſtatim creato liceat illud mutare. Verbi gratia, non extra iocum dictum ſit: Si homo maleficus antea fortè fuerit, vt Bonifacius appelletur: ſi timidus, Leo: ſi ruſticus, Vrbanus: ſi improbus Innocentius: ſi ferox, Clemens: ſi malè audierit, Benedictus, vt ſaltem nomine pontifex ornamento ſit dignitati. Eius autem rei autor fuiſſe dicitur Sergius ſecundus, cui cùm Os porci diceretur, ad obſcœnam nominis vocem tollendam, datum eſt, vt aliud ſibi nomen optaret. Et illud aiunt ex imitatione* CHRISTI *eſſe factum, qui Simoni Bar Ionæ nomen Petrum indidiſſet. Manauit dein mos ad poſteros, vt qui pontifices crearentur, omiſſo priore*

nomine



*nomine, eligerent ſibi vnum aliquod ex pontificum qui antè fuiſſent, nominibus. Item Romanus pontifex humeris hominum circunfertur: hoc inde natum quidam arbitrãtur, quòd Stephanus ſecundus, vt pop. Rom. ob inſignes animi virtutes vitæq; integritate clariſſimus ſtatim factus pontifex humeris omnium prægaudio exultantium fuerit ſublatus, atque in ædem Seruatoris ad Lateranum deportatus.*

*Quem ritum deinceps ſeruarunt ſucceſſores, adeò ſemper veterum honorum ac pomparum magis quàm morum tenax eſt poſteritas. Ego tamen dixerim illud ab ethnicis pontifices eſſe mutuatos, quando apud Romanos cum primis mos fuit, vt prædiuites ac primarij viri lectica ſeruis geſtata veherentur, Iuuenalis:*

*Quadriuio: cum iam ſexta ceruice feratur,*
*Hinc atque inde patens, ac nuda penè cathedra.*

*Et lectica hæc Græcè dicitur hexaphorus, quia ſexta ceruice, hoc eſt, ſex ſeruis, ſicut ait Iuuenalis, ferri ſolebat. Martialis lib. Epigrammat. IIII.*

*Cùm tibi non eſſent ſex millia Cæciliane,*
*Ingenti latè vectus es hexaphoro.*

*Ius autem creandi Romani pontificis vſque ad tempora Conſtantini Imperatoris, cùm põtificatus potuit cruciatus potius dici, quàm dignitas, haud dubiè penes collegium Romanorum*

norum

norum ſacerdotum fuit. Poſtea paulatim cœpit eiuſdem collegij, cum populi ſuffragio, ea electio firma eſſe, quam Conſtantinopolitanus probaſſet Imperator: idque inſtitutum durauit vſque ad annum ſalutis DCLXXXV. Quo quidem tempore Conſtantinus quartus Imperator, ſanctitate Benedicti ſecundi permotus ſtatuit, vt quem iam inde ſacerdotum ſenatus populúſque Romanus pontificem creaſſet, is verè ſucceſſor Petri haberetur, cùm ante id tempus, Conſtantinopolitani principis & Italiæ exarchi autoritate, ea ſit dignitas rata habita: id quod poſtea haud diu eſt ſeruatum: nam cùm paucis pòſt annis Gregorius tertius, ac nonnulli alij deinceps pontifices Longobardorum iniurijs preſſi, nihil auxilij à Conſtantinopolitanis principibus haberent, ad Carolum primò Martellum, & Pipinum, deinde ad Carolum Magnum ipſius Pipini filium Francorum reges confugere coacti ſunt. Quas ob res, Leo tertius ipſum magnum Carolum fecit Imperatorem, cuius ſucceſſores conſueuerunt itidem pontificis electionem confirmare. Atque ſic vſu venit, vt tum primum tutela Romani pontificis ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis ad alios tranſlata ſit. Poſtremò circiter annum ſalutis MLIX. Nicolaus ſecundus concilio celebrato, pontificum electionem ad cardinales illos, qui, vt ſuprà diximus,

mus.



mus, animarum curam gerebant, tantum reduxit, idque hodie ſeruatur. Quod autem per Nicolaum ſancitum eſt, ſcriptum leges in canonicis decretis, diſtinct. XXIII. Sed ea electio tam à reliquis ſacerdotibus, quàm à populo Romano comprobanda erat, poteratque optari, qui etiam illius non fuiſſet collegij. At vtrunque breui pòſt tempore penè eſt antiquatum: nunc enim cardinales, & ſine populi ſacerdotúmque conſenſu, & cardinalem tantum faciunt pontificem Romanum: quamuis nulla lege exceptum ſit, quin iure queant cuiuſuis ordinis virum pontificem creare. At ea prima, deinde altera tertiáve electionis immutatio cauſa fuit, ſuſpicor, quamobrem nonnullæ eccleſiæ poſthac conatæ ſint pro ſuo iure, ſine Romani pontificis autoritate, agere: quæ tamen paulatim ad officium rediere: nam Græci antiſtites, Simplicio ſedente, Romanum pontificem omnium caput eſſe vltro declararunt, qui fuit annus ſalutis quadringenteſimus ſeptuageſimusquintus. Idem Ioanni Conſtantinopolitano epiſcopo id ad ſe honoris reuocare conanti, etiam iuuante Mauritio principe grauiter reſtitit, ac breui pòſt recuperata prorſus dignitate, Phocæ Imperatoris iuſſu, eſt rurſus princeps omnium declaratus, etſi Græcis argumentantibus eò loci debere eſſe Chriſtianæ pietatis arcem, quo & imperij.

Idem

Universidad de Deusto Biblioteca



Idem vt pater Rauennates epiſcopos ad officium reuocauit, quos iampridem Longobardorum ac exarchorum temeritas alienauerat. Item & Mediolanēſes eiſdem furoribus actos, poſt ducentos annos quàm deſciuerant, ad ſanitatem reduxit. Quin vel Aquileienſes nonnihil ſub Gregorio aberrantes, breui ab obſequium retracti, & pallij vſus poſt centum & quinquaginta annos, quàm eo fuerant priuati, reſtitutus. Atque ſic Romanus pōtifex cunctarum eſt eccleſiarum caput, & id quidem ſummo omnium gentium conſenſu, ita vt non ſit vel impijs hominibus locus iam vllus aliter ſomniandi, nedum diſputandi relictus. Ius autem eligendorum epiſcoporum, ſacerdotum, ac diaconorum, iam inde à principio penes apoſtolos, & dein apud ſacerdotes ciuitatum, non ſine tamen ſuffragio plebis, atque iudicio vicinorum epiſcoporum fuit. Et hūc ritum diu ſeruatum eſſe diuus Cyprianus non vno in loco, & in epiſtola præſertim quarta ad Felicem presbyterum teſtatur atque inibi de ea re luculenter ediſſerit. Sed cùm iſta lex iampridem refrixerit, nihil eſt quod hîc Cypriani verba ponamus. Epiſcopum verò ita electum cæteri prouinciæ epiſcopi initiabant, idque fiebat decreto Niceni conuentus, quo ſancitum erat vt epiſcopus, ſi fieri poſſet, à totius prouinciæ, ſin verò difficile foret, tum nō minus quàm à tri-





bus initiaretur, & id non ſine metropolitani autoritate. Vtrunque hodie penes Romanum pontificem eſt: ille enim creat epiſcopos, & initiat, vel ſecundum Nicenum præſcriptum initiari, id eſt, conſecrari mandat. At poſt hæc, creatio epiſcoporum in aliam formam mutata eſt à Bonifacio tertio: is enim decreuit, vt ab vrbium populo ſacerdotúmque cœtu eligerentur, non refragante loci principe, & pontifice Romano annuente his verbis, Volumus, & iubemus. At illud decretum velut nimis vtique laudabile citò obſoleuit, cunctis ſemper in peius noſtris delabentibus rebus. Poſtea Imperator de ea re conſuli cœpit, ſed id ius Ludouicus Caroli Magni filius Paſchali pontifici reſtituit, paulò antè Carolo patri ab Hadriano conceſſum. Veruntamen hodie bona Principum noſtrorum pars illud mordicus tenet, imò non modò epiſcopos paſſim quos volunt, declarant, renunciant, dicunt, ſine ſacerdotum populique ſuffragio, ſed ſunt, qui ſuis duntaxat diplomatibus poſſeſſionem minorum ſacerdotiorum tradant, quod modis omnibus Simplicius ac Gregorius vetuerunt. Imperatores verò noſtros, occidentales dico, iam inde ab initio penes Romanum pontificem creandi poteſtas fuit, quando Leo tertius, ſicut ſuprà tradidimus, Carolum Magnum Imperatorem fecit, coronáque qua honeſtantur Impera-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tores, donauit, quam Platina diadema vocat: eſt enim faſcia linea, qua inſigni reges vtuntur. Poſtea Ioannes duodecimus Othonem Germaniæ regem Imperatorem creauit. Et poſtremò Gregorius quintus, vt ſuam gentem (fuit enim homo Germanus) ſingulari quopiã beneficio aſſiceret, autoritatẽ in poſterum tempus eligendi Imperatoris fecit archiepiſcopis, Moguntino, Treuerenſi, & Colonienſi, item Marchioni Brandeburgenſi, Comiti Palatino, Duci Saxoniæ, & Regi Boëmiæ, vt qui ab eis renuntiatus eſſet, Cæſar & Romanorum rex diceretur, ac deinde Imperator ſtatim, vt electionem huiuſmodi Romanus pontifex comprobaſſet. Fuit is annus humanæ ſalutis M II. Atque ſic Germani principes ius illud acquiſiuerunt, quod etiamnum habent, retinent, conſeruant.

### Qui primi notarios in vrbe Roma conſtituerint, qui res martyrum geſtas ſcriberent, & ibidem de protonotariorum ac cubiculariorum origine.

### CAPVT XI.

AVgebatur principiò aſſiduè inter ſæuas Romanorum principum perſecutiones, piorum numerus, & quò magis illa feritas debacchabatur, hoc plures quotidie eiuſmodi tormenta ſubire non formidabant, vt iam multitudo Chriſtianorum multò eſſet ipſis Impera-



Imperatoribus ſuſpectior quàm religio. Ne igitur memoria tot fortium factorum, quibus nunc fulget religio, inſtar ſolis & lunæ, vllo vnquam tempore hominum mentibus excideret, néve poſteritatem quandoque lateret, quonam pacto illa vbique gentium propagata fuiſſet, Iulius primus Romanus pontifex, omnia ad rem ſacram pertinentia per notarios literarum monimentis mandanda curauit. Ij ab initio fuiſſe videri poſſunt, quos hodie protonotarios vocant, quorum officium eſt, res præcipuè geſtas conſcribere. Ab hac opinione ſunt qui diſſentiant: ego tamen tam pium factum Clemẽti malim aſſignare, quem conſtat regiones ſeptem notarijs diuiſiſſe, qui diligenter res martyrum geſtas ſcriberent: ſed illud poſtea Antherus ſtabilius reddidit. Quod ſicut Clementis & Antheri fuit inſtitutum, ita fieri potuit, vt ſucceſſorum incuria intermiſſum, à Iulio poſtremò fuerit renouatum. Atque tale noſtri protonotarij habuere principium. Reperio etiam Fabianum, qui Anthero ſucceſſit, & Caium deinde regiones diuiſiſſe diaconis, qui itidem geſta martyrum literis mandarent. Verùm hoc munus tempeſtate noſtra, excuſſo ſcribendi onere, in ordinem abijt haudquaquam indecorum, & ſi venale eſt. Sunt hodie protonotarij apoſtolici numero ſeptem, qui, vt dictum eſt, in illud

collegium pretio cooptantur. Sunt prætereà extraordinarij ſine numero à pontifice gratuitò creati, qui eius dignitatis priuilegijs perinde gaudent, atque alij, commodum aliud non conſequuntur. Omnes equitando pileo vtuntur nigro, quod introductum dixerim, vt à cardinalibus & epiſcopis per hoc inſigne internoſcerentur, quando æque omnes linteam togam induunt. Ita coniectare licet, cùm minimè tradatur, quando primùm petaſati incedere cœperint, & eorum collegia à quo fuerint primùm venalia facta. Item Leo primus ad res diuinam intentus, cùm populus frequens ex omni parte orbis Romam veniæ cauſa concurreret, apoſtolorum ſepulcris cuſtodes ex Romanis addidit ſacerdotibus, & eos cubicularios appellauit. Illud bonus pontifex ea de cauſa feciſſe videtur, quò augeretur pietas eò loci orantium, cum animaduerterent diuorum reliquias nõ ſine veneratione ſeruari. Sed memoria noſtra obſoleuit iſta conſuetudo, cùm pauci certò ſciant vbi loci ipſa apoſtolorum oſſa iaceant. Quare à ſepulcris ad cubiculum pontificis cuſtodiendum, cubicularij huiuſmodi traducti dicuntur, quos Leo X. in collegium redegit.

### Vnde natum, cur ſacerdotum ordo in varios abiuerit munerum gradus: & de primo

palli



### pallij vſu, eiúſque forma, ac primordio collegij reſidentiariorum apud Anglos, & de antiquo iurandi modo, interdicendique contumacibus ſacris. CAP. XII.

IAm inde ab initio, cum vbique ferè gentiũ flamines ſacerdotes præeſſent, & illis alij, qui archiflamines, id eſt, primarij ſacerdotes nuncupati ſunt, ad quos ſacrorum omnium ratio referebatur, placuit, autore apoſtolo Petro, ſicut D. Clemens in ſuo Chriſtianæ religionis compendiario libello perhibet, vt ſimiliter in ſingulis gentium quæ religionem in poſterum complecterentur, ciuitatibus, in locum flaminum epiſcopi ſubſtituerentur, & in qualibet prouincia, archiflaminis vice, vnus archiepiſcopus conſtitueretur, cui reliqui illius regionis epiſcopi ſubeſſent: id quod nos in hiſtoria noſtra Anglica oſtendimus in Britannia, quæ nunc Anglia eſt, autore diuo Gregorio, eſſe factum. Innocentius quoque, vt in Decretis canonicis eſt, hinc noſtrorum ſacerdotum & epiſcoporum differentiam introductam affirmat. Ij archiepiſcopi modò primates, modò Graia voce patriarchæ, hoc eſt, patrum principes dicti, quatuor principio fuere, Romanus, Antiochenus, Alexandrinus, Hieroſolymitanus: poſtea tranſlata Bizantium imperij ſede, additus eſt & Conſtantinopolitanus. Verùm poſthac ambitione paulatim mo-

 deſti

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

deſtiam è pectoribus hominum detruderent, plures creati ſunt, vſque venit, vt huiuſmodi ordini plus aliquid dignitatis ac maieſtatis acceſſerit. Et quoniã hiſce põtificibus ſedes in ijs præſertim ciuitatibus quæ inſigniores eſſent, datæ ſunt, idcirco & metropolitanos vocamus, quod vnuſquiſque hodie in ea præſit vrbe, quæ eiuſdem prouinciæ metropolis, id eſt, mater ac caput ciuitatum eſt. Primates tamen ac patriarchæ antecellunt autoritate archiepiſcopis metropolitanis, ſicut patet ex decreto Aniceti, qui ſtatuit, ne epiſcopus crimen metropolitani ſui ad alium niſi ad primatem, aut ad ſedem apoſtolicam deferret. Eiuſdem etiam decretum fuit, ne archiepiſcopi niſi ex ſingulari titulo, primates nominarentur. Ij autem meritò patriarchæ vocantur, cæteri archiepiſcopi nominantur, vel, vt quidam volunt metropolitani. Hos Clemens primus pallio, cuius vſum introduxit ipſe primus, ornauit, voluitque vt ei crux præferretur, quibus nunc potiſſimum inſignibus, ab reliquis epiſcopis diſtinguuntur. Marcus tamen pontifex inſtituit, vt epiſcopus Oſtienſis, quòd ab eo Romanus conſecraretur, pallio quoque vteretur. Eſt autem pallium veſtis ſumma lanea & candida, cui vtrinque pendent duæ faſciæ, & ad humeros circulus ductus, ac quatuor purpureis crucibus inſignita eſt. Huius ſanè inſignis



ſignis rationem diuus Gregorius ad Maximum epiſcopum Salonitanum ſcribens, ſcienter reddit, qui dicit illud humanitatem & iuſtitiam ſignificare, vt ij qui illo vtantur, foris ſummiſſe ſe gerant, id eſt, mites ſint, & intus animum æquum habeant, hic eſt, iuſtitiam colant. Ex eodem quoque fonte manauit, inter reliquos initiatorum ordines, diuiſio officiorum, vt archidiaconi diaconis, archipresbyteri presbyteris, & ijs omnibus præpoſiti vel decani quos vocant, præeſſent, quibus par quoque creuit honor. Hinc etiam inſtituta ſunt collegia ſacerdotum, qui in templis præſertim cathedralibus, omni tempore ſacris operam darent. Hos Græcè canonicos, hoc eſt, regulares vocamus, vt qui ritè inſtituti, cæteris viuendi normam præberent. Iſtorum autem collegarum abhinc CCC. & eo amplius annis, apud noſtros Anglos, tempore regis Ioannis, cùm humana pariter ac diuina permiſta forent, diuortium factum eſt: ſed autor ſectæ non traditur, quod ſciam ſi non fuit diſcordia, quæ fortè voluerit aliquot ex collegio pecunioſos ſacerdotes pretio ſeiunctos alijs dominari. Id enim temporis cum Regis Ioannis edicto cuncta paſſim templa ſpoliarentur, aliqua diruerentur, ſacerdotum bona prædæ darentur, facilè omnis adminiſtrorum grex diſſipatus eſt: poſtea mor-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tuo rege accidit, vt canonici ad ſua redierint
collegia, & eos qui primi fuerunt, oportue-
rit erogare pecuniam, tam ad ædes ſacras
ſarciendas, quàm ad ea comparanda, quæ
ad cultum pertinerent diuinum. Hinc igitur
factum eſt, vt nonnulli canonici curam re-
rum omnium collegij ſuſceperint, reliquis col-
legis forſitan ſua cauſa indormientibus, ſo-
lique emolumenta capere cœperint, quæ pa-
tres olim cunctis iuxtà collegis canonicis con
ſtituerint, qui ſuo tempore ſacris operam na-
uaſſent. Ita Republica collegarum in pauco-
rum poteſtatem deducta, aut tunc, aut ſta-
tim poſt, ij noui principes canonici nullos ex
canonicis ab epiſcopo factis, in ſuam ſocieta-
tem admittebant, niſi pretio, quod partim ad
ſarta templorum tecta tuenda, partim ſibi,
partim verò templi miniſtris partiebantur:
& vt ea emptio non videretur fieri contrà ac
liceret, à Romano pontifice impetrarunt, vt à
venientibus in ſuum nouum collegium ſine cri
minis nota pecuniam acciperent. Hodie qui
in collegijs ſacerdotum ita dominantur, vulgò
reſidentiarij vocitantur, quòd ad templa ſoli
maneant: nam licet alij canonici dies noctesq;
in templis, ad res ſacras, laborem, curam & o-
peram impenderent, nihil tamen lucrifacerẽt.
Durat inſtitutum varijs legibus ab ipſis reſi-
dentibus corroboratum: ſed vna quidẽ lex illa
primar



primaria eſt, vt domos maximè hoſpitales ha-
beant, & præſertim diuitibus, qui ad eos pro
ſuo iure continenter confluunt, id quod inui-
diam illis reprimit, cùm ita menſis ſeruire co-
guntur. Atque ex eo inſtituto ſecutum eſt, vt
bona pars canonicorum ex ſuis collegijs expul-
ſa ſit, quando multi illorum ſeu religionis, ſiue
paupertatis cauſa, nolunt, neque poſſunt pre-
tium dare, qui non prohibiti dubio procul, in
obeundis ſacris tam libentiſſimè quàm dili-
gentiſſimè ſuum officium præſtarent. Qua-
propter haud fortaſſe ab re eſſet, ſi patres præ-
ſcriptum canonicis quondam à collegiorum
fundatoribus datum, tandem aliquando ſer-
uandum curarent, prout alibi vbique gentiũ,
illud ipſum inuiolatum eſſe conſtat. Item vt
homo homini facilè ſemper præſtat, ita expe-
dit, vt maiora munia præſertim ſacra illis
deferantur obeunda, qui doctrina & vitæ
ſanctimonia alijs antecellũt: id quod CHRI-
STVS admonuit, cùm dixit: Homo quidam
peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, &
tradidit illis bona ſua, & huic quidem dedit
quinque talenta, alij autẽ duo, alij verò vnũ,
vnicuique ſecundum propriã virtutem. Qua-
propter Antherus pontifex cẽſuit epiſcopum,
omiſſo primo epiſcopatu, ad alterum neceſſi-
tatis cauſa, & vtilitatis, nõ ſuapſim, ſed ere-
itarum ouium, poſſe transferri, quod antea
cc 4 per

Universidad de Deusto Biblioteca



*per decretum Nicenæ ſynodi, fieri minimè licebat. Et Antherum illud mouiſſe crediderim, quòd Petrus ea de cauſa, relicta epiſcopali ſede Antiochena, ſe Romam contulerit, ibique aliquot annos epiſcopatum obtinuerit. Cæterùm hodie à pleriſque contrà fit, ad vtilitatem ſuam, non ad ſuſceptum munus reſpicientibus, vt habeant vnde ſe mollius curent, quibus haud dubiè Dominus tempore ſuo dicet, Serui mali: tollite itaque ſeruos inutiles, & eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentiū. Cùm per hunc modum epiſcopi, & archiepiſcopi dati eſſent, qui in ea incumberent, quæ in ſuorum ſacerdotum rem eſſe ducerent, iúſque dicēdo, reddendóque illos regerent, Caius primus ſtatuit, vt ſacerdos ne coram iudice prophano conueniri poſſet, quò ſic cunctos deterreret, ne Chriſtos Domini tangerent. At ne quiſquam fraude dolóve circumueniretur, Eutychianus ſanxit, vt accuſatio coram iudice ſcripto conſtaret, ſicut Cornelianum decretum eſt, ne quis à ſacerdote, niſi religionis cauſa, exigeret iuſiurādum, quod non credentibus & ſuſpicioſis faciendæ fidei cauſa, inſtitutum conſtat, cuius apud veteres talis fuit forma. Cicero ad Appium Pulchrum: De me tibi ſic conteſtans omnes deos, promitto. Et Aeneas ad Didonem, apud Vergilium:*





*Funeris heu tibi cauſa fui, per ſydera iuro,*
*Per ſuperos. Aut per rem charā mis*
*fuit iurare,*

*Ouidius ad amicam, quæ peierauerat:*

*Perque ſuos illam nuper iuraſſe recordor,*
*Perque meos oculos, & doluere mei.*

*Item, teſte Feſto, lapidem ſilicem tenebāt iuraturi per Iouem, hæc verba loquentes: Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter ſalua vrbe, arcéq; bonis eijciat, vt ego hunc lapidē. Præterea nulli, quemadmodum teſtatur Liuius, licebat magiſtratum plus quinque dies, niſi qui iuraſſet in leges, gerere. Hunc penè morem pontifices noſtri, reges, ſacerdotes, prætores ac cæteri omnes præfecti ſeruant, qui ita iurant antè, quàm ad ea munera obeunda admittantur. Sed illud maximum ius erat iurandum, quod quiſque nomine fidei dabat, ita vt, teſte Dionyſio, magiſtratus plurimas litium diſceptationes ex fide dijudicarent. Quapropter Numam Fidei deæ templum poſuiſſe, ſacráque fieri inſtituiſſe idem tradit. Apud Hebræos talis fuit vſus, Hieremias: Et iurabis, viuit Dominus, in veritate, & iudicio, & iuſtitia. Hos enim, vt ait Hieronymus, iuſiurandum habet comites, quibus ſi caruerit, periurium erit. Et Abigail vxor Nabal ad Dauid: Nunc ergo domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua. Hiſtoria eſt in primo Regum lib. Apud*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nos ita iurat Apoſtolus, Teſtis eſt mihi Deus. Sed longè vſitatiſsimus iurandi modus eſt per euangelium, quē Iuſtinianus Imperator, vti in eo libro eſt quem Authenticum appellauit, titulo de ſanctiſsimis epiſcopis, inſtituit. Poſtea ita vſu venit, vt hodie qui iuſiurandum iurat, coram magiſtratibus plurimùm euangeliorum librum aut dextra manu tangat, aut oſculetur dicens, Ita me Deus, & hæc ſancta euangelia iuuent: quòd quemadmodum euangeliū noſtræ religionis fundamentum nulla de cauſa violari debet, ita iuſiurandum nullo pacto frangēdum ſit. Quòd autem noſtri pontifices ſolent cōtumaces, hoc eſt, ſuperbos, ac idcirco iuris cōtemptores minimeq; obedientes, aut delictum aliquod delinquentes excommunicare, vt vulgò dicunt, illiſque ſimul interdicere ſacris, hoc ex Iudæis ſumptum eſt, quorum moris fuit, eos ignominiæ cauſa extra ſynagogam, id eſt, cōgregationem eijcere, qui dicto minus audientes, contra legem, vel pontificum ſeu populi mandatū aliquid feciſſent, quod perinde erat atque apud nos interdicere ſacris: illúdque verum eſſe euangeliſta Ioannes affirmat, ſcribens: Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum cōfiteretur eſſe CHRISTVM, extra ſynago- [illegible] fieret. Alludit ad illud & Paulus ad Co- [illegible]thios epiſtola priore, cap. V. cùm iubet, vt

ſtuprator



ſtuprator ſuæ nouercæ exterminetur, quò ſic pœnitendo tanti ſceleris animam nō amittat, ita ſcribens: Tradatur ſatanæ, ad interitum carnis, quo ſpiritus ſaluus ſit in die Domini IESV. Hos religionis hoſtes diuus Cyprianus abſtentos paſsim appellat, quòd reliqui homines ab eis abſtinere debeant: qui tamen vſurpat ſupinum iſtius verbi abſtineo, minimè vſitatum. Reperio hunc puniendi morem à Druidibus Gallorū ſapientibus quondā vſurpatum, illi enim, vti Cæſar in ſuis Commentarijs teſtatur, ſi quis aut priuatus aut publicus eorum decreto non ſtetiſſet, ſacrificijs interdicebant. Et hæc pœna apud eos grauiſsima, quoniam quibus ita erat interdictum, ij numero impiorum ac ſceleratorū habebantur, ab ijs omnes decedebāt, aditum ſermonémque defugiebant, ne quid ex contagione incommodi acciperent, neque ijs petentibus ius reddebatur, neque honos vllus communicabatur. Hæc omnia ita cum noſtra religione conſentiunt, vt nō temerè quis crederet, nos huiuſmodi denouendi execrandique modum potius ab ipſis Druidibus, quàm à Iudæis eſſe mutuatos. Atq; hoc vnicum telum, terrificúmque fulmen eſt, quo pontifices noſtri ſolo nutu, mortaliū animas etiā vltra tartara mittunt, propter quod minus vtique eſt in quenquam præcipitanter torquendum.

Quò

Universidad de Deusto Biblioteca

### Qui primi inſtituerint, vt virgines conſecrarentur, & vnde fluxerit mos velandi caput, illúdque aperiendi viris principibus, atque oſculandi pontificum pedes & manus, itē oſculo ſalutandi, ac ipſos pedes mutuó lauandi. CAP. XIII.

QVòd virgines ſacrãtur, id eſt, vota caſtitatis facientes religioni addicuntur, Pij primi præſcriptum eſſe videtur, quod in Decretis canonicis eſt: Virgines non velentur ante XXV. annos, niſi forte neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis. Et nō ſunt conſecrandæ, niſi in Epiphania, & in ſabbato paſchæ, & in apoſtolorum natalitijs, niſi mortis cauſa vrgente, & reliq. Porrò eam prærogatiuam apoſtolorum feſtis diebus datam aiunt, quòd illi ante omnes, virginitatis amatores cultoréſque fuiſſent. Id initium fuiſſe monacharum, ac incrementum inde ſuū ſenſiſſe, declarat decretū Soteri, qui ſecundo loco ſucceſſit Pio. Is inſtituit, ne monacha vlla pallam, quam vocãt, attrectaret, néve thus in acerrã poneret, dum ſacrificia fierent. Fuit ille annus ſalutis circiter CLXXV. Vnde videtur monacharum inſtitutū iam tum apud Romanos non fuiſſe ignotum. Quare miror quoſdã eſſe, qui tradant Marcellam: quæ cum Hieronymo familiaritatem habuit, primã fœminarū auſam eſſe illud Romæ profiteri. Verùm ab ipſis

Apoſtolis

Apoſtolis ortum videtur, vt mulierū ſacrarum congregatio in Chriſtiana religione eſſe cœperit. Cū enim Paulus priore epiſtola ad Timotheum ſcribat: viduas honora, quæ verè viduæ ſunt. Porrò quæ vera vidua eſt ac deſolata, ſperat in Deo. Et ſubijciat: Vidua eligatur non minor annis ſexaginta, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis hominum teſtimonio cōprobata, ſi filios educauit, ſi fuit hoſpitalis, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi afflictis ſubminiſtrauit, ſi in omni opere bono fuit aſſidua. Item pergit: Quòd ſi quis fidelis, aut ſi qua fidelis habet viduas, ſuppeditet illis, & nō oneretur eccleſia, &c. Apparet viduas veras & deſolatas, hoc eſt, vt Chryſoſtomus ſentit, rerum omniū humanarum curas negligentes, ſpéſque ſuas in Domino ponentes, iam tum electas, ac eccleſiæ, id eſt, cōmunitatis ſumptibus nutritas, & denique tales propemodum fuiſſe, quales nos hodie habemus monachas, excepto quòd noſtræ nō modò ſecundū apoſtolicum præſcriptum, ſexaginta annis, ſed vt plurimum viginti minores eliguntur, quæ cū aliquando carnis titillatione impulſæ à cōtinentiæ legibus aberrent, profectò religio non mediocre inde damnū ſui honoris facit. Quippe ideo Apoſtolus, teſte Ambroſio, in lib. de Viduis, iuniores viduas minus recipiẽdas in numerum eccleſiæ viduarum decreuit, quòd illæ

haud

Universidad de Deusto Biblioteca



haud facilè poſſent præſtare officia, quæ ad veras viduas pertinerent. Hinc perſpicuè intelligere licet, iam tum cœpiſſe fœminas per hunc modũ Deo dedicari, & apoſtolos primũ, ac deinde noſtros pontifices exẽplo Veſtalium virginum, introduxiſſe fœminarum religionẽ, vt vterque ſexus Domino in caſtitate famularetur. Sicuti velare caput, ſecundum Apoſtoli ſententiam eſt, qui ad Corinthios ait: Omnis verò mulier orans aut prophetans, non velato capite, dehoneſtat caput ſuum. Vnde Linus ex mandato Petri conſtituit, ne qua mulier niſi velato capite, tẽplum ingrederetur: quod videtur ab Hebræis accepiſſe, quorum pontifici nõ licebat caput aperire, dicente Moſe pontifex caput ſuum nõ diſcooperiet. Vel à Latinis ſacerdotibus mutuatus, vt per hoc quoque ſic eorum ritus ad honeſtiores verteret vſus. In ſacrificijs enim, quemadmodũ ait Plutarc. in problema. Itali, autore Aenea, obnubebant caput, quòd is cum rem diuinam faceret, prætereunte Diomede, qui, teſte Seruio, Palladium, quod ex oraculo iuſſus erat reddere Troianis, tunc referebat, ne cognitus interrumperet ſacrificium, caput velauit, atque ita conſpectum hoſtis euitauit. Commemorat rem hanc Maronianus Helenus in III. Aeneid.

Et poſitis aris iam vota in littore ſolues,
Purpureo velare comas adopertus amictu,

Ne qua



Ne qua inter ſanctos ignes, in honore
Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc ſocij morẽ ſacrorum, hũc ipſe teneto,
Hac caſti maneant in religione nepotes.

Cæterùm apud Arabes & Carthaginienſes, fœminæ non modò religionis, ſed honeſtatis cauſa, caput & faciem velabãt, quod velamẽ pro galea illis eſſet, autor Tertullianus, qui de ea re librũ ſcripſit. Magiſtratibus verò & alijs potentioribus caput aperimus, tanquam omnia noſtra illis patere debeant, idẽ Plutarchus autor. Hinc haud dubiè nobis mos eſt, & orare aperto capite, & ſuperiores reuereri: id quod Apoſtolus voluit dicens: Omnis vir orãs, aut prophetãs velato capite, probro afficit caput ſuum. hæc ille. Sed ad rem redeamus. Eſt igitur ſacrandarũ monacharum inſtitutum multò vetuſtius, quàm quæuis alia monachorum religio: eſt itẽ excellentius: quippe nulla, vt ait Auguſtinus de bono virginali, virgo ſacra naſcitur, nec eſt hæc proles carnis & ſanguinis. Si harum quæritur mater, religio eſt. Non parit virgines ſacras, niſi virgo ſacra, virgo illa, quæ deſponſata eſt vni viro, id eſt, CHRISTO. Talis virgo ſacra fuit Petronilla, talis Cæcilia, talis Agnes. Poſtea in collegia coiuere, ac ſanctiſſimis viuendi legibus a patribus acceptis, vitã virginitate di-

gnum

Universidad de Deusto Biblioteca

gnam agere cœperunt, mos deoſculandi pedes pontificũ, ne longè exẽpla petamus, à CHRISTO præceptore noſtro cœpit. Is ſummus ſacerdos & pontifex maximus tulit, vt mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, ſicut teſtis eſt Lucas, ſibi pedes primùm flens lachrymis rigaret, capilliſque tergeret, ac deinde deoſcularetur, velut apud Hebræos mos fuerat Chriſtos Domini venerari. Voluit item procul dubio Cornelius Centurio pedes apoſtoli Petri oſculari, ſed pater manſuetudinis plenus id fieri non eſt paſſus, qui eleuãs eum ſibi ad pedes iacentem, dixit: ſurge, & ego ipſe homo ſum. O vocem memorabilem, atque ſalutarem, ſi bene multi hodie ſeſe quoque homines tantum eſſe perpẽderent, qui propterea quòd ſacerdotio præditi ſint, planè ſe reliquorũ mortalium, longè poſt hominum memoriam imperioſiſſimos dominos præbent, non communes patres, vti fieri deberet. Ita vſu venit, vt nos pontificum noſtrorum pedes exoſculemur: illúdque inſtitutum à Romanis pontificibus dixerim, quò mos ille oſculãdi antiquus à deorum etiã cultoribus ſeruatus, ad veram pietatem vſurparetur. Perinde quandoque expedit, ad alliciendos hominum animos ad veram religionem, vt quod apud illos honori antea fuerat, non tollatur penitus, ſed ſanctiore inſtituto ad cõſimilem adhibeatur cultum.





tum. Nã, vt Plutarchus teſtatur, ſacerdotibus Romanis nec habere nec petere magiſtratum permittebatur, lictore tamen & ſella curuli vtebantur, vt iis delinti vltrà nõ quærerent: in templis prope ianuam lecticam habebant, tanquam cuſtodes & refugium: pedes iis reliqui oſculabantur. Quin & aliis ſummis viris id genus honoris habebatur, cuius rei teſtis eſt Seneca, ſcribens Caium Cæſarem porrexiſſe ad oſculandum ſiniſtrum pedem Pompeio Pœno, vt ita oſtẽderet ſocculum auratum, margaritiſque diſtinctum. Idem Pomponius Lætus affirmat ita ſcribens: Imperatores antea manus exoſculandas nobilibus præbebãt, poſt ſuis manibus ſubleuabant ad oris oſculum, vulgus genua exoſculabatur. Diocletianus edicto ſanxit, vt omnes ſine generis diſcrimine, proſtrati pedes ſibi exoſcularentur, quibus etiam venerationem quãdam adhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis, & margaritis, quod feciſſe antea Caium Caligulam memorant. Is honos hodie Romano pontifici fit, qui adeuntes ſe ad ſacra pedum oſcula admittit: cæteri verò antiſtites dexteram manum auerſam adeuntibus religioſè oſculandam porrigunt, quod vel ab ethnicis ſumptum cõſtat. Plinius enim libro XI. dicit religionem aliquam eſſe in dextera, quæ in fide porrigitur, quæ oſculis auerſa appetitur. Teſtatur idem

Universidad de Deusto Biblioteca

Apuleius libro Aſini ſui ſecundo, vbi cùm de propheta Aegyptio meminit, ait: Et cum dicto iuuenem quempiam linteis amiculis intectum, pedéſque palmeis baxeis indutum aduſque, deraſo capite producit in medium, huius diu manus deoſculatus, & cætera. At contrà faciebant Numidiæ reges, qui teſte Valerio Maximo more gentis ſuæ, nulli mortalium oſculum ferebant. Solemus inſuper & oſculo ſalutare, id quod antiquum eſt, quando ſatis conſtat Hebræos ſic conſueuiſſe in oſculum excipere hoſpites, atque hoc pacto ſalutare adeuntes ſe. Ad hunc modum Iacob vt vidit puellam Rachel, ore eſt prius oſculatus, quàm illi indicaret ſe eius eſſe auitinum. Et Laban pater ipſius Rachel vt nouit Iacob filium Rebeccæ ſororis ſuæ, complexus eſt eum ruens in oſculum. Sic CHRISTVS ſalutantes ſe oſculari ſolitus erat. Sic Paulus beneuolentiæ animorúmque charitatis oſculo ſalutandum cenſuit, qui in extrema ſecunda epiſtola ad Corinth. ſcripſit: Salutate vos mutuò ſancto oſculo. Hinc ego dixerim apud Romanos inſtitutum fuiſſe, vt mulieres cognatos ore oſcularentur: cuius rei etſi Plutarchus in Problemat. alias ponit cauſas, quòd mulieribus Romanis vini vſus interdictus eſſet, & idcirco ne bibentes laterent, ſed domeſticorum congreſſu redarguerentur, oſculandi conſuetudinem introdu





troductam. An quod mulieres Troianæ cùm ad Italiæ litus acceſſiſſent, & viri ad vnum omnes in terram deſcendiſſent, naues incenderunt, quia ſe iam diuturni laboris pertæſæ maris tæderet, quæ metu deinde virorum pauidæ, oſculando ac blandè appellando mitigaſſent eorum animos, ſibique reconciliaſſent? Hinc manſit poſtea conſuetudo, vt hac inter ſe comitate vterentur, fuitque præcipuum cognationis ſignum poſt cognatorum connubia lege prohibita: quod nunc vbique gentium ſeruatur, & præſertim apud Anglos, quorum mulieres non cognatos modo, ſed quoſcunque generatim oſculo tantum ſalutant, reſalutántque: & illud quidem prioribus, vti dicitur, labris, tam decentiſſimè quàm honeſtiſſimè faciunt. At quæ regio ſunt ſanguine editæ, non oſcula inferioribus libant, ſed manum auerſam porrigunt, perinde ac viri inter ſe ſalutationis cauſa ſolent dextram iungere dextræ. Quòd ſacerdotes ante diem feſtum paſchæ ſibi inuicem, quódq; prophani qui ſuperiores ſunt, inferioribus pedes lauant, id fuit etiā CHRISTI inſtitutum, qui vt humanitatis documentum omnibus præberet, apoſtolis pedes eodem die lauit, quibus prout Ioannes cōmemorat, & dixit: Vos vocatis me magiſter & domine, & bene dicitis, ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros dominus & magiſter, & vos debetis

Universidad de Deusto Biblioteca



alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Quod inſtitutum manſit poſtea cum oſculandi ritu, & vtrunque commemorat Tertull. lib. ad vxorem altero.

Qui primi apud Romanos inſtituerint ſacerdotes flamines, virgines veſtales, pontificem maximum, ſalios, feciales, patrem patratum, regem ſacrificulum, augures, epulones, ſodales, Titios, & aruales, ac ſingulorum officia, & quæ procurarent ſacra, & de primo lectiſternio, atque librorum Sibyllinorum origine. CAPVT XIIII.

FLamines, id eſt, ſacerdotes, Numa Pompilius ſecundus Romanorum rex inſtituit: is enim rex creatus nihil prius habuit, quàm præferocem populum ad pacis & iuſtitiæ cultum à rei bellicæ ſtudiis auertere, ſacriſque obligare. Itaque primum conſtituit annum ad curſum lunæ, digeſtum in duodecim menſes, vti alio eſt loco à nobis dictum: feſtóſque deinde dies: flaminem vnum Ioui creauit, qui dialis eſt dictus: eum inſigni veſte curuliſque ſella ornauit. Is mortua vxore, vt ait Plutarch. in Problema. ſacerdotio ſe abdicabat, velut alter cenſor vita priuato collega, magiſtratu abibat. Non vehebatur equo, neque noctem vnam extra vrbem manebat, vt ſi longius profectus eſſet, ne ſacra,





eius abſentia negligerentur. Item iurare eidem minimè licebat, eò quòd tormenti quoddam genus ſit homini libero iuſiurandum, præſertim ſacerdoti, cui cùm diuina credita ſint, paruam habere fidem, abſurdum cenſetur. Vtinam vtrumque noſtri attenderent epiſcopi in primis, qui ad ſuum munus fungendum haud ſemper præſtò ſunt, propter quod res religionis meliore in caſu minus ſunt, & noſtri magiſtratus, qui volunt pro re etiam minima, ſacerdotes iureiurando adigere, cùm iis in primis illud tantum fari liceat, Eſt, eſt, non, non. Sed domum repedemus. Duos deinceps Numa adiecit flamines, Marti vnum, alterum Quirino. Plutarchus huius rei autorem facit Romulum, aitque ab eo flamines Ioui & Marti, non à Numa creatos: cui opinioni Liuius minimè aſſentitur. Hos ab inſigni quod capite geſtabant, quaſi filamines dictos exiſtimãt quidam, alij à pileis quaſi pilamines: ſed inſula quæ illorum capitibus hærebat, quæ flamina, vt Dionyſius ſcribit, eſt dicta, iis verius quàm vox alia nomen dedit. Item virgines veſtales Numa elegit. Quæ ſacra in Italiam per Aeneam adducta fuerant. Vergilius:

*Sic ait, & manibus vittas Veſtámque potentem,*
*Aeternúmque adytis effert penetralibus ignem.*

Veſtam matrem Saturni, & alteram ex Opſ filiam ferunt: de hac virgine Ouidius in Faſt.

> Semine Saturni tertia Veſta fuit.

Et modo eam ignem ponit, dicens:

> Nec tu aliud Veſtam quàm viuam intellige flammam.

Modo terram:

> Sic inceſta perit, quia quã violauit, in illã
> Cõditur, & tellus Veſtaq; numẽ idẽ eſt.

Beneconuenit, vt Veſta terra ſit, et ignis, quia terræ incluſus eſt ignis, id eſt naturalis calor, quibus cuncta producuntur. Poſuit illi templum Albæ Aſcanius. Fuit & Romæ ædes inter Palatium & Capitolium forma penè ſphærica, qua terra pingitur, conſtituta. Tradit Aulus Gellius, primæ quæ huiuſmodi ſit adhibita miniſterio, Amatam nomen fuiſſe, ac propterea reliquas deinceps omnes Amatas appellatas: dicique non electas, neque creatas Veſtales, ſed captas, eò quòd capiebatur à potifice de manu patris Veſtalis virgo: neque capi poterat minor annis ſex, neque maior decem, & quæ ex ſeruis nata, aut corpore manca, ſenſuve diminuto foret. Romæ primò Gigania & Berenia captæ: mox totidem additæ, Camilla & Tarpea. Huic numero Seruius Tull. duas nouiſſimè adiecit. Hæ decem primos annos ſacrorum ritum perdiſcebant, totidem deinde operam dabant ſacris: tertio decẽnio rudes & nuper captas inſtruebant. poſtea verò ſi qua





id ætatis nubere voluiſſet, fas erat, alterũ mallet ſequi. Cæterùm quando illis quæ coniugiũ ſecutæ fuiſſent, malè vertiſſet, plures ad mortem vſque in religione perſeuerabant. Stipendium iis Numa de publico ſtatuit, & eas denique perpetua virginitate aliiſque cærimoniis venerabiles fecit: carpento vehebantur, magiſtratúſque illis aſſurgebant, ac fortuito occurſu, ſontem ſupplicio eximebant, ignem perpetuum ſeruabãt, qui ſi per incuriam extinctus eſſet, cuſtos flagro à pontifice maximo cui ſuberant, cædebatur. Si qua inceſti conuicta eſſet, ante ora ciuium, mœſto ſilentio efferebatur, viuáque circa Collinam portam, in ſubterraneum ſpecum dimiſſa, terráque ſtatim ſuperiniecta necabatur. Atque hoc ſacerdotium Alba oriundum per hunc modum fuit Romæ inſtauratum. Pontificem præterea maximum Numa Martium Marci filium ex patribus creauit, cuius poteſtati omnia ſacrorum iura ſubiecit, ac quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ tẽpla, ſacra fieri oporteret, formulã docuit, cõſtituitq; eum, teſte Feſto, iudicem ac arbitrum rerum æquè diuinarum vt humanarum. Fuit id, credo, certum portentum, quo eſt ſignificatum, vrbem Romam poſtremò perinde pontificia maieſtate, qua nunc latè patet, gentibus moderaturam, atque olim potẽtia imperaſſet. Idem Gradiuo Marti duodecim ſacrauit ſalios, tunicaq;

Universidad de Deusto
Biblioteca



pictæ inſigne dedit, & ſuper tunicam, æneum pectori tegumentum, cœleſtiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre, ac per vrbem ire canentes carmina, cum tripudiis ſolennique ſaltu, vnde nomen traxerunt, iuſſit. Videtur Numa in hoc, velut in pleriſque aliis, Hebræos æmulatus: legimus enim Dauid ante arcã fœderis ſaltando proceſſiſſe. Ancile, ſcutum breue ac rotundum, regnante ipſo Numa, è cœlo lapſum in ſæuientis peſtis remedium, vulgò crediderunt. Ouidius in Faſtis:

> Ecce leui ſcutum verſatum leuiter aura
> Decidit, à populo clamor ad aſtra venit. Et infert,
> Atque ancile vocant, quod ab omni parte reciſum eſt,
> Quáque oculis ſpectes, angulus omnis abeſt.

Et cùm aruſpices reſpondiſſent, illic fore orbis imperium, vbi ancile illud conſiſteret, diligentia Numæ, ne ab hominibus vnquam auferri poſſet, à Mamurio fabro multa ſimilia facta ſunt, & in templo Martis poſita. Inter tot ſacros ordines, poſuit & feciales ſacerdotes, quibus id dedit negotium, vt Romani nullum iniuſtè bellum inferrent cuiquam. Cneus Gellius annalium ſcriptor, id ab Ardeatibus prodidit acceptum, alij ab Equiculorum gente. Satis conſtat Numam bellum Fidenati-

bus



bus indicturum ob excurſiones in Romanum agrum factas, ne non omnia ritè fierent, feciale ius, & collegium poſtremò conſtituiſſe. Ii ſi qua per iniuriam Romanis adempta eſſent, repetebant ab hoſte: quæ ſi minus reddita eſſent, bellum compoſito ad id carmine indicebãt. Pari poteſtate petentibus iuſtè res, dabant ſontes ad ſupplicium, legatorum iniurias vindicabant. Ad hos item pertinebat, fœdera iure percuſſa tueri, pacem ſancire, eãdem, ſi minus legitimè pacta eſſet, irritam facere, & ſi quid Imperator vel exercitus deliquiſſet, ſcelus expiare. Feciales autem à fero ſiue à facio dicti, quòd apud eos belli paciſque ferendæ ſeu faciendæ ius eſſet. Fuit & ſacerdotium Patris patrati, qui Romæ ad iuſiurandum patrandũ, hoc eſt, ad fœdus ſanciendum eligebatur: fecialis eum faciebat, verbena caput capillóſque tangens. Primus Romæ fecialis Marcus Valerius patrem patratum Spurium Fuſium fecit. Poſt exactos reges, cœpit rex ſacrificulus creari, is primus fuit Manius Papyrius, qui ne in re vlla regis præſentia deſideraretur, ea ſacra obibat, quæ reges facere conſueſſent. Et id ſacerdotium pontifici maximo ſubiecere, ne quid regium nomen recẽti libertati officeret. Erant præterea augures, de quorum origine alibi diximus. Epulones, qui indicendi Ioui cæteriſq; diis epulas poteſtatem habebant, veteres ponti-

 fices

Universidad de Deusto
Biblioteca



fices inſtituere: nam, vt inquit Cicero, pontifi-
ces propter multitudinem ſacrificiorũ, tres vi-
ros epulones eſſe voluerunt, qui triumuiri epu
lones appellabantur. Iis poſtea præpoſitus eſt
rex ſacrorum, id eſt, ſacrificulus. Additi dein-
de fuerunt alij tres viri, qui ſacris libris legen
dis, carminibusque Sibyllæ præeſſent. Iſti, quo-
ties prodigia magnos aliquos rerum euentus
auſpicantia emergerent, lectiſterniũ ad pul-
uinaria deorũ factis, ſacris ſupplicijsque pla-
cabant, qui & ſodales Titij vocabantur. ſic ſe-
ptem viri epulones dicti ſunt. Hos Titios ſo-
dales, autore Cornelio Tacito, Romulus initã
cum Tito Tatio ſocietate, primus creauit.
Idem primus, vti Plinius perhibet, aruales ſo-
dales inſtituit, ſeque inter alios, duodecimum
fratrem appellauit, vt arua fruges ferrent: &
propterea eius ſacerdotij inſigne fuit ſpicea co-
rona, autor Gell. Sacra quæ iſtiuſmodi ſacerdo
tibus in primis curæ eſſent, hæc fuiſſe reperio,
lupercalia, ſaturnalia, de quibus alibi meminiſ
mus. Bonæ deæ, quam alij aliam fuiſſe dicunt,
ſacra in Auentino in eius tẽplo fiebant, ad quæ
viri non ingrediebantur. Floralia deæ Floræ
pridie calendas Maij dicata. Hanc Liuius &
Dionyſius meretricẽ fuiſſe tradunt, cui vt deæ
ob id magnus eſt habitus honos, quòd populum
Romanum feciſſet heredem, quæ & fructibus
cunctis præeſſe credebatur: celebratur autem à

mere



meretricibus cum coronis & veſtium varieta-
te, temporis lætitiam florumq; ſignificantibus.
Terminalia, quòd Numa rex Iouis Terminalis
lapides ſacraſſet, terminosq; poſuiſſet in agris
quò vnuſquiſque ſuis finibus contentus eſſet.
Romani poſtea eius pietatis monimenta diu ſer
uarunt, terminos ipſos deos vocantes, vt fidos
agrorum finium cuſtodes: quibus ſacrificabãt,
non animal vllum immolantes, nã impium du
cebant ſacros cruentare lapides, ſed liba fru-
ctuumque primitias afferentes. Vinalia, quæ
cauſa vini, ſicut robigalia cunctorum, circiter
VII. Calendas Maij celebrabantur, quia tunc
robigo ſegetes ſoleat occupare. Bacchanalia,
quæ nos ſuprà lib. III. & Liuius dicit ex ſe-
natuſconſulto, vt bonis moribus peſtifera, Ro
ma expulſa fuiſſe: noctu enim fiebant, vbi nu-
dus vterq; ſexus impuriſſimè commiſcebatur.
Cerealia Cereris deæ ſacra, quæ Triptolemus
primus inſtituit. Sacerdotes veſtibus vteban-
tur albis, & noctu cũ facibus currebãt, vinum
non bibebant. Inſuper & ieiunium inſtitu-
tum quinto quoque anno, prodigiorum cauſa.
Ouid. etiam à Venere abſtineri dicit, quod ca
ſtitati præſit. Solitaurilia, quum tribus hoſtiis
diuerſi generis, tauro, ariete, & verre immola
batur. Feſtum diem ſeptimontium Plutar. in
Problematibus ponit, cũ ſeptimus mõs eſt vrbi
quaſi tum demũ finitæ additus. Quinquatria,

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca



quæ Mineruæ Calendis Martij v. dies fiebant, quo tempore, vt teſtatur Hieronymus, munus Minerual appellatum, pueri quando vocabãt, magiſtro offerebant. Item quinquatres minores eidem Mineruæ ſacri, Idibus Iunii, quando tibicines perſonati per vrbem incedebant, vt illi qui aliàs ebrij Tybure Romam reducti fuiſſent, indicarẽtur perſonati eſſe inter alios ignotos. Ouidius:

Cur vagus incedat tota tibicen in vrbe,
Quid ſibi p'ſonæ, quid toga lõga velint?
Callidus vt poſſit ſpecie numeroq; ſenatum
Fallere, perſonis imperat ore tegi.
Admiſcetq; alios, vt et hunc tibicina turba
Augeat, in longis veſtibus ire iubet.

Ac plura alia feſtorum dierum genera vana ſuperſtitione obſeruabantur, quæ exponere nimis omnino otioſum foret. Erant & ludorum varia genera, vt Circenſes, Gladiatorij, Megalenſes, ita dicti quòd in honorem Magnæ matris deorum fiebant: Græci enim μέγα magnũ dicunt. De iis Herodianus in Commodo ita ſcribit: Veris initio ſtato ſolennique die pompam Matri deûm Romani celebrabant: in ea, quæ apud quenque ſunt diuitiarum præcipua, ſupellexque pleraque imperatoria materiæ aut artis ſpectandæ præferri ante deam ſolent, paſſimq; omnibus ludẽdi licentia permiſſa, ſic vt perſonas induant quas cuiq; libitum,

nullam



nullamque non magiſtratuum quoque imaginem, prout cuiuſque ſtudium, repræſentent, ita vt non temere à falſis veros dignoſcas, &c. Sed pro hominum ſalute, ludi in primis ſeculares celebrabantur, cum lectiſternijs, quorum initium dæmonum vtique malorum operatione factum conſtat. Siquidem Valeſius quidem vir locuples, tribus quos habebat filijs peſtilentia laborantibus, dum ante focum ſuos penates orat, vt ſaluis pueris in ſuum caput id mali vertatur; ecce tibi, vox repentè audita, filios ſaluos fore, ſi Terentum duxerit, ibique ex Ditis patris & Proſerpinæ ara petita aqua recrearit. Pater quamuis anxius, quòd longius ſibi eundum eſſet, tamen ex ſua villa ire pergit, alteráque nocte ad campum Martium per Tybrim delatus, cùm in naui non eſſet ignis, iubetur à gubernatore ire Terentum ad locum proximum: qui audito Terenti nomine iam certò ſciens eò ſe perueniſſe, quò deorum vocaret oraculum, aquam calefacit, dátque bibendam pueris. Illi epota aqua ſalutari quiete ſopiti, continuò omni morbo liberantur, vocatóque parenti narrant ſe à dijs adiutos, admonitóſque vt eò loci mactatis furuis, id eſt, nigris hoſtijs, lectiſternia ac ludi nocturni ad aram Ditis & Proſerpinæ fierent. Valeſius maiorem in modum gauiſus incipit primo quoque die terram fodere aræ erigen-

dæ

de cauſa, ſed ibidem reperta ſub terra ara, Diti patri & Proſerpinæ inſcripta, hoſtias mox immolat, tribuſque continuis noctibus, quia totidem filij morbo leuati fuerant, lectiſternia atque ludos facit, arámque terra obruit, prout antè fuerat. Poſt hæc Valerius Publicola, qui primus fuit Romæ conſul, idem ſacrum ægrotantibus ſuccurrendi gratia celebraſſe dicitur, ſed non ſolenni pompa. Ex quo Liuius libro v. de ijs ludis ita ſcribit: Triſtem hyemem grauis & peſtilens omnibus animalibus æſtas excepit, cuius inſanabilis perniciei quādo nec cauſa nec finis inueniebatur, libri Sibillini ex ſenatuſconſulto aditi ſunt, duumuiri ſacris faciundis lectiſternio tunc primùm facto, per dies octo, Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, tribus quàm ampliſſimè tum apparari poterat, ſtratis lectis, placauere. Priuatim quoque id ſacrum celebratum. Lectis enim antiqui cubantes epulabantur, aut deorum iræ placandæ cauſa, in templis conuiuia concelebrabantur tribus dijs, Ioui, Iunoni, & Mineruæ: & ſimulacrum Iouis in lectulo ponebatur, Iuno verò & Minerua in ſellis conſidebant, ſi quidem fœminæ cum viris cubantibus, autore Valerio, ſedentes cœnitabant. Ita ſeptem epulones conuiuia celebrabant ad deorum puluinaria, quæ lectiſternia appellata ſunt. Et hæc origo lectiſterniorum, atque ludorum ſecula-

rium,



rium, quia ita vocati ſunt, quòd ſemel in vno ſeculo (eſt enim ſeculum c. annorum ſpatium) fierent, tametſi mos non ſemper ſeruatus eſt. Iam oportet demonſtrare, & vnde illi libri Sibillini, de quibus ſuprà facta eſt mentio, ad Romanos allati fuerint, quos ſumma religione iuxtà ac obſeruantia cuſtodiebant, & cùm dij publicè conſulendi eſſent, ad eos libros tanquā ad oraculum quindecimuiri adire ſolebant. Itaque Dionyſius lib. IIII. ſcribit anū quandam incognitam tuliſſe libros nouem ad Tarquinium ſuperbum, affirmantem eſſe eos deorum oraculis plenos, dixiſſéque velle ſe vendere non minus trecentis Philippeis aureis, & rege rem ludibrio habente, illam tres coràm combuſſiſſe: ac rurſus pro reliquis idem pretium poſtulantem, rege tum magis anus inſaniam deridente, tres alios exuſſiſſe, atque iterum rogaſſe vt pretium daret, tum regem miratum conſtantiam mulieris emiſſe libros tres: &, quia anus accepto pretio nuſquàm poſtea viſa eſt, iam tum creditum, eam Sibyllam fuiſſe, cui quemadmodum poeta ait, magnam mentem animúmque Delius inſpiraſſet vates: nam Sibylla dicta eſt, quòd Dei noſſet conſilium: σιὸς enim lingua Aeolica Deus vocatur, βολὴ autem conſilium. Curabant & Apollinares ludos, qui, teſte Liuio, libro decadis tertiæ quinto, primùm inſtituti ſunt bello Punico

ſecun

ſecundo, voti Apollini ob victoriam adipiſcen
dam, hoc eſt, ad expellendum Annibalem ex
Italia. Data ſunt prætori XII. millia æris
ad rem diuinam, & duæ hoſtiæ maiores, at
iuſſum, vt Græco ritu ſacrum facerent Apolli-
ni, boue aurato, & capris duabus albis aura-
tis: Latonæ boue fœmina aurata, & in circo
maximo populus coronatus ludos ſpectaret,
atque matronæ ſupplicarent, vulgoque aper-
tis ianuis, & in propatulo epularentur, quo
dies celeber omni cærimoniarum genere fieret.
Plebei conſtituti poſt exactos reges, pro plebis
libertate, ſeu pro recõciliatione poſt ſeceſſũ ab
ea factum in Auentinũ montem. Et demum id
genus permulti fuere, qui penitus obſoleuerũt.
Tantum ex omnibus, vſq; ad hunc diẽ, durant
taurij ſiue taurilia, ludi apud portam Terge-
minam quotãnis celebrati, qui prius, ſicut tra-
dit Varro, in circo Flaminio edebantur, & au-
tore Feſto, inſtituti dicuntur, quòd regnante
Tarquinio Superbo, magna incidiſſet peſtilen-
tia in mulieres grauidas, quæ contracta fue-
rat ex carne taurorum diu vendita populo: ab
hoc ludi taurij dicti, & dijs inferis dicati ſunt.
Habebant inſuper & conuiuiorum celebratio-
nes, quæ aut erant conuiuia pontificalia, quæ
in ſacrificijs à ſacerdotibus parabantur: aut
triumphalia, quæ poſt victoriam Imperator
vel dux populo dabat: aut funebria, vt ita





honor haberetur demortuo. Dabantur item vi-
ſcerationes, id eſt, caro cruda, congiaria, &
miſſilia, quæ ſpargebantur, vt puta velaria, li-
nea, odores, vnguenta, cùm alijs temporibus,
tùm maximè Saturnalibus in theatro,
vt Suetonius in Caligula: Spar-
ſit & miſſilia variarum rerum.
Atque tale fuit apud Ro-
manos rerum ſacrarum
initium, quarũ bonam
nos partem accepi-
mus, vti appo-
ſitè per nos
explica-
tur.

LIBRI QVARTI FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# POLYDORI VERGIL. VRBINATIS DE INVENTORIBVS RERVM

# LIBER V.

Vnde noſtris conſuetudo ſit feſtis diebus exornare templa, ac in illis offerre cereas imagines, tabellásque miraculorum ponere, item conuiuari, cùm quis præſertim ſacerdos primam celebrat miſſam.

CAPVT I.

SVperiore volumine, quo denique pacto Chriſtiana religio propagata fuerit inter mortales, & de initio ſacerdotij apud Hebræos & Romanos, ac nouiſſimè apud nos, & illud in quot officiorũ gradus abiuerit, abundè explicauimus: nunc autem peregrinos ritus ab ethnicis, id eſt, gentibus non Chriſtianis (ἔθνος enim gens dicitur) acceptos, atque reliqua perſequemur, quæ noſtri iam ſuſcepti ſunt muneris. Cùm igitur multa ab Hebræis, & non pauca ab Romanis cæteriſque ethnicis ad nos inſtituta manauerint, poſcit locus, vt appoſitè ea perinde commemorem



memoremus, quæ ab his accepimus: atque animè conuenit tacita relinquere, quæ ab illis ſimus mutuati, cùm præſertim illa ipſa meliora fecerimus, ad melioremq; vſum adhibuerimus. Sunt itaque multi ritus propè germani, ex quibus & hic eſt. Porrò apud nos feſtis diebus templa & domus nuptiales aulæis exornantur: lauro, hedera, aliiſque feſtis frondibus veſtiuntur fores, ac veſtibula coronantur, ſparguntúrque floribus. Quæ herclè omnia ipſi idolorum cultores antea ſeruabant. Vergilius:

Nos delubra deûm miſeri quibus vltimus eſſet
Ille dies, feſta velamus fronde per vrbem.

Et alibi:

Et varijs florentia limina ſertis.

Item Iuuenalis teſtatur.

Poſtibus & denſos per limina tende corymbos.

Lauros quoque adhiberi ſolitas cauſa gaudiorum, indicat, cùm ait:

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnũ
Cretatúmque bouem. Tradit idẽ Tertul.

Quid, quòd Martinus primus Romanus pontifex hæc eadem, quæ in canonicis Decretis, cau. XXVI. quæſt. VII. ſcripta leges, & teſtatur, & vetat? Conſimiliter ritus offerendi cereas imagines, ab iiſdem eſt profectus: cùm enim Pelaſgi teſte Dionyſio Halicar. quem etiam

Universidad de Deusto Biblioteca

alibi ſuper hac re citauimus, ſedibus pulſi Dodonam perueniſſent, ibi accepto reſponſo, quo admoniti ſunt, vt Siculorum continentem terram quærerent, in Latium demum poſt multos errores venientes, in lacu Cutilienſi enatam deprehenderunt inſulam, quã Cotilliam nominarunt. Hoc igitur quaſi omine ſuſcepto, has ſibi prædictas eſſe ſedes didicerunt. pulſiſque inde Sicilienſibus incolis, regionem ipſi tenuerunt, decima prædæ ſecundum reſponſum Apollini conſecrata: erectoque Diti ſacello, & Saturno ara, illum humanis capitibus, hunc virorum victimis placare ſe exiſtimabant, propter oraculum, in quo erat.

Et capita inferno, & patri tranſmittite lumen.

Saturni ſacra, vt quidam volunt, ſaturnalia nominantes. Poſt hæc ferunt, Herculem cum Geryonis pecore per Italiam redeuntem, ſuaſiſſe illorum poſteris, vt fauſtis ſacrificijs infauſta mutarent, offerẽtes Diti non hominum capita, ſed oſcilla ad humanã effigiem formata, quaſi parua ora, vt pars pro toto foret: et Saturni aras non mactatis viris, ſed accenſis cereis excolentes, quia φῶς non ſolùm virum, ſed etiam lumen ſignificat. Inde ergo valuit conſuetudo, vt Saturnalibus, & cerei miſſitarẽtur & ſigilla, id eſt, oſcilla, arte fictili fingerẽtur, ac venalia exponerẽtur, quæ homines pro ſe ac





ſuis piaculis Diti & Saturno offerrent. Hæc quodammodo noſtra vaticinabantur ſacra: nam ſic & nos eadẽ ex cera ſigillaria, hoc eſt, imagũculas templis offerimus, & oſcilla: quoties enim pars aliqua corporis læſa fuerit, vt puta manus, pes, mãmilla, ſtatim vota facimus Deo, & eius diuis quibus mox ſanati, illam manũ illum pedem, illam mammillam ex cera formatam offerimus. Quæ conſuetudo ſic increbuit hactenus, vt iſtiuſmodi ſigillaria ab hominibus ad reliqua animalia trãſierint: ſanè ſic pro boue, ſic pro equo, ſic pro oue, oſcilla templis ponimus: in qua re quiſpiã verecundè ſcrupuloſus fortaſſis dicet, ſe planè neſcire, an nos priſcorum religionẽ potius vel ſuperſtitionem æmulemur, cum talia Chriſtianæ eccleſiæ rectores etiamnũ admittant: quando autore Catone de Re ruſtica, ſic Romanorum moris fuit, pro bobus, vt valerẽt, vota facere, cuius rei modum valde mehercule ridiculum ille ibidem ponit. Hinc etiam cõſentaneũ eſt fluxiſſe, vt nos quoque cereos offeramus, illiſq; accenſis cælicolas colamus, ſicuti ad Saturni aram eſt factitatum: quod præſertim in feſto purgationis virginis die obſeruatur, vt quaſi ipſi cerei ſint apud nos loco agni anniculi, columbarũ & turturum, quæ munera Moſes conſtituit à puerperis luſtrico die ad templum deferenda. At vſus penſilium lychnorum, ſiue, vt Seruio pla-

eſt, lychinorum, hoc eſt, lucernarum vel lampadum, quas vocant, à lucernis veniſſe videtur, quas Moſes in tabernaculo accenſas ſeruari inſtituerat. Quòd verò tabellas in templis affigimus, quibus miracula inſcripta ſunt, vt ea ad poſteros teſtatiora ſint, hoc ex Græcis eſt, apud quos, teſte Strabone, libro Geogra. VIII. mos fuit in tẽplo eius Dei qui auxiliatus eſſet, & præſertim Aeſculapij, quod Epidauri inſigne erat, tabellas appendere, in quibus morbi ſanati erant inſcripti. Sic à Romanis ſumptũ eſt, vt & ſacerdotes pariter atque prophani, diebus feſtis cõuiuia non ternis aut ſenis ferculis, ſed vicenis, ſi fieri poſſit, ſuis præbeant amicis. Quinetiã iam ita vſu venit, vt non cenſeatur eſſe feſtus ac ſolẽnis dies, niſi ſit opiparo comitatus conuiuio. Eſt & illud ab iiſdem ethnicis, vt ſacerdotes noſtri cùm primũ rem diuinam faciunt, hoc eſt, primã celebrant miſſam, cõſacerdotes & amicos cõuiuio accipiãt, eundemq́; diẽ non minus religioſè quàm natalem colãt, vti auſpicatò ſacerdotalẽ introitum adeũtes: & id quidẽ non immeritò, quoniã ex illo vita tantũ, ex hoc verò vita ſancta producitur; Ita apud veteres, idẽ dies quo quis ſacris initiabatur, natalis ſacrorũ appellabatur, religioſoq́; ientaculo celebrabatur. Vtrunq; Apuleius libro Aſini vndecimo, teſtificatur, cum ita ſcribit: Exhinc feſtiſſimũ celebraui natalẽ





ſacrorum, & ſuaues fuerunt epulæ, & faceta conuiuia, dies etiam tertius pari cærimoniarum ritu celebratus, & ientaculum religioſum. Cæterùm noſtri iam inde à principio conſueuerunt in templis die cœnæ Domini epulari, teſtis Tertullianus, qui in Apologetico, & libro ad vxorem ſecundo de ethnico, ait: Quis enim coniugem ſuã ad dominicum conuiuium dimittet?

Vnde apud noſtros moris ſit, ſpargere pecuniam in populũ, dare epulum & ſtrenam, ducere choreas, edere ſpectacula, exire Calend. Maij in agros, currere Cal. Martiis per arua cum faculis accenſis, & per dominica natalitia miniſtrum quempiam facere dominum, ac ante initium quadrageſimæ induere perſonas. CAP. II.

PRæter ea quæ proximè expoſuimus, ex eodem Ethnicorum luxuriæ fonte manauit, vt cùm coronatur Romanus Pontifex, Imperator, & Rex, aliiue principes aliquo inſigni honeſtantur honore, mos ſit ſpargere in populum, non veſtes, non vnguenta, id quod Romanos Imperatores factitaſſe ſuperiore capite oſtendimus, ſed numos argenteos, vel aureos, quò ſic futuræ liberalitatis ſignũ ab inita ſtatim dignitate appareat. Solent ſimul epulum, hoc eſt, publicum conuiuium ciuibus, & præſertim in nuptiis, dare, quod veteres

Universidad de Deusto
Biblioteca



præcipuè Romani, ſiue in triumphis, ſiue in ludis, ſiue in funere ad ſepulcrum, pro hæreditatum facultatibus facere conſueuerant. Iuuenalis:

Vnde epulum poſſis centũ dare Pythagoreis.

Et Tranquillus idem paſſim atteſtatur. Eſt haud dubiè procul & ab iiſdem vſus dandi ſtrenam, id eſt, munus quod in principio anni, boni ominis gratia datur: quãdo idem Tranquillus ſcribit, equites Romanos ſolitos fuiſſe quotannis ſtrenam Auguſto Cæſari in Capitolio etiã abſenti Calend. Ianua. conferre, quod hodie etiamnum apud nos vbique ſeruatur, diuerſo tamen modo. Itali enim ſummi viri dant infimis, in Anglia verò inferiores deferunt ſtrenam ſuperioribus, & regi cuncti principes, qui tamen dantibus aliquid cõtra donat, quò liberalitas vt boni ominis nuntia mutuò communicetur. Quod etiã ſine munere, cum primum anni incipientis diem, more veterum, vt eſt teſtis Plinius lætis precibus nobis viciſſim fauſtũ generatim ominamur. Item imitamur & nauiter ipſos priſcos in pſallendo ſaltandóque, nam illi ita in ſtatiuis ferijs factitabant, teſtis Vergilius:

Pars pedibus plaudunt choreas, & carmi-
na dicunt.

Idem.

Immemores noſtri feſtas duxere choreas.

Morem autem eiuſmodi choreas ducendi La-





uius ab Hetruſcis ad Romanos profectum dicit. Sed & hæc omnia Zacharias pontifex ſimul teſtatur, ſimul prohibet: Si quis Calend. Ianuarij ritu ethnicorum colere, vel aliquid plus noui facere propter nouum annum, aut menſas cũ lampadibus vel epulas in domibus præparare, & per vicos & plateas cantatores & choreas ducere auſus fuerit, anathema ſit. Scriptum leges hoc præſcriptum in Decretis cano. cauſa, quam ſuprà in conſimilem rem adduximus. Verum quàm bellè ſeruetur, ex eo licet exiſtimare, quòd nunc nulla alia de cauſa ſit gratior feſtus dies iuuentuti, quàm vt otium ſit ad choreas ducendas, & id cumprimis apud Italos. Solemus vel more priſcorum, ſpectacula edere populo, vt ludos, venationes, palæſtras, curſus haſtarum, equorúmque ad metam è carceribus, recitare comœdias, item in tẽplis vitas diuorum ac martyria repræſentare, in quibus vt cunctis par ſit voluptas, qui recitant, vernaculã linguam tantum vſurpant. Sic olim apud Romanos in primis, in theatris poëtarum recitabantur poëmata, in amphitheatris beſtiarum, gladiatorúmve ludicra fiebant, varijque per vrbem ludi, quibus plebs oblectaretur. Eſt item conſuetudinis, vt iuuentus promiſcui ſexus lætabunda Calend. Maij, exeat in agros, & cantitans inde virides reportet arborum ra-

mos, eóſque ante domorum fores ponat, & denique vnuſquiſque eo die aliquid viridu ramuſculi vel herbæ ferat: quod nõ feciſſe pœna eſt, præſertim apud Italos, vt madefiat. Hæc vel à Romanis accepta videntur, apud quos ſic Flora cunctorum fructuum dea menſe Maio laſciuè celebratur, ſicut ſuprà diximus: vel ab Athenienſibus ſunt, quod illi in fame in templo Delphico, εἰρεσιώνην, id eſt, ireſionẽ ponebant, hoc eſt ramum oliuæ, ſiue lauri plenum varijs fructibus, autor Herodotus. Sic nos tunc eo anni tempore, cùm virent omnia, quaſi per hunc modum, fructuum vbertatem ominamur, ac bene precamur. Itẽ in Vmbria præſertim inſigni regione Italiæ, vnde nos oriundi ſumus, conſuetudo eſt, vt quotannis pridie Calend. Martias, id eſt, ea nocte quæ primum diem menſis Martij præcedit, crebros paſſim faciant ignes, & pueri facibus, quæ ex arundinibus iam aridis vt plurimum ſunt, accenſis per arua currant, vt precantes fœcunditatem agrorum, tum terra iam fœtum parturiente. Quod acceptum dixerim ab ipſis quoque Romanis, qui quaſi per manus talia nobis ſacra, ſeu celebritates, vel obſeruationes tradiderunt: illi enim, vt antea oſtẽdimus, cerealia Cereri ſacra colentes, cum facibus noctu currebant, quod Ceres ipſa gerendis fructibus, prout Ciceroni placet, & nos alibi do-

cuimus,



cuimus, præſit, & quaſi Geres nominata ſit. Eſt & illud ab iiſdem ad poſteros profectum, quamobrem nunc per dominica natalitia, noſtri miniſtri poteſtatem in dominos habeant, atque vnus eorum dominus creetur, cui cuncti domeſtici ſimul laſciuè & hilares pareãt, vnà cum ipſis dominis, hoc eſt, patribusfamilias. Siquidem hanc libertatẽ ſerui apud Romanos, vti in Iuſtini epitome eſt, Saturnalibus habebant. Inſtitutũ hoc apud Anglos præcipuè cuſtoditur. Sed aliud fuit olim apud gẽtes ſeruorum nomẽ, quod bellorum leges attulerant, vbi capti eſſent: nos autem Dei benignitate ac prouidentia liberi fere omnes ac fratres, autore CHRISTO, vniuſque ciuitatis Dei ciues ſumus, ac propterea quos habemus domi miniſtros, ſerui appellandi nõ ſunt, nedum habendi, quod permulti impudẽter faciunt. Atque hoc libertatis munus vni Chriſtianæ religioni duntaxat acceptum referre debemus. Poſt hunc, alius paris propè laſciuiæ ludus ad nos tranſijt: nam vt illi in quinquatrijs minoribus, & megalẽſibus, perſonati per vrbem ludendo incedebant, ita noſtri morem induendi perſonas nõ vno vel altero die, nec ſacrorum cauſa, ſed turpi inſaniendi ſtudio, duos continuos menſes ante quadrageſimæ initium, ſtolidè ſeruant, ſub quibus inueterata iam delirandi licẽtia, ſexcenta flagitia

quotidie

Universidad de Deusto
Biblioteca



quotidie faciunt, & illud impune perinde quaſi eo modo cuique liceat eſſe ſcelerato, nihil ve maleficij credatur committi, ſi vera hominis facies non videatur, perinde ac nõ pateremus etiam deo, quem nemo ambigit, fandi atque nefandi iuſtum eſſe iudicem, qui & improbos pœna, & probos præmio ſemper afficiat. Vna omnium regionum Anglia eiuſmodi perſonatas belluas hactenus non vidit, nec quidem vult videre: quando apud Anglos, in re hac præ alijs certè ſapientiores, lex eſt, vt capitale ſit, ſi quis perſonas induerit. Et quia ſub idem tẽpus, illud ieiunium quadraginta ſex dierum nobis anniuerſariũ indicitur, ideo quotannis cuncti vbique gentium in noſtro Chriſtiano orbe, ſtudioſius ſolito ganeariis veſcuntur cibis, & nõ parum multi quibus præcipua ventris cura eſt, ad vomitum ſaturãtur, quaſi expleturi futurã eſuriginem, cùm tamẽ eorum etiã intemperatior futura ſit abſtinentia: nam quãuis ab eſu panis & carniũ abſtineant, bellarijs ſe farciunt, & azymũ panem pro fermentato deuorãtes, de ieiunio gloriantur. Sic peccata vndique accumulant, ne aduentante paſcha, vacui aut fruſtra ad ſuos ſacerdotes adeant, à quibus per confeſſionẽ maleficiorum onere leuandi ſunt. Et hæc omnia ex Romanorum Bacchanalibus ad nos fluxiſſe dixerim.

Vnde



Vnde fluxerit mos vngendi ſacerdotes & reges, item baptizatos, id eſt, confirmandi, ac morbo periculoſè laborantes.

CAPVT III.

CVm Moſes tabernaculum ædificaret, fuit illi à Deo præceptum, vt ſacrum conficeret vnguentum, quo ipſum opus vnà cũ vaſis, ac ſimul ſacerdotes & reges perungi poſſent, qui vocarentur ad ſacerdotium, vel regnum. Quo facto, vſus inde increbuit, vt quemadmodum olim Romanis Imperatoribus indumentum purpuræ inſigne fuit regiæ dignitatis inditæ, ſic Hebræis vnctio ſacri vnguenti nomen ac poteſtatem regiam conferret, autor Lactantius. Quapropter Aaron & filij eius primùm à Moſe, poſtea Saul primus Hebræorum rex à Samuele propheta vnctus eſt, autor Ioſephus, lib. Antiquitat. VI. Dúmque Saul puerum præmiſiſſet, ſumens propheta (de Samuele loquitur) vas olei ſuper iuuenis caput effudit, eũmque cõplexus ait: Xſto tu rex conſtitutus à Deo, &c. Ita mos inoleuit, vt hoc deinde modo tam reges quàm ſacerdotes conſecrarentur, quibus propterea ſumma ab omnibus haberetur reuerentia, vt charioribus Deo, dicente Domino Pſal. centeſimo quarto, Nolite tangere CHRISTOS meos, & in prophetis meis nolite malignari. Vocat Chriſtos perunctos, hoc eſt, reges & ſacerdotes. Docet

cet Cyprianus huius rei myſterium: Hoc oleo, inquit, antiquitus ſacerdotes ſacrabantur, & reges: & ipſi altarium lapides delibuti, ſpiritalem intelligi volebant ſacris myſterijs ineſſe pinguedinẽ: & ſicut oleum fluentibus & humidis quibuslibet ſuperfertur, ita excellentia ſacerdotalis & regiæ dignitatis ſecundũ formam Dei & Chriſti, ſub ſe omnia continens, regimen & munimen tam actiuæ quàm contemplatiuæ vitæ obtinet. & reliqua. Manauit & ad poſteros huiuſmodi regum atque ſacerdotum cõſecrationis ratio, qui nunc apud nos ſimiliter ſacro perunguntur chriſmate, etſi longè alijs cærimonijs, prout à patribus inſtitutum eſt. Sic Chriſtiani omnes cũ baptizantur, ſic ædes cum ſacrãtur, vnà cum calicibus, chriſmate liniuntur, quod primùm diuus Sylueſter, teſte Innocẽtio tertio, in epiſtolis decretalibus fieri præſcripſit. Sed iam ad CHRISTI vnctionem veniamus. Solet à ſtudioſis quæri, quonam pacto IESVS fuerit vnctus, & à quo: quam ſanè rem cùm Euſebius in hiſtoria non minus verè quàm doctè explicet, idcirco placuit eius verba ſubijcere, vt rei plus fidei eſſet, quæ hæc ſunt: Qualiter CHRISTVS effectus ſit, Dauid teſtatur dicẽs: Dilexiſti iuſtitiã, & odiſti iniquitatẽ: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Sic indicat, quòd vnctus ſit

Deus



Deus à Deo, non oleo communi, ſed oleo lætitiæ: nec ſicut participes eius, id eſt, illi qui in imagine præceſſerant, ſed præ participibus eius. Per oleum verò lætitiæ in ſacris literis, myſtico ſenſu ſpiritus ſanctus deſignatur. Sed de pontificatu eius idem Dauid alio in loco tale aliquid arcanis deſignat eloquijs, tanquam ex perſona patris de filio pronuntiãtis: De vtero, inquit, ante luciferum genui te. Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum, ſecundũ ordinem Melchiſedech. Hic autẽ Melchiſedech ſacerdos fuiſſe Dei ſummi refertur, ſed quia non oleo communi perunctus, neque ex ſucceſſione generis ſuſceperit ſacerdotium, ſicut apud Hebræos mos erat, ideo ſecundũ ordinem eius ſacerdos futurus dicitur Chriſtus, qui nõ olei liquore, ſed virtute cœleſtis ſpiritus conſecretur. hæc Euſebius. Diuus quoque Hieronymus diſſerens locum pſalmi, Nolite tangere Chriſtos meos, quem ſuprà citauimus, ſi modò Hieronymi ſint commentarij in omnes pſalmos ſcripti, de eadem re perbellè docet, dicens: Erubeſcant ergo Iudæi, qui dicunt, quoniam ſi non aliquis vngatur regali vnguento, non poteſt CHRISTVS vocari: hoc enim dicunt, quoniam Dominus noſter non eſt Chriſtus, quia non eſt vnctus vnguento regali. Ecce ante legem patriarchæ non vncti regali vnguento, Chriſti dicuntur.

Universidad de Deusto Biblioteca

dicuntur. Chriſti autem ſunt, qui ſpiritu ſancto vnguntur. Ergo & Dominus noſter iuſtè vocatur Chriſtus, & reliqua. Origenes itidē latè meminit de hac Chriſti vnctione, in Homil. XII. ſuper Leuiticum. Iam liquidò conſtat, quod exponere polliciti ſumus. Chriſma verò Græca vox eſt, & idem Latinè eſt, atque vnguentum, ἀπὸ τοῦ χρισμοῦ, quæ eſt vnctio. Fiebat autē ex myrrha electa, ireo, cinamomo, & calamis, qui, teſte Plin. in Arabia, India, & Syria, odorati naſcuntur, quæ ſimul contuſa oliuarum oleo miſcebantur: ſic vnguentū ſuauiſſimum cōficiebatur, quo Moſes ipſos ſacerdotes & tabernaculum illiniens purgauit, autor Ioſephus lib. III. Antiquit. At noſtri ex oleo & opobalſamo, quod eſt, vt idē Plin. lib. XII. tradit, balſami arbuſculæ ſuccus, chriſma faciunt, quod Fabianus Pontif. decreuit, vt quotannis renouaretur in cœna Domini, vetus combureretur. Quidā qui de ijs rebus minus ſcitè ſcribunt, hunc errorem non animaduertunt, arbitrātes balſamum ſuccum eſſe, nō arborem, quod omnibus odoribus præfertur, vni terrarum Iudææ cōceſſum. Dioſcorides etiam in Aegypto naſci ait. Lignum verò balſami xylobalſamum nuncupatur. Quod autem epiſcopi baptizatos poſtea chriſmate inungunt, id Clementis primi præceptum eſt, qui iuſſerat infantes à baptiſmo ſtatim

confirmatum



confirmatum iri, ratus non eſſe perfectum Chriſtianum, qui illud ſacrum per incuriam, non inuitus prætermiſiſſet. Et hoc ea ratione fit, vt in eos per impoſitionem manus pontificis, ſpiritus ſanctus infundatur vberius: quod ab apoſtolis fieri cœptum, in Actis teſtatur Lucas, ſcribens: Cùm autē audiſſent apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria ſermonem Dei, miſerunt ad eos Petrum ac Ioannem, qui cùm deſcendiſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent ſpiritum ſanctum, nondum enim in quenquam illorum illapſus fuerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Chriſti IESV. Tunc imponebāt manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum. Atque hoc initium fuit confirmationis, quæ à ſolo epiſcopo adminiſtratur in hunc planè modum. Primum quod infantis nomen ſit, rogat: poſtea in fronte eius circunducit ſuo pollice ſignum crucis, vngendo chriſmate, dicens, verbi gratia: Paule vel Paula ſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, vt replearis eodem ſpiritu ſancto, ac habeas vitam æternam. Amen. Poſtremò alterum infantis malam leuiter manu tangit: ſi verò ſit adultus, grauius verberat, vt eius myſterij reddatur perpetuò memor, dicens, Pax tecum. Sic quoque ab eiſdem apoſtolis vſus vngendi periculosè laborantes



tes.

tes manauit, dicente Euangeliſta Marco, cùm de diſcipulis loquitur: Egreſſi prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant. Hinc igitur apparet natum, vt hodie olei, non admiſſo opobalſamo, animas ex morbo agentes vnguantur. Cuius rei meminit & beatus Iacobus in epiſtola ſua, vnde quidam malunt illum morem vngendi ægrotos manaſſe. Ea ratione poſthac Felix quartus mandauit, vt morientes vngerentur.

### De initio coniugij ſacerdotalis apud Hebræos, & quando illud occidentalibus ſacerdotibus interdictum fuerit. CAP. IIII.

POſcit locus, vt antequam ad alia tranſeamus, aliquid appoſitè de initio coniugij ſacerdotalis ſpeciatim dicamus. Itaque Hebræis ſtudium in primis fuit propagare genus, quò fortaſſe orbis, qui poſt diluuium habitatoribus vacuus erat, oppleretur hominibus. Manſit & ea cura poſteris, quamobrem, vt ait Auguſtinus de Bono coniugij, fas ineſſet plures habere vxores. Arguit idem, quòd eorum legumlator Moſes omnibus æquè coniugium conceſſit, ipſis etiam ſacerdotibus, ne naturali mulierum coniunctione priuati, ad minus licita temerè prolaberentur. Propterea ſi qua mulier non genuiſſet, probro habebatur: quod



Universidad de Deusto Biblioteca



Anna Helcanæ vxor dolens, ſicut in principio primi Regum libri legitur, vouit Domino Samuelem filium, priuſquam conciperet. Sed ad Moſen redeo. Is autore Ioſepho, libro Antiquitatum tertio, capite XIIII. conſtituit, vt ſacerdotes vxores ducerent, etiam viduas, quæ neque captiuæ, neque ancillæ, neque quibuſuis de cauſis per factum diuortium, repudiatæ à prioribus viris eſſent: ſummo verò pontifici voluit virginem nuptum dari. Et hæc apud Hebræos, matrimonij etiam ſacerdotalis ratio fuit, quam ab omnibus obſeruari oportere Seruator noſter demonſtrat, dicens: Scriptum eſt, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Noſtris autem ſacerdotibus apoſtolus in primis Paulus (quia Deus, vti Cyprianus ait, continentiam ſuadet, non iubet) modum contrahendi matrimonij præſcripſit, ita ad Timotheum ſcribens: Oportet igitur epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris maritum. Et paulò inferius: Diaconi ſint vnius vxoris mariti. Sic complexus eſt omnes ſacris initiatos ordinibus. Quod epiſcopis eſt conceſſum, illud ipſum & presbyteris datum quandoquidem ex teſtimonio Hieronymi alibi diximus, olim epiſcopos vocitari presbyteros.

De ſubdiaconis ſiletur, quorum tunc ordo haud ſacer erat. Item Sylueſter primus gradus in ordinibus ſacerdotalibus conſtituit, vt vnuſquiſque vno tantum ordine contentus eſſet, & vnius ſolùm vxoris vir. Eſt operæpretium audire quoſdam ex noſtris theologis ſuperſtitioſè verecundos, detorquere hunc locum ad rem familiarem moderandam, affirmantes per hæc Apoſtolum ſignificare, epiſcopum non debere niſi vnum habere epiſcopatum, & preſbyterum itidem vnum ſacerdotium poſſidere. Super qua re Hieronymus ad Oceanum ita diſſerit: Quidam coactè interpretantur, vxores pro eccleſiis, viros pro epiſcopis debere accipi, & hoc in Nicena quoque ſynodo à patribus eſſe decretum, ne de alia in aliam eccleſiam epiſcopus tranſferatur, ne virginis pauperculæ ſocietate contempta, ditioris adulteræ quærat amplexus. & reliqua. Sed multò futilius nuptias deteſtantur atque perhorreſcunt, nec volunt credere Paulum locutum eſſe vxori: cùm ſcripſerit: Sanè rogo & te compar germana adiuua eas, & cætera. Id quod rectè quadrat, vt mulieri mulieres commendentur Nec obſtat quòd Hieronymus ad Euſtochium ſcribens aliter ſentire videatur, nempe ſic decuit, vt virginis auribus vtcunque multorum exemplis virginitatem inculcaret. Et denique Apoſtolum virginem prædicant,





cant, ex eo potiſſimum quod dixit, Nam velim omnes homines eſſe, vt & ipſe ſum: cùm Apoſtolus per hæc innueret: ſe iam à complexu & commercio vxoris abſtinere, & mente & corpore caſtum eſſe: quod vel Auguſtinus de Bono coniugij declarat, dicens: Sed noui quoſdam, qui murmurant: Quid, inquiunt, ſi omnes vellent ab omni concubitu abſtinere, vnde ſubſiſteret genus humanum? Vtinam omnes hoc vellent, duntaxat in charitate, de corde puro, & conſcientia bona, & fide perfecta, multò citius Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus ſeculi. Quid enim aliud hortari apparet Apoſtolum, vbi ait: Velim omnes eſſe, vt & ipſe ſum? aut alio loco: Hoc autem dico fratres, tempus breue eſt, ſupereſt vt qui habent vxores, tanquam non habeant. hæc Auguſtinus. Arguit Paulus ita ſe feciſſe, dicens: An non habemus poteſtatem ſororem mulierem circunducendi, ſicut & cæteri apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? Appellat vxorem Paulus ſororem, quòd eam iam loco ſororis haberet: quamuis Hieronymus aduerſus Iouinianum, hunc locum magis piè quàm ex re ipſa tractet, quippe qui intelligi vult eas mulieres, quæ ſecundum Iudaicum morem ex ſuis facultatibus quod opus erat magiſtris adminiſtrabant, ſicut Sunnamitis Heliſæo ſuppeditarat, quod omnino à



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſancti viri mente non diſſonat. Sed propoſi-
tum ſequamur. Teſtatur idem Clemens Ale-
xandrinus epiſcopus, quem Euſebius libro Ec-
cleſiaſt. hiſtoriæ tertio citat, & ait: Sed & Pau
lum non tædet Apoſtolum, in quadam epiſtola
ſua mentionem vel ſalutationem facere com-
paris ſuæ, quam ſe ideo negat circunducere,
vt ad prædicationẽ Euangelij expeditior ſit.
Aſſirmat illud idem Ignatius Antiochenus
epiſcopus, qui cum Paulo vixit. Si dubitamus
adhuc, audi quæ idem Clemens aduerſus ho-
ſce ſcrupuloſos ſanctos, qui nuptias ſpernunt,
ſcribat: An & apoſtolos improbant? Petrus
etenim ac Philip. & vxores habuerũt, & filias
etiã viris nuptũ dederunt. Et ſequitur: Aiunt
beatum Petrum cùm vidiſſet vxorem ſuam
duci ad paſſionem, gauiſum eſſe electionis gra
tiæ, & poſt eam proprio nomine appellantem
dixiſſe: O coniunx memento Domini. Sed ec-
quid eſt, cur in re clara moremur? quando Pau
lus ita ad Titum ſcribit: Huius rei gratia re
liqui te in Creta, vt conſtituas presbyteros
per ſingulas ciuitates. Si quis eſt ſine crimine,
vnius vxoris vir, habens filios fideles. hæc ille.
Hunc igitur apoſtolicum contrahendi matri-
monij ritum diu ſeruatum conſtat. At poſtea
res adſtricta eſt, ea quidem ratione, vt ſacer-
dotibus & diaconis liceret virginem habere
vxorem, quæ ſi prior natura conceſſiſſet, ne-





quaquam fas eſſet viro alteram ducere: ſin il-
la ſuperſtes foret, tum vidua perpetuò ſecun-
dos non contaminaret hymenæos. Sic virgines
nubebant, ſpem & votum vxoris ſemel tranſi-
gentes, & adhærebant ad vnum maritum, &
maritus ad vnam vxorem, vt ad vnum corpus
vnámque vitã, nec vlla cogitatio vltrà, néve
longior cupiditas eſſet. Græci eiuſmodi nuptia
rum morem hodie retinent. nam cùm olim, te-
ſte Gratiano, diſtinctione XXXI. habita Ni-
cææ ſynodo, quæ prima fuit, quam terra vidit
Græcia, agitatum eſſet, vt ſacerdotes, diaconi
& ſubdiaconi, ſe cum vxoribus non amplius
commiſcerent, reclamante in primis Paphnu-
tio antiſtite ex Aegypti partibus, viro ſancto
ac cœlibe, qui iamtum, vt ex hiſtoria Ruffini
conſtat, miraculis clarebat, illud non aliud eſ-
ſe, niſi præbere cum viris tum mulieribus pec-
candi occaſionem: vnicuique poſtremò data
fuit facultas, vtrum mallet ſequendi. Ita
ſacris initiati matrimonium continuarunt.
Poſt hæc ſextus conuentus, qui nouiſſimus &
celebratiſſimus fuit, Orientali populo, auto-
re eodem Gratiano, viuendi regulam præſcri-
pſit, ac demũ permiſit ſacerdotes, diaconos at-
que ſubdiaconos, vxores habere, quas priuſquã
ſacris initiarentur ordinibus duxiſſent. Verũ
quemadmodũ decet: vt ſacerdos magis abſti-
neat ab omni macula peccati, qui ſemotus in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tra templum, vſibus ſacerdotalibus, ac Dei miniſterio vacet, cùm præſertim eſt ſacrificium facturus, quò dies & noctes meditetur de lege Domini, qui ait: Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter: ita pari ratione, in eadem ſynodo decretum fuit, vt ſacerdotes cum diaconis & ſubdiaconis, rem diuinam viciſſim facerent, aut in templis adminiſtrarent, & vnuſquiſque ſuæ vicis tempore, religionis cauſa ſecubaret. Quod ab Hebræis ſumptum conſtat, id etiam quod Apoſtolus præcipit, dicens: Ne fraudetis vos inuicē, niſi ſi quid ex conſenſu, pro tempore, vt vacetis ieiunio, & orationi, & rurſum ad idipſum conueniatis, &c. Quin & ethnici religionis cauſa, à fœmine complexu ſecubare ſolebant in ſacris præſertim Cerealibus: teſtis eſt Ouidius. At Occidentalibus paulatim eſt connubium abrogatum. Syricius enim primus ſacerdotibus & diaconis, vt ait Gratianus diſtinctione octogeſima ſecunda, coniugio interdixit, qui circiter annum ſalutis humanæ CCCLXXXVII. ſedere cœpit. Idem inſtituit, vt quicunque aut viduam, aut ſecundam duxiſſet vxorem, ab ordine ſacerdotali pelleretur: ſic per hoc voluit, vt deinceps digamus ad officium ſacerdotis nō admitteretur, prout ſupra commemorauimus. Pelagius ſecundus deinde ſtatuit, vt ſubdiaconi vel vxores à ſe ſepararent, vel illis contenti,

ſacer



ſacerdotiorum poſſeſſione cederent: & cū neutrum admiſiſſent, iuſſit, vt omnino vxores, exēplo poſt homines natos importuniſſimo, ab ſe ablegarent. Verùm id decretū Gregorius, qui Pelagio ſucceſſit, iniquum cenſuit, vt Euangelio contrarium, quod iubet vxorem ſtupri cauſa tātum dimitti: & idcirco ſanxit, vt nullus amplius fieret ſubdiaconus, niſi ſe caſtè victurum prius promiſiſſet, quò ſic cunctis legē continentiæ imponeret. Voluit, opinor, Gregorius minores coërcere, vt illorum exemplo, maiores ex Syricij decreto, mox ſua ſponte matrimonia ſpernerent. Eò quoque pertinet, cū in ſuo dialogo laudat presbyterum quendam, qui presbyteram ſuam, id eſt, vxorē, vt ſororē abſtinendo coleret. Cæterū non tenuit quempiam tum primùm iſta Gregoriana lex, ſicut antea Caliſti decretum nō eſt ſeruatū, quē idem Gratianus autor eſt primum ſacerdotibus vniuerſis indixiſſe cœlibatū. Alij id Eugenio poſt Gregorium attribuunt. Præterea illud ipſum cū Meldenſi ſynodo, tum Carthaginiēſi eſt magno omniū conſenſu ſtatutum, ſicut in canonicis Decretis diſtinctione trigeſimaſecunda & octogeſima quarta legimus. Ita aliis denique ſuper aliis promulgatis legibus, non ante pontificatum Gregorij ſeptimi, qui anno ſalutis. M.LXXIIII. eſt pontifex creatus, coniugium adimi occidentalibus ſacerdotibus potuit. Quod

ff 5 veri

Universidad de Deusto
Biblioteca



verißimum eſſe teſtatur Leo nonus, qui pau-
lò ante iſtum Gregorium ſedem tenuit apo-
ſtolicam, ita aduerſus quendam abbatem no-
mine Nicetam, ſcribens: Omnino confitemur,
non licere epiſcopo, presbytero & Diacono
propriam vxorem cauſa religionis abiicere à
cura ſua, ſed vt ei victum & veſtitum largia
tur, ac non vt cum illa carnaliter ex more ia-
ceat, ſicut & ſanctos apoſtolos legimus fe-
ciſſe, beato Paulo apoſtolo dicente: An non
habemus poteſtatem ſororem mulierem cir-
cunducendi? hæc ille apud Gratianum. Sed
ne plura, vt contrà atque noſtrum eſt inſti-
tutum, ne videamur res potius definire, quàm
earum initia prodere. Illud tamen dixerim,
tantum abfuiſſe, vt iſta coacta caſtitas illam
coniugalem vicerit, vt etiam nullius delicti
crimen maius ordini dedecus, plus mali reli-
gioni, plus doloris omnibus bonis impreſſerit,
inuſſerit, attulerit, quàm ſacerdotum libidi-
nis labes. Proinde forſitan tam è Repub. Chri-
ſtiana, quàm ex ordinis vſu eſſet, vt tandem
aliquando ius publici matrimonij ſacerdoti-
bus reſtitueretur, quod illi ſine infamia ſan-
ctè potius colerent, quàm ſe ſpurciſſimè eiuſce
modi naturæ vitio turpificarent. Quod ne id ac
cideret, ſumma etiã veteribus curæ fuiſſe con-
ſtat, quãdo apud Romanos flamẽ dialis, vti ſu-
prà demõſtrauimus, ea de cauſa, mortua vxore,
ſacer



ſacerdotio ſe abdicabat, quia vita ſacerdotis
non modò deberet eſſe quàm caſtiſſima, ve-
rumetiam omni turpioris intemperantiæ ſu-
ſpicione carere.

Qua ratione ab initio inter mortales ma-
trimonium fuerit contractum, & intra quos
cognationis gradus tam apud illos, quam
poſt apud nos; ac ibidem, an vlli vnquam
per leges licuerit, plures ſimul habere vxo-
res, & ius connubij filiorum eſſe in poteſta-
te parentum: atque vnde mos ſit, vt puer-
peræ purgentur. CAPVT V.

VT ſuprà de ſacerdotali coniugio eſt non
intempeſtiuè explicatum, ſic hoc loco de
reliquorum Chriſtianorum, déque contrahen
di modo aptè diſſerendorum, quò in ducendis
vxoribus pateat, quotus neceſſitudinis gradus
legitimus ſit, quandóve vxorum multitudo
fuerit interdicta. Itaque iam inde à princi-
pio orbis, cœpere fratres & ſorores inter ſe ma-
trimonio iungere, cùm non haberent remotio-
rem propinquitatem, cum qua copularentur.
Vnde contigit vt Adam vnus homo, ſimul pa-
ter, ſimul ſocer eſſet: & Eua eius vxor ſimili-
ter vtrique liberorum ſexui & mater & ſo-
crus. Durauit vſque eò hæc apud Hebræos
coniugij ratio, dum paulatim charitas effecit,
vt homines quibus cordi eſſet concordia, di-
uerſas

uerſarum neceſsitudinum vinculis necterentur, ne vnus in vna multas haberet, ſed ſingulæ diffunderentur in ſingulos, ac ſic ad ſocietatem vitæ ſtudioſius conciliandam, plurimæ neceſsitudines plurimos complecterentur. Hinc denique ad conſobrinas & neptes, ad aliáſque minus propinquas tranſitum eſt. Sic Abraham Saram ex Aram fratre neptem in matrimonium duxit: ſic Iacob Lyam & Rachel filias Laban auunculi: ſic alij alias poſtremò nullo ſibi genere propinquas. Fuit tamen illis curæ, teſte Auguſtino de ciuitate Dei lib. xv. propinquitatem, ne propaginum ordinibus ſe ſenſim dirimens longius abiret, & propinquitas eſſe deſineret, nondum procul locatam rurſum matrimonij vinculo colligare, & quodammodo reuocare fugientem, quò per id, in vna familia vel tribu opes in perpetuum remanerent. Ac ideo de ſuo genere virorum & fœminarum paria iungi voluit Moſes, dicens: Omnes viri ducant vxores de tribu & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipiant, vt hæreditas permaneat in familijs. Hoc ſcriptum leges in Numeris. At nunquam licuit plures ſimul habere vxores, vetante Domino, ac dicente Adam primo parenti, cui Euam copulauit vxorem: Propterea deſeret homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in car-

nem

Universidad de Deusto Biblioteca



nem vnam. Sic Deus per vnum par hominum, hoc eſt, maris & fœminæ, voluit coniugium confici. Verùm vti mulierum inopia in cauſa fuit, quamobrem fratres à principio ſibi ſorores coniugio ſociarint, ſic paucitate populi factum videtur, vt Hebræorum quidam propagandæ ſobolis ſtudio, plures interdum vxores ſimul habuerint: primúſq; eam legem violare auſus fuerit Lamech, qui, vt in Geneſeos libro eſt, duas ſimul habuit in matrimonio fœminas, cuius poſtea complures extiterunt imitatores. Quod facinus diuus Auguſtinus ita diluit, diſſerens: Obijciuntur Iacob quatuor vxores: quia mos erat, crimen non erat. Sicut patriarchæ coniugibus accipientibus ſemen ſuum miſcebantur, non concupiſcentia perficiendæ voluptatis, ſed prouidentia propagãdæ ſucceſsionis: ſic Apoſtoli auditoribus admirãtibus doctrinam ſuam condelectabantur, non auiditate conſequendæ laudis, ſed charitate ſeminandæ veritatis. hactenus ille. Tertullianus verò lib. ad vxorem primo ait id factum, vt eſſet quod noua lex reſcinderet. Et Chryſoſtomus homilia LV. in Geneſim, de ea re ſcribit: Tum enim quia principia erãt, permiſſum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus vxoribus miſceri, vt humanum genus propagaretur, & pietas incrementum acciperet. At CHRISTVS adueniens omnem illam veterem conſuetudi-

nem

Universidad de Deusto Biblioteca

nem aboleuit. Vides, quomodo non oporteat conſuetudinem prætexere, ſed quod iuſtum eſt inquirere, &c. Inde par eſt credere, ad Barbaros eum ritum manaſſe, qui velut ſupra oſtendimus, ſinguli binas pluréſque pro opibus, vxores ducebant: quod Saraceni ex Mahumeti præcepto turpiter ſeruant. Sed ad propoſitum redeamus. Poſtremò Moſes moderaturus nuptijs, ſtatuit, ne quiſquam primo vel altero cognationis gradu propinquam duceret vxorem, vt ipſa neceſſitudo libidine concumbendi non turparetur, quam Ethnici eo modo maximè inquinabant: nam Medi, Arabes, & plerique alij, ſicut in primo huius operis volumine, cùm de matrimonij origine prodidimus, eſt demonſtratum, ſorores cum matribus ductabant vxores. Romani verò neptes ad vltimum ſibi copulabant, eiúſque rei initium Plutarchus in problem. ponit, ſcribens: Superioribus enim temporibus qui ſe aliqua neceſſitudine attigiſſent, vxores non ducebãt, quemadmodum nec nunc quidem ſorores. Sed non ita pridem factum, vt neptes vxores ducere permitterent. Vir quidam ſanè pauper, cæterùm bonus & cumprimis popularibus acceptus, cùm neptem cui dos ampla eſſet relicta, in matrimonium accepiſſet, locuples ex eo & copioſus factus eſt: eius rei accuſatus, iudicio multitudinis abſolutus eſt. Plebiſcitum deinde factum, vt in ducendis vxori-



vxoribus, ad neptes vſque aſcendere liceret, ſuperiore neceſſitudine prohibita. At noſtris, quorum iuſtitia ſecundum præceptum Chriſti, plus quàm Phariſæorum, nedum aliorum, abundare ſemper debuit, modus contrahendi matrimonij multò honeſtior eſt datus, quo per mulieres & honore & poteſtate augerentur, ſi multos habere viderentur affines, vt ve ne barbarico more ſinguli plures ductarent vxores, aut nulla habita propinquitatis ratione, cum quibuſuis mulieribus ſeſe matrimonio iungerent, néve libidine fortè flagrantes puellas ſpe connubij ad ſtuprum illectas violarent, ac mox optati cõpotes cùm remotis arbitris fidem dediſſent, eas deſiderio fraudare volentes, pacto ſtare, quod ſæpè fit, negarent. Itaque primò Apoſtolus vxorum multitudinem interdixit, ad Corint. ſcribens: Attamen propter ſtupra vitanda, vnuſquiſque ſuam habeat vxorem, & vnaquæque virum ſuum habeat. Deinde Fabianus, teſte Gratiano, præter illos duos gradus primum & ſecundum per Moſen prohibitos, primus tertio & quarto noſtris interdixit, quo deinceps nemini fas eſſet, mulierem affinitate coniunctam citra quintum gradum, vinculo ſibi coniugali ſociare, propterea quòd eſt neſcio quid naturalis verecundiæ nobis innatum, quò facilè abhorreamus ab eiuſmodi propinquorum colligatione, corporum commiſcendi

Universidad de Deusto Biblioteca



ſcendorum cauſa. At Iulius deinde vt populo Chriſtiano arctiores paulatim morum limites poneret, prohibuit, ne vſque ad ſeptimum gradum matrimonia cōtraherent: quod & diuus Gregorius comprobauit. Ad extremum verò cùm iſtiuſmodi patrum ſeueritas efficeret, vt in ſua iam quiſque ciuitate minus connubium ſibi inueniret, cogeretúrque per hoc, aut à finitimis petere, aut illis dare, vnde hæreditas ſæpenumero diſtraheretur, placuit Innocentio tertio, Chriſtiani populi commodo tempeſtiuè prouidere. Is enim Fabiani decretum iampridem antiquatum reuocans, ſtatuit vt cunctis dein in perpetuū liceret eas in matrimonium ducere, quæ neque cognationis, neque affinitatis gradu primo, altero, tertio & quarto ipſos attingerent: quod hodie ritè ſeruatur. Extat id decretum in libro Decretalium epiſtolarum IIII. eo capite, cuius principium eſt, Non debet. Eſt etiam modus inter cognationem, quam dicunt ſpiritualem, copulatos, poſitus à Theodato pontifice, qui primus ſanxit, ne quis eam puellam duceret vxorem, quā ex baptiſmi fonte leuaſſet pater. Eſt & ex quadam honeſtate à Gregorio, & poſt eum ab Alexandro tertio ſtatutum, ne ſponſam fratris relictam, frater in matrimonio haberet, ne Hebræorum videretur imitatio, apud quos, vt frater fratris ſine liberis mortui vxorē duceret, ſobolis ſuſcipiēdæ





atque perpetuandæ cauſa, fas erat. Item Euariſtus primus decreuit, incertum haberi connubium, cui ſacerdos non adfuiſſet, cōſecraſſetque illud, ac niſi puella à parētibus ſolenni more viro deſponſa foret, non nemo Sotero id aſſignat. Sic nuptiarum arbitrium iam inde ab initio in parentum poteſtate fuit, quando Moſes de ea re ita ſanxerat in exodo ſtatuens: Si ſeduxerit quis virginem nōdum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit vxorem: ſi pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerūt. Sic filius Thobiæ Saram, tradente Raguel patre puellæ, duxit vxorem. Talia Ethnici quoque ſeruabant, vel teſte Terentio, qui in ſua Andria facit Simonem patrem parantem nuptias filio Pamphilo valde inuito. Idem teſtificatur Apuleius, qui ſexto Aſini libro facit etiam Venerem argumentantem, non videri legitimas inter Cupidinē & Pſychen nuptias, propter diſparilem generis conditionem, & quòd res acta eſſet furtim, ſine teſtibus, patre non cognoſcente. Sed Catullus præclarè quidem carmine ſuo nuptiali, iam ipſam, vt ita dicam, naturæ legem cui parendum ſit, edocet.

At tu ne pugna cum tali coniuge virgo,
Non æquum eſt pugnare, pater cui tradidit ipſe,

Universidad de Deusto Biblioteca



*Ipſe pater cum matre, quibus parere neceſſe eſt.*
*Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt:*
*Tertia pars matri data, pars data tertia patri,*
*Tertia ſola tua eſt: noli pugnare duobus.*
*Qui genero ſua iura ſimul cum dote dederunt.*

*Vnde meritò iam pudeat Chriſtiani nominis viros, qui poſthabitis tam noſtris quàm priſcorum legibus, clandeſtina quotidie ſponſalia faciunt, qui propterea nihil mirentur, ſi matrimonia ipſa minus ſibi proſpera ſint. Ea ſpõſalea poſtea vtriuſque ſponſi & ſponſæ cõſenſione rata ſiebant. Et illud etiam ab Hebræis acceptum videtur: ita enim Rebecca cùm peteretur vxor Iſaac filio Abraham, à Bathuele patre interrogata eſt, num vellet nuptum dari ipſi Iſaac. Sic nunc apud nos conſenſus in matrimonij fœdere faciundo exquiritur, quia ſatis conſtat Chriſtum de ea re nihil innouaſſe, cùm apud Matthæum dixerit: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Cæterùm haud vna eſt iſtiuſmodi conſenſionis verba proferendi formula, nam apud Italos, vir ætate grauis interrogat virum & fœminam, num alter alteri velit nubere. Apud Anglos ipſi pactum faciũt: vir enim ita ait, vt eorum verbis vtar:*





*Ego te mihi vxorem accipio: & illa, Ego te mihi maritum. Poſt hæc, iunctis dextris, inter ſe oſculantur, & vir annulum inſignem veluti rei geſtæ teſtem, ac coniunctionis pignus, ſponſæ digito, qui minimo dextræ manus proximus eſt, indit. Vtrunque à veteribus, qui ante initium noſtræ religionis eo ritu vtebantur, quemadmodum ſuprà in primo libro demonſtrauimus, ad nos manauit, teſte Tertulliano, qui libro de Virginibus velandis, ita ſcribit: Si autem ad deſponſationem velantur, quia & corpore & ſpiritu maſculo miſtæ ſunt, per oſculum, & dexteras. Et in Apologetico, cùm de continentia mulierum Romanarum amiſſa, inquit: Circa fœminas quidem, etiam illa maiorum inſtituta ceciderunt, quæ modeſtiæ, quæ ſobrietati patrocinabantur, cùm aurum nulla nôrat, præterquàm vnico digito, quem ſpõſus oppignoraſſet pronubo annulo. hæc ille. Quòd autem puerperæ purgantur, hoc ab Hebræis eſt acceptum: in Leuitico enim ſcriptum legimus: Si mulier ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, & die octauo circuncidetur infantulus, ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ: ſin fœminã pepererit, immunda erit duabus hebdomadis, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Cũ expleti fuerint dies luſtrationis eius pro filio,*

*ſiue pro filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ ſiue turturem pro peccato. & reliq. Cæterùm apud nos non eſt eiuſmodi luſtrationi ſtatutum tempus, ne mulieribus diutius expectando, vt Innocentius ait, pœna qua pariendo aſſiciuntur, conuerti videatur in culpam. Solent tamen hodie honeſtatis cauſa, non ante mẽſem à partu exactum purgari, quæ tunc matronis aliquot comitatæ templum adeunt, & loco agni, columbæ, vel turturis, ceream candelam offerunt, & cùm alibi tum in Anglia, illud etiam linteum, quo infans ex ſacro baptiſmatis fonte ſuſceptus inuoluitur, quod vulgò chriſmatorium vocant, quòd eo abſtergatur chriſma, quo infans eſt vnctus, qui ſi fortè ante diem purgationis matris moriatur, eo ipſo linteo circunſeptus ad ſepulturam datur.*

### De principio ſacrarum ædium, atque vbi ſit præcipuus orandi locus, ac de altarium & cœmeteriorum initio, & quando primùm crux cœperit haberi honori, atque venerationi. CAPVT VI.

*HActenus de fundamento tẽpli ſpiritualis, deinde eius, quod eſt ex materia, dicendũ. Illius apud nos conditor fuit Chriſtus, qui docuit, vt Deũ ſpiritu coleremus, Apoſtolo dicente: Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam*





*ſpiritu, pſallam & mente. Et quoniã ſpiritus noſter corpore continetur, hinc factum eſt, vt continens corpus dictũ ſit templum. Vtrũque affirmat idem Apoſtolus, ſuis ita ſcribens Corinthijs: An neſcitis quòd tẽplum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Templum tale ex carne & oſſibus cõſtans, rerum omniũ opifex Deus principio finxit. Is fuit Adam noſter primus parens, vti ſuprà diximus. Ex materia poſt hæc Moſes primò tabernaculum Deo poſuit, vbi preces & pia vota illi exoluerẽtur, & in eo facta eſt arca, in qua lapideas clauſerunt tabulas, in quibus inciſæ erant leges. Deinde Salomõ rex tẽplum Hieroſolymis magnificẽtiſsimo apparatu ædificauit. Hæc fuit ſynagogæ materia, vt vulgò nunc vocatur: ſpiritualem nominat Dominus, ita alloquens Moſen: ſume Aaron & filios eius, & omnem ſynagogam conuoca, &c. Solomon autẽ iuſſu Dei, qui patrem eius Dauid eo opere faciundo prohibuerat, mãdaueratque vt filio condendũ relinqueret, templum illud ſanctũ ac religioſum fecit, cõſecrauitque ipſi deo, hoſtiarũ numero penè infinito, cui Dominus nocte apparuit, & ita fatus eſt: Audiui preces tuas, & elegi locũ iſtum mihi domũ ſacrificij: Si clauſero cœlum, & pluuia nõ fluxerit, & præcepero locuſtis vt deuorent terrã, & immiſero peſtilentiam in populum meum: cõuerſus autem*

Universidad de Deusto
Biblioteca



populus meus, ſuper quẽ inuocatum eſt nomen
meum, & deprecatus me fuerit, & eum pœni-
tuerit, ego exaudiam de cœlo, & propitius ero
peccatis eorũ, atque ſanabo terrã eorum. Oculi
quoque mei erunt aperti, ac aures meæ erectæ
ad preces eius, qui in loco iſto orauerit. hæc
ex lib. Paral. II. quæ eò pertinent, vt cuncti
mortales intelligant præcipuum precãdi locũ
eſſe tẽplum Deo dicatũ: id quod CHRISTVS
apud Matth. cap. XXI. comprobat, vſurpans
illud Eſaiæ: Domus mea domus deprecationis
vocabitur. Et cap. XXIII. idẽ affirmat re-
prehendendo auaritiã ac impietatẽ Phariſæo-
rum, quibus pluris erat aurũ, quàm ſacroſan-
ctum tẽplum, cùm inquit: Væ vobis, quia dici-
tis, Quicunque iurauerit per tẽplum, nihil eſt:
qui autẽ iurauerit per aurum templi, reus eſt.
Stulti & cæci, vtrum enim maius eſt, au-
rum, an templum, quod ſanctificat aurum? Et
ſubijcit: Qui ergo iurauerit per tẽplum, iurat
per illud, & per eum qui habitat in ipſo. Poſt
Euangelicum dogma inter gentes diuulgatũ,
vbi loci prima ædes Seruatori noſtro dicata
fuerit, pro certo ponere non auſim, ne diuina-
re potius, quàm veritati inhærere dicar: ſed
in re parum nota coniectare licet. Porrò à
CHRISTI ſtatim aſcenſu in cœlum, Iudæi
cœperant Chriſtianos crudeliter perſequi,
deinde Nero princeps, deinde Domitianus de-
inde



inde alij, & poſtremũ Diocletianus ac Maxi-
mianus acerbiſſimè afflictarunt. Quo ferè to-
to tẽporis interuallo, tantũ aberat vt aliquod
templũ à noſtris Chriſtianis publicè ædifica-
retur, vt etiã omnia eſſent occulta, & ſacella
potius, atque eadẽ abdita, & plerũque ſubter-
ranea, quam apertis in locis ac publicis fierẽt.
Eſt tamen cõſentaneum credere, in remotis lo-
cis, quò nõ facilè peruaſerat ille tyrannorũ fu-
ror, ſana aliqua interim aut ædificata, aut
quæ primùm dæmonum fuerant, CHRISTO
dicata ab apoſtolis fuiſſe, qui vbique gentium
omni tempore ad propagandã religionẽ totis
viribus incubuerant: quod aut in Aethiopia à
Matthæo, aut in India citeriore à Bartholo-
mæo, aut in Scythia ab Andrea, quorum prædi-
catione ijs gentibus Chriſtianæ pietatis lux
ab initio affulſit, factũ eſſe & crediderim, &
dixerim. Nõ abhorret præterea à fide, aliquam
ædem fuiſſe principio à Iacobo Hieroſolymis
Deo dicatã, qui ibidem cathedrã primus lo-
cauit, primuſque rẽ diuinã ritu apoſtolico fa-
cere cœpit, autor Euſebius. Nec mirum alicui
eſſe debet, ſi talia ac huiuſmodi bene multa
alia minus literis prodita ſint, quod ſcriptorũ
inopia factũ eſt. Romæ nõ reperio, quod ſciã,
aliud antiquius templum ædificatũ, aut dica-
tum, vel ad vſum ſacrorum fuiſſe conuerſum,
quàm thermas Nouati in vico Patritio, quas

Universidad de Deusto Biblioteca

Pius pontifex Praxedis eximiæ ſanctitatis fœminæ rogatu, diuæ Pudentianæ eius ſorori conſecrauit. qui fuit annus circiter CL. ab eo, qui humanæ ſalutis fuit primus. Iginius tamen qui Pium præceſſerat, autor fuit vt tẽpla ſacris dedicarentur cærimonijs, vt alibi fuſius dicetur, cùm de feſtorũ dierũ celebratione agetur: quod fidem facit, iam antea loca aliqua Deo dicata fuiſſe: ſed vbi loci id factũ fuerit, parum liquidò traditur. Nec ita multò poſt Caliſtus iam ſeſe tyrãnorum odium ſenſim remittente, ædẽ in tranſtyberina regione, beatæ Virgini ſtruxit, cœmeteriúmque ex ſuo nomine cõdidit via Appia, vbi multorum martyrum repoſiti erãt cineres. Viſuntur hodie ijs in locis & ſacella quædam, quibus occultò rem diuinam priſci illi pietatis cultores feciſſe dicuntur, quòd, vti oſtendemus, publicè nõ liceret. Cœmeterij condendi inſtitutum Abrahæ aſſignant, qui, ſicut patet apud Ioſephũ, dicitur emiſſe ab Ephron Etheo filio Saor prope Hebron, quadrigẽtis ſiclis ſpeluncam duplicẽ, & agrum circa eam, ſepeliſſéque in ea Saram vxorẽ ſuã, ibique ipſe deinde repoſitus fuiſſe. De vario apud alias gentes olim ſepeliendi vſu, alibi ſuo dictum eſt loco. Altare, vt legitur in Geneſi, Noë primus omniũ fecit, & ſuper illud Domino holocauſtum obtulit. Quod inſtitutum etiam hodie ſeruatur. Bonifacius





verò tertius autor fuit, vt altaria candidis operirentur ac linteis pannis. Crux olim ſontium ſuppliciũ erat, & id quidẽ infame: quod ideo ſeruator noſter ſubire voluit, vt qui mitis aduenerat, & humilibus & infimis opẽ ferret, & omnibus ſpem ſalutis oſtenderet, quando nihil ei in morte ſeparatim ab alijs accidiſſe cernerent. Proinde eo genere mortis afficiendus fuit, quo humiles & infimi ſolent, ne quis eſſet omnino qui eũ non poſſit imitari. Huic poſtea honor acceſſit. Euſebius libro eccleſiaſticæ hiſtoriæ nono, autor eſt Conſtantinum Imperatorẽ eo die, quo cum Maxentio ad pontẽ Miluium conflixit, ſereno puróque cœlo crucem vidiſſe, eámque coluiſſe, ac auditã ſupernè vocem: Cõſtantine in hoc ſigno vinces. Non defuit oraculo euentus: vicit cùm hoſtem inſigniter, tum cæteris bellis quæ deinceps geſſit, par felicitas adfuit. Helena poſt hæc eius mater, religione inſigni ac pietate mulier, per quietem monita, Hieroſolyma petijt, quæſitũ dominicam crucẽ. Ita fortè accidit, vt Veneris ſimulacrum eò eſſet loco ab impijs Chriſtiani nominis inimicis collocatum, quò omne dominicæ paſſionis monimentũ aboleretur, Chriſtianique Venerẽ loco ſeruatoris colerẽt. Cæterùm loco ruderibus purgato, crux reperta eſt, & cum illa duæ aliæ, vnde duo pependerant latrones: ſed titulus ille, IESVS Nazarenus

Universidad de Deusto
Biblioteca



renus rex Iudeorũ, etſi vetuſtate propemodum abolitus, indicio fuit, vt crux vera internoſceretur, quæ admota mulieri mortuæ vitã illicò reſtituit. His Conſtantinus princeps motus, edicto vetuit quenquam deinceps eo ſupplicio necari. Sic res quæ antea mortalibus probro fuerat, venerationi eſſe cœpit. Idẽ poſtea voluit Theodoſius ſeruari, qui (vt in Codice iuris ciuilis eſt) lege prohibuit, ſignum ſeruatoris in ſolo vel in ſilice aut in marmore humi poſito inſculpi, ne hominum pedibus tereretur. Vide quàm importunum ſit videre paſſim hodie in templis ſignũ illud, id eſt, nomen ipſius ſeruatoris, in æs vel lapidibus quibus mortuorum ſepulcra teguntur, inciſum, itẽ cruces ac diuorum imagines impreſſæ, quæ aſſiduis calcantium veſtigiis obtrita latè reſplendẽt, quò ſic noſtrã teſtatiorem faciant religionis negligentiã, cum præſertim res eiuſmodi antiquis etiam religioni fuerint. Sanè Romæ olim locus fuit Doliola vocatus, quia inuadentibus Gallis Senonibus vrbem, ſacra in eodem loco doliolis repoſita fuerunt: qua de cauſa, eò loci ne ſpuere quidem alicui licebat, autor Feſtus.

## De primo ac vetuſtiſſimo apud Hebræos ſacrificandi ritu, ac feſtorum dierum obſeruatione, dedicandique templa inſtituto, déque ignis myſterio. CAP. VII.

ADam primus parens ex Eua duos ſuſcepit filios, Cain & Abel: pietatis hic cultor,



contẽptor ille: hic paſtor, ille agricola fuit: hic mero lacte primùm litauit, ille frugũ primitias deo obtulit. Secundum hæc, ſacerdotio inſtituto, Aaron cum filiis, ac deinde alii variis cerimoniis ſacrificarunt. Quæ ferè omnia ex Ioſepho in vnum collecta, operæpretiũ duxi quàm breuiſſimè potero explicare. Tribus ab initio ſacrorum generibus Hebræi vſi ſunt, quorum vnũ holocauſtum dixerunt, quando primores gentis ſiue bouẽ, ſiue agnum, ſiue aliquod aliud animal, modò anniculum maſculumque fuiſſet, immolabant, tum ſacerdos victimali cruore aram altaris perfundebat, inde hoſtiã membratim diſſectã ſuper aram cremabant. Alterũ genus plebeium, & pro gratiarum actione fiebat, in quo animalia maiora anniculis offerebãt, cruoréque ſuper aram diffuſo, renes, adipem, omẽta imponebãt flammis: pectora & crura dextera ſacerdotibus dabantur: quæ ſupererant, intra biduum illi edebant qui ſacrificiũ feciſſent. Inopes columbas aut duas turtures offerebant, quarũ altera in holocauſtum abibat, alteram ſacerdotes ſortiebantur. Tertium longè perfectiſſimum omnibus æquè mortalibus cõmune, quod laudis ſacrificium dixerunt. In Pſal. CXV. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Et in epiſtola ad Hebræos: Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt,

fructum

Universidad de Deusto
Biblioteca



fructum labiorum confitentium nomini eius. Peccata verò ſic expiabāt: qui imprudens deliquiſſet, agnum, aut hœdū anniculum offerebat: qui occulti criminis cōſcius, ariete cū expiari oportebat. Omnibus ſacrificijs farina mundiſſima ex præſcripto legis adijciebatur adhibebatur & oleum, quod ſacris infundebatur. Agnus mane & veſperi immolabatur: ſabbatis geminatæ hoſtiæ ad aras admouebantur. Principio mēſis, duo boues, cum vno ariete, hœdo vno & ſeptem anniculis agnis, piaculi nomine mactabantur. Septimo ineunte menſe, taurum, arietē, & ſeptenas agnas cum vno hœdo immolabant. Adijciebātur bini hœdi: horum vnus extra fines miſſus multitudinem expiabat, alter in ſuburbanis cum totis velleribus cremabatur, pontifex taurum in id ſacrum, & arietē in holocauſtum dabat, &c. quæ ipſe Ioſephus latè proſequitur. Item habebant & certos dies feſtos, qui ſecundū eundem Ioſephum, & Origenem, ſuper Numeros, ita obſeruabantur. Primus ſolennis Dei erat, qui appellatur indeſinens: de ijs enim mandabatur, quæ ſine vlla prorſus interruptione, matutinis & veſpertinis ſacrificijs offerrebantur, quia iuſtus debet ſemper diem feſtū agere, id eſt, orare. Alter erat ſabbati, quo die nihil agere licebat. Tertius neomeniæ tubarum, primo die menſis ſeptimi, in quo offerebatur

& hoſtia.



& hoſtia. Neomenia autem dicitur noua luna: erat ergo iſte dies feſtus, cùm luna innouabatur. Quarto loco Xantico menſe, vnde principium ſumebat annus, ſub plenilunij diem, id eſt, circiter XIIII. diem lunæ, ſole in arietē tranſeunte, quia ijs diebus ex Aegypto egredi contigiſſet, myſticū agnum occidebant, ac paſcha dicebatur, id eſt, tranſitus. Et in eo menſe primo aliud ſolenne paſcha, vt dictū eſt, aliud azymorum erat: & licet coniuncta viderentur azymis paſchæ ſolennia ſacra, principium tamen azymorum tātum ad finē paſchæ coniungebatur. Et paſcha ille ſolus dies appellabatur, in quo agnus occidebatur: reliqui verò azymorum dies vocabantur: & id ſolenne ſeptem diebus celebrabatur. Altera die primitias frugum offerebāt, & ex eo dicebatur celebratio nouorum, quæ feſta dies ordine ſexta habebatur. Poſt ſeptem autē hebdomadas paſchæ, pentecoſtes, & id tempus aſarcha, id eſt, quiaquageſimam vocabāt, tum panes frumentatos offerebant. Deinde ſequebātur ſolennia ſacra ſeptimorum: ſicut enim inter dies ſeptimus quiſque feſtus agebatur ſabbatū, ita inter menſes ſeptimus quiſque mēſis ſabbatum erat, & vocabantur ea ſacra, ſabbata ſabbatorum. Poſt hæc ſeptimo menſe alij agebantur feſti dies. Sanè decimaquinta die, tempore ad hyemē vergente, tabernacula fiebāt, quæ dies

Græci

*Græcè ſcenopegia dicebatur, quia in vmbraculis eſſent eſcæ ſeptem diebus, ob id, quòd eorum maiores ex Aegypto remigrãtes domum, tabernaculis vſi eſſent. Decima verò die ſolenne erat repropitiationis: in hac ſola die pontifex induebatur omnibus pontificalibus indumentis, & tũc ingrediebatur ſancta ſanctorum autor Origenes ſuper Leuiticum. Die quintadecima Decembris encænia, id eſt, feſti dies initiales, hoc eſt, dedicationis tẽpli, quia tum templum Hieroſolymis ab Antiocho pollutum, poſtremò à Iuda Machabeo expiatum rurſũmque dedicatum eſt: nam antea Solomon circiter decimum diẽ ſeptimi menſis, id eſt, Septembris, id fecerat, ſimulatque illud ædificaſſet, & dein à Iudæis illis qui illud ipſum inſtaurarant, circiter diem duodecimum menſis primi, eſt rurſus conſecratum, quos ſeruitute Babylonia liberatos, per Eſdrã in ſuas ſedes reſtitutos conſtat. Sic ſemper ille dies poſtremæ expiationis dedicationiſque ſolennis fuerat apud poſteros. Cæterum dedicationis inſtitutum multò antiquiſſimũ eſt, quãdo iam inde à principio tabernaculum à Moſe factum ita dedicatũ fuit, cùm ipſe primùm eo iã perfecto vti cœpit: nã ſicut Chryſoſtomus in epiſtol. Pauli ad Hebræos ait, dedicare aliud nihil eſt, niſi recadi initium facere. Atque hic tum Iudæorum fuit ſacrorum ritus, qui animalia*



*malia tantum propter conuiuia nata abſumebant. Ignis autẽ, vt in Leuitico eſt, ſemper in altari ardebat, quem ſacerdos nutriebat, ſine quo, nullum fas erat ſacrificium facere. Sic in igne præter alia elementa, ſacra omnia conſiſtebant, quòd is, credo, proximus cœlo ſit, quòd in ſpecie ignis Deus Moſen primùm allocutus, quòd de cœlo holocauſta accepta rapuiſſet. Apud nos itidem nullo magis honore, quam cereis candelis decorantur extrinſecus cœlicolæ. Eadem in primis ratione, ita opinor, à Veſtalibus perpetuus ſeruabatur, ac ante Romanos Imperatores deferebatur: quoniã denique Deus noſter ignis comburens eſt, ac propterea meritò ſacer habetur. Ita Perſæ, teſte Herodoto, ignem Deum eſſe arbitrabantur: contrà Aegyptij belluam animatam vocabant, quòd omnia voret. Item ex Moſis præcepto, in omni ſacrificio adijciebatur ſal, quia is ſit præcipuus corruptionis expulſor.*

Cunctas ferè gentes quondam dæmonibus malis humanas immolaſſe hoſtias, & ibidem quid eſſet ver ſacrũ, & quando primum eorũ oracula obmutuerint, ac de primo vſu aquæ, quam dicimus ſanctam.

## CAPVT VIII.

*SEd agè iam dicamus de dijs gentiũ, déque eorum ſacrificijs ac myſterijs, quæ tamen tantum*

tantum aberat vt dij eſſent, vt etiam cacodæmones ſeſe præberēt, nullāque alia hoſtia niſi humana litari vellent, quaſi cruoris humani repleti tum demum propitij eſſent, cùm maximè laſiſſent. O dementiā hominum, ô infelicem vitam. Ecqui erāt iſti dij, qui ſuos cultores parricidijs inquinabant, omnibus generatim malo erant? Pater filium vnicum, mater dilectam filiā dæmonibus tanquam ouem mactabat. Iudæi qui lege neglecta aberrauerant, in valle filiorum Hennon, teſte Hieronymo, quam Chriſtus apud Matthæum gehennam nominat, filios igni exuſtos deuouebant, immolabántque dæmonio Moloch. Rhodij hominem Saturno immolabant. In Salamine inſula, homo Agranalæ Cecropis filiæ cædebatur. Diomedi in templo Palladis, quod etiam ipſi Diomedi & Agranalæ commune erat, homo offerebatur, qui ab adoleſcentibus ter circum aram ductus, tandem à ſacerdote haſta percuſſus, & in rogo impoſitus cremabatur. Apud Cypros, humanā hoſtiam Ioui Teucrus immolauit, ídque genus ſacrificij poſteris tradidit, quod poſtea imperante Hadriano, eſt ſublatum. Erat lex apud Tauros gentem inhumanam ferámque, vti Dianæ hoſpites immolarētur. Galli Heſum atque Teutatem humano cruore placabant. Vnde Lucanus:





Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrénſq; feris altaribus, Heſus.

Apud Chios, Dionyſio Omadio dicto, homo etiā crudeliter diſcerptus immolabatur. Apud Aegyptios, Heliopoli tres in die homines quos inquirebant, ſi mūdi eſſent, Iunoni mactabāt. Lacedæmonios etiam Apollodorus ſcribit hominem Marti immolare ſolitos. Phœnices bellorum aut peſtilentiæ calamitatibus laborantes, amiciſſimos Saturno ſolebant immolare. Hiſtrus, qui res Cretenſium ſcripſit, autor eſt, Curetas olim Saturno puerorum hoſtiis ſacrificia feciſſe. Laodiceæ, quæ Syriæ vrbs eſt, Palladi virgo immolabatur. Et apud Arabas, in ſingulos annos puer immolatus ſub ara ſepeliebatur. Itē Thraces, Scythæ, Carthaginēſes, & omnes ferè Græci, cùm præſertim in bella eſſent exituri, hominem mactantes ſacrificabant. Item Gallis mos fuit, vt qui eſſent affecti grauioribus morbis, quique in prælijs periculiſque verſarentur, aut pro victimis homines immolarent, aut ſeipſos immolaturos vouerent. Germani itidē Mercurio certis diebus humanis litare hoſtiis fas habebant, autores Cæſar & Tacitus. Quid, quòd illud idem omnes communiter barbari factitabant? At Romani, qui ſemper manſuetudinis & humanitatis gloriam ſibi vindicarāt, nónne iiſdem ſacris immaniores reperiuntur? ſiquidem Sa-

turnus in Latio eodem genere ſacrificij cultus eſt, nō quidem vt homo ad aram immolaretur, ſed vti in Tyberim de ponte Miluio mitteretur, quod ex reſponſo quondam factitatū. Varro autor eſt, cuius reſpōſi vltimus verſus erat: Et capita inferno et patri trāſmittite lumen, id eſt, hominem. Verùm id genus ſacrificij poſtea ab Hercule eſt immutatum: vt pro veris hominibus, imagines ex ſcirpo iacerentur, ſicut ſuprà demonſtrauimus, quod in Faſtis Ouidius latè docet. Fuit vel mos quondam cū Italis aliis, tum Romanis, vbi res ſuas in periculo verſari cernerent, vouendi quæcunque proximo vere nata eſſent apud ſe animalia immolaturos: vnde id ver ſacrum dictum eſt. Liuius lib. IIII. decad. quartæ. Ver ſacrum factum erat priore anno: id cū P. Licinius pontifex nō eſſe rectè factum renūtiaſſet, patres de integro faciendum cenſuerunt, & videndum quod natū eſſet pecus inter Cal. Martias, & Idus Maias. Feſtus inter ea animalia, pueros etiam cōuotos ait, ſcribens: Sed cùm crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines ſuos exigebant. Quod ſanè inſtitutum tametſi humano parcebat ſanguini, nō eò tamē à crudelitate vacuum erat: quid enim crudelius cēſeri debet, quàm priuare homines innocentes patria, qua cunctis mortalibus cha-





rius eſt nihil? Ita facinus pariter crudele, vt impium, deorū cauſa edebatur. Philo, qui Phœnicum hiſtoriam ſcripſit, priſcū morem fuiſſe tradit, vt in magnis periculis princeps dilectiſſimum ex liberis, vlciſcendi dæmoni quaſi redemptionis præmium traderet, & ſic traditum myſticè iugularet. Nō erant præterea cōtenti mali dæmones multiiugibus hominum cædibus, niſi etiam mulieres pro ſuo iure ſtuprandas curarent. Sanè Alexādriæ ſimulacrum Saturni religioſiſſimè colebatur, cuius ſacerdos Tyrannus nomine, matronas eius ciuitatis quas elegiſſet, tanquam à Deo accitas, noctu ad ſimulacrum ductabat, ibiq; extinctis repentè luminibus cum eis rē habebat. Sic Tyrānus communis adulter libidinē explebat, Dei mentitus perſonam, teſtis Ruffinus libro XI. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Item apud Naſamones, vti ſuprà commemorauimus, cū de coniugij origine prodidimus, mos erat, vti ſponſa prima nocte cū ſingulis cōuiuis coiret, deæ Veneris gratia. Cæterū ſi homines veluti ſapientiores ab huiuſmodi truculentiſſimis fœdiſſimisq; immolationibus paululū abſtinuiſſent, quid præmij conſequerentur, imò quid noxæ, quidve ſupplicij ſubire cogerentur, oſtendamus. Dionyſius Halicarnaſſeus in primo Antiquitatum, ait Iouem & Appollinem, quoniam decima hominum nō fuiſſet eis immolata, magnas Italis ca-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*lamitates induxiſſe, vſque eò vt nulli fructus
ad maturitatem vſque permanerẽt, ſed imma
turi deſfluerent, fontes alij bibi nõ poſſent, alij
deficerent, mulieres abortum facerent, homines
& pecora paſſim varijs morbis perirẽt, donec
decima reddita ſit. Diodorus itidem teſtis eſt,
Carthaginienſes, vt diximus, ſaturno huma-
nas hoſtias ſolitos immolare, & cùm victi eſ-
ſent ab Agathocle rege Siculorum, iratum ſibi
Deum putauiſſe, atque vt diligentius piacu-
lum ſoluerent: ducentos nobilium filios, exem-
plo longè poſt homines natos crudeliſſimo, et ſi
reipubl. nomine edito, immolaſſe. Eiuſmodi fœ-
da facinora iam antè in Pſalm. CV. prædicta
ſunt. Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas
dæmonijs. Poſſem adducere plura tanti ſcele-
ris exempla, quæ breuitatis ſtudio prætei ire li
buit. Fallebant præterea mortales eiuſmodi dæ
mones amphibologijs, nodoſis & flexiloquis
reſponſis, id eſt, ita ambiguis, vt in ambas par
tes agi poſſent. Vnde Vergil.*

*Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla*
*Horrẽdas canit ambages, antroq́; remugit,*
*Obſcuris vera inuoluens.*

*Quale fuit illud Apollinis ad Pyrrhum Epiri
regem reſponſum:*

*Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.*

*Et ad Crœſum Lydorum regem:*

*Intrepidus ſi Crœſus Halim tranſmiſe-
rit*



*rit amnem,*
*Imperium perdet magnum, regnúmque
ſuperbum.*

*Ambo victi ſunt: hic à Cyro Perſarum rege, il
le à Romanis, qui ex oraculo ſe ſuperiores fore
ſperauerant. & talia id genus ſexcenta ſunt.
Sed & à noſtris recentioribus vnum petamus
exemplum. Syluester enim ſecundus Rom. pon-
tifex haud bonis artibus põtificatum adeptus,
vt cupidus regnandi malum demonem de lon
gitudine vitæ cõſuluit, ille reſpondit, vt ſi ca-
ueret Hieruſalem, diu viueret. Imprudens Syl
ueſter ſtatuit Hieroſolyma vrbem Iudeæ non
adire, ſed cùm in æde ſanctæ crucis dicta in
Hieruſalem, quarto demum pòſt anno rem di-
uinam faceret, oraculi ſtatim memor, fato mo-
riturum ſe cognouit. Faſſus igitur delictum
publicè, iuſſit moriens vt ſuum cadauer equis
daretur trahendum, & quo loci illi demũ con-
ſtitiſſent, eodem humari. Diuino igitur nutu,
ad templum Lateranenſe peruenere, vbi & ſe
pultus eſt. Sic Deus oſtendit apud ſe locum ve-
niæ vnicuique quamuis ſcelerato relictum eſ-
ſe, ſi in vita aliquando pœnituerit. Atque talis
erat inter gentes religio, quæ nõ parcebat pias
ſcelerare manus. Sed meliora canamus. Quis
eos deos tam maleficos domeſticatim ſuos cul-
tores iugulantes, de medio mortalium omniũ
ſuſtulit, niſi ſeruator noſter? Quippe ſic ipſe*

Universidad de Deusto Biblioteca

*apud Io. cap. XII. inquit: Nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Siquidem diabolus ante id tempus, amplã habebat in homines poteſtatem. Conciderunt itaque poſt eius aduentum vetuſtatis tenebræ, & quæ figuris tegebãtur, diuina retexit ſententia. Nam dum in Aegypto cum Ioſeph & matre fuit, eo temporis ſpatio, ſimulacra deorum, quos id temporis gens illa ſtulta & omnium errorum mater coluit, ſua ſponte eccidiſſe dicuntur. Poſt hæc, imperante Hadriano, tum demum vbique gentium pernicioſæ nefariæque ſublatæ ſunt immolationes, tum Delphici Apollinis, tũ Ammonis, aliorũmque vanorum deorum oracula penitus muta extiterunt: nam, teſte Cic. lib. de Diuina. II. iam diu antè ſenſim ſilere cœperãt, ſic, vt eius ætate, qui paulò ante CHRISTI aduentum vixit, fermè conticerent. Ac tum denique potẽtia dæmonum infracta iacuit: quod Porphyrius, vti Euſebius dicit, Chriſtiani nominis hoſtis, in libro quem aduerſus religionem noſtram ſcripſit, hoc modo teſtatur: Nunc verò mirantur, inquit, ſi tam multos annos peſte ciuitas vexetur, cùm & Aeſculapius, & alij dij longè abſint ab ea: poſtea enim quàm IESVS colitur, nihil vtilitatis à diis conſequi poſſumus. hæc verba illius ſunt. CHRISTVS ergo IESVS diis illis potentior eſt. Ita demum ſecutum eſt, quod Dominus apud Zachariam prophe*

phe



*ticam, perdiu antea annuntiarat eſſe futurum, dicens: Diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà. Ecce magnum veræ religionis argumentum, ecce certum veritatis elogium, ecce vniuerſo humano generi redditam libertatem, ac mundo fulgentiſſimum lumen: quæ vtinam gentes, quæ in tenebras paulatim relapſæ ſunt, agnoſcerent, ne perpetuò aberrarent: non ceſſant enim oracula noſtra, eſt Deus nobiſcum, dum bene agimus, ſemper. Dæmoniaci quos vocamus, ſi qui ſint, à noſtris ſacerdotibus nomine IESV liberantur, dæmones procul effugantur, ſolo etiam ſacræ aquæ aſperſu. Fuit iam olim vſus luſtralis aquæ, in Leuitis conſecrãdis: nam ſic dominus, veluti eſt in Num. cap. VIII. præcepit Moyſi: Tolle Leuitas de medio filiorum Iſrael, & purificabis eos iuxta hunc ritum: Aſpergantur aqua luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ. Quo factum eſt, vt Alexander primus Romanus pontifex autor fuerit, vt huiuſmodi luſtralis aqua conſecraretur, & ad dæmones effugandos in templo domique ſeruaretur.*

Qui primus docuerit modum orandi, & cur in Orientem verſũ oremus, ac vnde mos concionandi, & de perfecto concionãdi modo, atque quando euchariſtia instituta, deque primo eius vſu.

CAPVT. IX.

 Proxi

PRoximum eſt, vt vel de noſtrarum cærimo
niarum ratione dicamus, quæ non anima-
lium cruorem, non hominum cædem, ſed ſynce-
ram fidem purámque mentem poſcit. Et quia
Deus ea potiſſimum de cauſa, vti ſuprà expo-
ſuimus, nos fecit, vt ſtatim geniti ipſum colere-
mus, atque vt Chryſoſtomus homilia XXIII.
in Matth. ait, bonis potiremur æternis, eáque
tantum precando poſtularemus, ideo à perfe-
cto orandi modo initium faciemus. Duo ſunt,
Lactantio teſtificante, quæ Deo à nobis offerri
debeant, donum & ſacrificium: donum in per-
petuum, ſacrificium ad tempus: de hoc paulò
pòſt. Donum eſt integritas animi: ſi enim Deus
non videtur, iis rebus coli debet quæ non vi-
dentur, cuiuſmodi ſunt virtutes animi, & iu-
ſtitia, ad quam haud dubiè, ſicut Cicer. de Le-
gib. ſuſpicatur, nos eſſe natos intelligere debe-
mus. Summus igitur colendi Dei ritus eſt, ex
ore iuſti hominis ad Deum directa laudatio:
quæ tamen ipſa vt Deo ſit accepta, & manſ-
ſuetudine & timore & pietate maxima opus
eſt. Quod in primis illi priſci Hebræi, prout nõ
vno in loco ſuprà demonſtrauimus, factita-
runt: atque vt nos illud ipſum faceremus, ſer-
uator noſter CHRISTVS primus iuſſit di-
cens: Eſtote ergo perfecti, quemadmodum &
pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Et inde ſub
iungit: Tu autẽ cùm oras, intra in cubiculum
tuum



tuum, & clauſo oſtio tuo, ora patrẽ tuum qui
eſt in occulto, & pater tuus qui videt in occul
to, reddet tibi. Orantes verò nolite multum lo
qui, ſicut Ethnici faciunt, putant enim quòd
multiloquio ſuo exaudiantur. Et ſubdit: Sic er-
go vos orate: Pater noſter qui es in cælis, San-
ctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuũ.
Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.
Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.
Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos re
mittimus debitoribus noſtris. Et ne nos indu
cas in tentationem, ſed libera nos à malo.
Amen. Hæc ex euangeliſta Matthæo, apud
quem Hierony. non quotidianum, ſecundum
Cypriani ſententiam, ſed ſuperſubſtantialem
panem legit. Contrà & Cyprianus legit non
dimitte, ſed remitte nobis debita noſtra, ſicut
& nos remittimus. Et hæc admonui, vt vtran
que lectionem intelligas haud quaquam ex re
centioribus eſſe, & rectius legi remitte, quàm
dimitte. Cyprianus in Expoſitione eius do-
minicæ precationis non iniuria quoſdam ad-
monet, qui plus ſapere quàm oporteat vide-
ri volentes, hanc vt vulgarem & cunctis
communem minus vſurpant, qui inquit: Quæ
enim poteſt magis ſpiritalis eſſe oratio, quàm
quæ à CHRISSTO nobis data eſt? à quo no
bis & ſpiritus ſanctus miſſus eſt? Quæ vera
magis apud patrem precatio, quàm quæ à filio,

 qui

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



qui eſt veritas, de eius ore prolata eſt: vt aliter orare quàm docuit, non ignorãtia ſola ſit, ſed culpa: quando ipſe poſuerit, & dixerit: Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis. Oremus itaque fratres dilectiſſimi, ſicut magiſter Deus docuit. hæc ille. Quomodo autem orandum ſit, CHRISTVS ipſe apud Ioannem docet, dicẽs: Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, ſpiritu ac veritate oportet adorare. Cyprianus item ſecreto orandum eſſe ex præcepto dominico demonſtrat, quia Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt: nec admonendus eſt clamoribus, qui cogitationes videt. Hoc planum ſit exemplo Annæ, vt in 1. Regnorum eſt, quæ loquebatur in corde ſuo, & labia eius mouebantur, & vox eius non audiebatur, & exaudiuit eam Dominus. In pſalmis quoque legimus: Dicite in cordibus veſtris, & in ſtratis veſtris, & tranſpungimini. Hieremias itidem admonens, ait: In ſenſu tibi debet adorari Deus. Cæterùm vt rationem cum Deo habere poſſemus, quoties ipſam dominicã precẽ cum angelica ſalutatione recitaremus, eſt modus orandi poſtremò inuentus, per calculos, vt ita dicam, ligneos, quos vulgus modò preculas, modò pater noſtros appellat. Ij numero quinquagintaquinq; ita ordine diſtinguũtur, vt poſt denos, ſinguli maiuſculi aſſigãtur filo, ſunt enim perforati, & quot hi ſunt,

toties



toties dominicam precem, quot illi, toties angelicam ſalutationem ter numerum ineundo recitent, térque ſymbolum breuius inferant. Et id deiparæ virginis pſalterium nũcupant. Eius rei autor fertur Petrus eremita, homo Gallus, ciuis Ambianenſis, qui abhinc annos CCCCXXX. hoc eſt, circiter annum ſalutis humanæ MXC. ſanctitate floruit, egitque cum Vrbano Romano pontifice, vt bellũ Aſiaticum à noſtris ſumptum fuerit, quo Hieroſolyma recepta ſunt. Hodie tantus honor eiuſmodi calculis acceſſit, vt non modò ligno, ſuccino, & corallio, ſed ex auro argentóque fiant, ſintq; mulieribus inſtar ornamenti, & hypocritis præcipui fucoſæ bonitatis inſtrumenti. Mos eſt præterea, vt in orando ac ſalutando Deo, quis in Orientem ſolem conuertatur. Vtrunque apud priſcos ſeruabatur, dicente Apuleio in ſecundo: Tunc in orientem obuerſus vel incrementa ſolis Auguſti tacitus imprecatus, &c. Quod proprium eſt veri oratoris ex miſtica religione quoniam CHRISTVS ſol eſt iuſtitiæ, teſte diuo Hierony. in Ezechielem. Cæterùm apud Hebræos hoc fieri non licebat, quibus præcepit Dominus per Moſen in Deuteronomio, nequaquam more aliarum gentium, contra Orientem, ſed quoquouerſum intuentes contra templum, Deum orarent, ne viderentur ſolem, vti factitabant idolorum cultores,

Universidad de Deusto Biblioteca

tores, colere, Idem Hieronymus teſtis. Vnde
Danielem apud Babylonios ad eum modum o-
raſſe legimus. Item cùm apud Marcum capite
XI. legamus: Et cùm ſteteritis orantes, remit-
tite, &c. videtur precantium quoq; moris fuiſ-
ſe, vt ſtando orarent, quia qui ſtat, diligen-
tius animum intēdit in rem, quam agit. Idem
Seruator iuſsit, vt præcepta legis diuinæ à
Deo per Moſen populo Hebraico data, à nobis
itidem ſeruarentur, cùm inquit: Si vis ad vi-
tam ingredi, ſerua mandata: quorum capita
hæc ſunt: Vnum Deum colito. Nullius ani-
malis effigiem colito. Per Dei nomen haud fru-
ſtra deierabis. Feſtos dies piè & ritè celebra-
to. Parentes venerare. Hominem ne occideris.
Adulterium fuge. Furtum non feceris. Nil a-
lienum concupiueris. Nec falſum dixeris teſti-
monium. Hæc igitur fuit prædicationis mate-
ria, vnde eſt concionandi mos natus. Moſes e-
nim poſtea primus habita concione, populum
de eiuſmodi præceptis, & lege Dei docuit, e-
úmque per hæc ad bene beatéque viuendum in-
ſtituit. Ioannes Baptiſta exin in deſertis Iu-
dææ locis concionatus eſt, concionatus & Ser-
uator noſter, eiúſque muneris obeundi nego-
tium apoſtolis mandauit, dicens: Ite in mun-
dum vniuerſum, & prædicate euangeliũ omni
creaturæ. Quod hodie nonnullos ex noſtris
theologis, cùm concionantur, facere pudet, ſeu
tædet



tædet: quippe qui vt narrationis vice, curſim
ac carptim aliquid in euangelio interpretan-
tur, perinde quaſi nihil ſit, quod de eo amplius
doceatur, quo facto, ad ſuas confictas quæſtiun-
culas trahuntur, ibi digladiantur, velut furo-
ribus acti ſeſe macerant, detorquentes quò vo-
lunt ſacra ſcripta, in cōuitia rumpunt, omnia
clamoribus miſcent: dein euaneſcente furorē,
ad humiliora veniunt, de ratione annonæ, de
inſtitoribus tractant, item nunc iocos ſpar-
gunt, nunc captant, circulatores planè agunt,
& ob illud ipſum ab inſipiente plebe collaudā-
tur. Atque hic concionandi modus & frequen-
tius vſurpatur, & vulgò ſummis habetur. Sed
vtinam non peiora crebrò diſſeminarent: vt e-
nim nullum hominum genus eſt ſalutarius re-
ligioni, ſi vera canant; contrà ſic non eſt peſti-
lentius aliud ſi ad gratiam conciones ad popu-
lum habeant: quippe vbi ſemel ſanctitatis no-
men ſunt adepti, tum maximè omnium nocēt,
quia eis maximè creditur. Faceſſant proinde
qui docere nihil volunt, quo melius viuatur.
At nonnulli quorum intereſt hoc fungi officio,
nihil omnino docent, adeò vt eſt in prouerbio,
canes muti non iniuria appellari poſſint. Ita
aut vanitate aut ſilentio CHRISTVM ob-
ſoleſcere inter pium populum ſinunt. Sed iam
modum ipſum concionandi quàm breuiſſimum
ponamus. Concionator qui ea docet, quæ ad
relig

Universidad de Deusto
Biblioteca

*religionem pertinent, qui debet docendo modum tenere, per quem ſermone, voce & geſtu auditorem facilius inſtruat, eſt idem, atque orator cauſarum forenſium, à quo artem dicendi mutuetur neceſſe eſt, ſi velit rectè ac ornatè dicere. In concionatore itaque noſtro oportet eſſe elocutionem, memoriam, & pronuntiationem. Elocutio eſt accommodatio verborum idoneorum ad inuentionem. Memoria, firma animi verborum ac rerum diſpoſitionis perceptio. Pronuntiatio verò, vocis & vultus geſtúſque moderatio. Concionator ſic præparatus primùm omnium debet inuenire, hoc eſt, excogitare res veras vel veriſimiles. Quæ quidem inuentio in plures diuiditur partes: in exordium, narrationem, diuiſionem, confirmationem, concluſionem, & confutationem. Exordium eſt principium orationis, per quod animus auditoris apparatur ad audiendum. Narratio, per quam exponitur res, de qua eſt dicendum, vt auditor fiat beneuolus, docilis, atque attentus. Diuiſio ſiue diſpoſitio, eſt diſtributio ac rerum ordo, qui demonſtrat, quid quibuſque locis ſit collocandum. Et in partes duas tréſue ad ſummum res ipſa diuiditur. Ac ita ex ordine, oratio hos duos vel tres habet locos, ad quos eundo contendat, ſeq; recipiat, quæ in curſum concitata ſine his, nuſquam conſiſtere poterit, & ob id tam ſæpe*

in



*in medio curſu turbabitur, quàm auditoris animus continenter implicabitur, nec memoria retinebit, quæ audierit. quapropter concionator eiuſmodi partitionẽ facere debet, vt nullo ferè negotio reminiſci queat, quoto quodque loco poſuerit, atque idem etiam faciet auditor, qui ſuo loco expectabit, quod ſcire cupit. Confirmatio, eſt probatio argumenti, id eſt, materiæ vel rei tractatæ, cum aſſeueratione. Concluſio, cum breuiter colligitur, repetiturq́;, quibus de rebus verba facta ſint, quò auditor, ſi memoriæ mandauerit, ad idem quod ipſe meminerit, reducatur. Atqui cauendum, ne concluſio ab exordio aut à narratione repetatur, quod extra propoſitum foret: idcirco initium enumerationis repetitioniſq; eiuſmodi à diuiſione faciendum eſt. Item vel illud eſt curandũ, vt in partitione nihil omittatur, quod ad rem attineat, neque quicquam redundet: redundabit autem, ſi quid ponatur in vna parte quod in alia ſit comprehenſum. Si exempli cauſa, ponas ſic: Primùm dicam de origine matrimonij, deinde de autore ipſius matrimonij. Vide, iſta poſterior pars ſuperuacanea eſt, quia continetur in ſuperiore: nam ille qui primus matrimonium inſtituit, eius rei autor fuit. Eſt itidem vitioſa, ſi proponas ſic: Demonſtrabo me hoc non feciſſe, demonſtrabo me nõ potuiſſe ſi voluiſſem. hoc probato,*

illud

Universidad de Deusto Biblioteca



illud alterum vacat. Igitur partitio debet eſſe clara, aperta, breuis, nullis fulta inuolucris, aut verbis ſuperuacaneis. Rurſum ſi de veritate religionis contra hæreticos agas, & diuidas varios eorum errores in partes, tum partitio nimis implicata erit: quare diuidẽdo generales tantum complecti oportebit. Confutatio eſt locorum contrariorum diſſolutio, qua noſtri theologi in ſuggeſtis ſermocinando nonnunquam vtuntur, magis ad oſtentationem doctrinæ, quàm ad vtilitatem veritatis, qui tale quid ſæpe dedita opera in diſceptationem quæſtionémque vocant, Verum Deus ſit cauſa peccati néc ne: & contrarium quod eſt veritati, tantis primò corroborant argumentis, tamq; neruosè obligant, vt non infundere in aures auditorum modò ſed in animis videantur inſcribere, qui póſt non facilè diſſoluere poſſunt. Ita tãtum abeſt, vt vtile ſit tales habere quæſtiones, quibus rudioris ingenij homines ſæpius in errorem trahuntur, in eoq; verſantur diu. Poſt hæc concionatori noſtro opus eſt pronuntiatio, quæ in vocis figuram, & corporis motum diuiditur. In principio itaque orationis, vox ſedata demiſſaq; eſſe debet: nam ſi acuta foret, fauces vulneraret, ac ſeipſam defatigaret ocyus. In narratione, vocum varietate vtendum eſt, vt quo quidque pacto geſtum actumq́;





ac ſcriptum ſit, ita narrari videatur: quare verba modò clariora, modò grauiora vſurpanda ſunt, quò omnium perſonarum ſenſus atque animi exprimantur. In diuiſione vocem quàm clariſſimam adhibere oportet, vt auditor planè intelligat, quid ſibi ſit attendẽdum. In confirmatione argumenti ſono vocis mediocriter adaucto vti decet, & ſtrenuè probando quod volumus, interdum acriter, interdum leniter dicemus. In concluſione vox continens & modica ſit, vt voci iam defatigatæ auxilium ferre queat. Concionator præterea debet hortari, & id quidem plenis faucibus, voce quàm clemẽtiſſima: item caſtigare, voce acriori, raris interuallis, cum vociferatione non vtique muliebri, ſed virili, quò magis auditorem deterreat. Item conſolari, voce lamentabili: item conqueri, cum vocis mollitudine, vt auditoris animum ad miſericordiam perducat: ac iocari interdum, voce faceta, cum tenui ſignificatione riſus, ad recreandos animos aliquãdiu ad audiendum intentos. Hanc vocis figuram ſequi debet motus corporis, qui eſt geſtus & vultus moderatio quædam, quæ pronuntianti concionatori conuenit, ac reddit probabiliora, quæ pronuntiantur. Itaque ſi erit ſermo in exordio, ſtandum eſt in veſtigio, demiſſis oculis, recta ceruice: ſi in narratione, leui dexteræ motu, ac collo paululum à ceruicibus

Universidad de Deusto
Biblioteca



demiſſo: ſi in partitione, brachio & digitis cele
riter porrectis: ſi in cõfirmatione, vultu graui,
geſtuq; conſtanti: ſi in concluſione, aſpectu mi
nimè mobili: ſi in cohortatione, geſtu paulò cele
riore: ſi in caſtigatione, vultu acriori, capitisq;
ictu frequenti: ſi in conſolatione, vultu triſti:
ſi in conqueſtione, moſto ac turbato: ſi verò in
ioco, hilariore, velut à natura ipſa nobis datũ
eſt, vt eiuſmodi noſtras actiones voce pariter
atque corporis motu iuuaremus. Iſtæc autẽ na
turæ ars eximia, ad noſtrum maximè omniũ
pertinet concionatorem religionis patronum,
qui id officium facit, vt pietatem, vt charita-
tem, vt iuſtitiam in auditorum animis inſerat
eosq; à cunctis ſimul deterreat vitijs, ac omnes
illorum malas præcidat affectiones, quem id-
circo, ſi mouere velit, oportet in dicẽdo eſſe mo
dò grauem, acrem, ardẽtem, acutum, ſubtilem,
copioſum, ornatum, modò verò tenuem, ſubmiſ
ſum, modicum, temperatum, quẽadmodum res
poſtularit. At ea ipſa omnia præſtabit ne con-
cionator ille, qui dicendo nihil narrat, quod
propoſuerit, nihil probat, nihil concludit, quia
ſermonem ſuum in nullas diuiſit partes, nihil
animum auditoris mouet, excitat, flectit, quòd
vno eodemq; vocis ſono, ſine vllo corporis motu
continenter loquitur, ſic, vt magis æs ſonans,
quàm hominem eſſe iudices? Verùm idem de-
mi officiũ nauiter facit: ſi miniſter enim pau-





lum peccauerit, eum vultu aſpicit acriore, itẽ
voce atrociori reprehendit, corripit, atque ca-
ſtigat, quò ſic ab errore auertat. Cæterùm
forſitan inquies: Non vſpiam eſt quiſquam o-
mnium, qui ita concionetur. Imò certè qui-
dem cùm apud alios, tum apud noſtros An-
glos, nonnulli minuti theologi haud aliter ſer
monem habent in celeberrimo etiam homi-
num conuentu, qui contra ſui priſci rudioris
ſeculi morem & conſuetudinem facere nolen-
tes, rhetorica, quam etſi calleant, vti, non ſibi
licitum eſſe putant. Bone Deus, quantum in
ſuggeſto laborant, ſudant, pugnãt, cùm aliud
ex alio ex tempore ſuggerẽtes, illi ipſi tanquã
volitantes auiculæ, neſciant quò dicendo ſint
peruẽturi. Hinc profectò ſcire licet quàm com
modum tibi, quàmque frugiferum & fructuo-
ſum auditori ſit, ſi, verbi gratia, ex ea Euange
lij parabola, Exijt qui ſementẽ faciebat, ad ſe-
minandũ ſemen ſuum, argumentum ſermonis
habendi ſumas, deinde in partes diuidas, de in
propoſitas partes ritè declares, ſubtiliterq; con
firmes, & enucleatè explices, atq; poſtremò con
cludas, id eſt, breuiter repetas, quid circa eiuſce
modi partes docueris. Ac tu per hunc modũ, tã
facillimè tui ſermonis ſementem facies, quàm
cõmodiſſimè auditores eius fructũ capient. At-
qui vt omnis orationis pars ex ſuo genere con
ſtet, illud in primis noſtri Chriſtiani cõciona-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*toris intereſt non ignorare, tria eſſe genera
cauſarum, demonſtratiuum, deliberatiuum, &
iudiciale: & ſe vt illa duo ſuperiora recipere
debere, ita in tertio nihil eſſe, quod ipſe verſe-
tur. Demonſtratiuum enim eſt, quod in lau-
dem vel vituperationem cuiuſpiam attribui-
tur: hoc concionator vtitur, cùm, verbi cauſa,
demonſtrat quanta ſit Dei maieſtas, quanta
potentia, quanta iuſtitia, quanta miſericor-
dia, vt ne quis diffidat eius promiſſis, ne quis
exiſtimet aut ſperet poſſe ſe meritas effugere
pœnas, ne quis deſperet, ſi reſipiſcat: aut vbi de-
terret peccantes, cum reprehenſione culpæ, &
vituperatione facti. Ex huiuſce præterea de-
monſtratiui generis fonte manat omnis vis
funebris orationis, quæ hodie eſt in vſu, quan-
do tota in demortui laude verſatur. Delibe-
ratiuum autem poſitum in conſultatione, ha-
bet in ſe perſuaſionem & diſſuaſionem: hoc in
genere concionator permanet, quando horta-
tur populum ad bene beatèque viuendum:
tunc etenim ſuadet pariter atque diſſuadet,
cum caſtigat, vitiáque deteſtatur. In his duo-
bus dicendi generibus verſatus eſt apoſtolus
paulus in ea oratione, quam, vt eſt in actis ca.
XIII. ad plebem habuit, vbi primùm laudat
Deum, ac potentiam eius oſtendit, dicẽs: Deus
populi huius delegit patres noſtros, & populũ
in altum extulit, cùm eſſent incolæ in terra*





*Aegypti, & brachio excelſo eduxit eos ex ea.
Deinde autores necis IESV vituperat, cùm
ait: Principes eorum nulla cauſa mortis inuen-
ta, petierunt à Pilato, vt interficeret eum. Pòſt
perſuadet, vt Chriſto credant, cùm inquit: No-
tum igitur ſit vobis viri fratres, quod per hunc
vobis remiſſio peccatorum annuntiatur, & ab
omnibus, à quibus non potuiſtis per legem Mo
ſis iuſtificari, per hunc omnis qui credit, iu-
ſtificatur. Poſtremò diſſuadet de errore, in quo
vſque ad id temporis fuiſſent, vbi ait: Videte
ergo ne ſuperueniat vobis, quod dictum eſt in
Prophetis: Videte contemptores, & admira-
mini & euaneſcite, quia opus operor ego, in
diebus veſtris, quod non credetis, ſi quis enar-
rauerit vobis, &c. Quòd vocis figura atque
corporis motu dicendo ſit vtendum, Chriſtus
ipſe paſſim in Euangelio demonſtrat: ſed ne
lõgum ſit, cùm Lazarum à mortuis excitauit,
illud fecit: primum enim attollens ſurſum ver-
ſum oculos dicit: Pater gratias tibi ago, quo-
niam audiſti me. Deinde voce magna clama-
uit, Lazare, veni foras. Sic voce & geſtu
rem peregit. Hæc breuiter dicere habui de re-
cto concionandi modo. At ad ſacrificium ve-
niamus, quod eſt orare & colere Deum, ac
eundem ſemper habere in corde conſecratum,
quoniam Dei templum ſumus. Hoc ſacrificium
Seruator noſter Deo patri obtulit pro ſalute*

noſtra, reliquitque nobis illud idem faciendum. Etſi ſunt qui ſentiant euchariſtiam à Chriſto inſtitutam non rectè ſacrificium appellari, quod per hoc aliquid Deo ex rebus noſtris offeramus, per illud verò, beneficiũ à Deo accipiamus: tamen quia iam inde ab initio ita vſu venit, vt, teſte Tertulliano, ſacrificiũ vocaretur, nos religionis morem ſeruandũ ducimus. Ad rem redeo. Is qui omnia quæ ventura erant, ab æterno nouerat, poſteaquã appropinquare tẽpus viderat, quo pacto oportebat, affatur diſcipulos, quos totius myſterij ſibi teſtes delegerat, qui deinde omnia quæ facta eſſent, inter omnes gẽtes pia prædicatione vulgarẽt. Paſcha, inquit dilectiſſimi poſt biduum, vt ſcitis, fiet, et iam ſimul illud futurũ eſt, vt Iudæis traditus patiar: cæterũm cupio priuſquã hæc fiant, id ſolenne vobiſcũ celebrare. Hæc ait, ac eodem momento duos ex diſcipulis Hieroſolymam mittit, qui locum parent, nec multò poſt ipſe cum alijs ſecutus in vrbem venit. Hic vbi cœptum eſt diſcumbi, accepit panem, & cùm egiſſet gratias, fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicẽ, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamẽti, qui pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum. Sic ſub panis & vini ſpecie, corpus ſuum & ſanguinem





guinem verbo conſecratum ſingulis ſumẽdum obtulit, mãdauitque vt tale ſacrificium fieret deinceps in ſui memoriam. Alexãder poſthac ſeptimus à Petro pontifex, conſecraturus primus aquam vino miſcuit, inſtituitq; vt oblatio ex azymo non fermentato, vt antea conſueuit, fieret pane, & hoc, vt purior materia eſſet, vel quia CHRISTVS azymo conſecraſſet, aut quòd Dominus per Moſen præcepiſſet, vt omnis oblatio abſque fermento fieret, ſeu quia ex eius latere, dum in cruce penderet, exiſſet ſanguis & aqua. At D. Cyprianus lib. Epiſt. 2. aliam huiuſce rei rationẽ ponit. Legimus enim in Apocalypſi: Aquæ quas vidiſti, ſuper quas ſedet meretrix, populi, &c. Hinc ait in ſacris literis ſæpe aquas ſignificare populum, & proinde inquit: Sic autem in ſacrificando, in calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt: nã ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſin verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto: quando autẽ vtrunque miſcetur, tunc ſacramentum ſpirituale & cœleſte perficitur. Sumpſerunt autem Euchariſtiam Chriſtiani iam inde à principio manè, & ieiuni, quod teſtatur Tertul. lib. altero ad vxorem de muliere Chriſtiana Ethnico nupta: Non ſciet, inquit, maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes?

ſteri? Cur verò manè & non veſperi apud nos ſacrificetur, cùm ſatis conſtet Chriſtum poſt cœnam myſticum calicem obtuliſſe, id cauſæ eſt, quòd teſte eodem Tertulliano, Chriſtum offerri oportebat circa veſperam diei, vt hora ipſa ſacrificij oſtenderet occaſum & veſperã mundi, ſicut in Pſalmo ſcriptum legitur: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Nos verò reſurrectionem Domini manè celebramus, quia paſſionis eius memoriam in ſacrificijs omnibus in primis conſeruamus.

Qui primùm poſt Chriſtum, eo ritu ſacrificare cœperint, quem ille docuiſſet, & qui deinceps modum rei diuinæ faciendæ, quam miſſam vocant, auxerint, & de oſculo pacis inter ſacra, atque quando id fieri nõ liceat, ac de benedictione ſacerdotis poſt ſacra.

CAP. X.

NVda ab initio omnia & ſimpliciter myſteria à Chriſto tradita apud apoſtolos erant, nuda omnis cærimoniarum ratio, plus pietatis habens quàm apparatus: nã ſatis conſtat Petrum, qui vel primus omniũ, vt apoſtolorum princeps, vel vnà cũ alijs apoſtolis, rem diuinam eo ritu, quem à Chriſto accepiſſet, identidem fecerat, poſt conſecrationẽ cõtinuò inferre ſolitum dominicã precem. Auxit inde hæc myſteria Iacobus Hieroſolymitanus antiſtes, auxit Baſilius, aliique alia ſubinde

inſtituere.

Universidad de Deusto Biblioteca



inſtituere. Cœleſtinus Miſſæ introitum, cuius initium eſt Pſalmus, Iudica me Deus. Damaſus cõfeſſionẽ, quæ fit à ſacerdote, prius quàm altare conſcendat: quidam tamen Pontiano aſſignant: Gregorius antiphonam, quæ introitum ſequitur, & ob id vulgò eodẽ nomine nuncupatur: item vt nouies Kyrie diceretur, & antiphona poſt Epiſtolam, Euangelium, & Communionem. Telephorus hymnũ, Gloria in excelſis Deo. Gelaſius primus orationes, id eſt, precum clauſulas, quas vocant. Epiſtolam & Euangelium Hieronymus: & cùm id legeretur, vt cuncti, qui ſacris intereſſent, curui ac venerãtes ſtarent, vti expeditiores ad euangelicum dogma defendẽdum, vel animaduertendum, quod ſtando magis quàm ſedẽdo facere ſolemus, Anaſtaſius primùm conſtituit. Alleluia ex Hieroſolymis tranſlatitium eſt. Symboli decantatio fuit Marci pontificis primi decretum, vt feſtis diebus poſt Euangelium decantaretur, ac idẽ recitaretur à populo, qui ſacrorum cauſa adeſſet. Innouauit & id decretum poſtea Damaſus. Antiphonam, quam Tractum vulgò appellant, & hymnos, Gelaſius fecit, ac præfationes quæ Canonem præcedunt, cantu quidẽ & ſermone eleganti cõpoſuit, quæ vt teſtatur Pelagius, nouem numero ſunt: decimã ad honorem Deiparæ virginis Vrbanus addidit. Quòd thus adoletur

ad altare,id primus fecit Aaron,dicente Domino ad Moſen: Pones altare cõtra velum: & adolebit incenſum ſuper eo Aaron ſuaue fragrans: ſicut in Exodo eſt. Deinde apud nos Leo III. illud idem fieri ſanxit,quod etiã ab Ethnicis ſeruabatur. Hinc Vergilius in I. Aeneid. de Venere ait:

-Vbi templum illi,centúmque Sabæo
Thure calent aræ.

Vſus lauandi manus ex veteri quoque inſtrumento eſſe videtur,quòd Iudæi nõ rem modò diuinam,ſed cõuiuium etiam à lauatione manuum inchoare conſueuiſſe dicuntur, quippe qui nefas ducebãt edere panem manibus illotis,cuius rei crimen diſcipulis Domini aſcribebant. Vel ab ethnicis ſumptũ eſt,apud quos ſacrificantes primùm omniũ manus lauabãt, quemadmodum ſuprà lib. III. cap. V. demonſtrauimus: & teſte Heſiodo, vetitum erat,ne quis mane Ioui vinum libaret manibus illotis,ne ſacrorum nitor pollueretur,qui & conuiuia lotis prius manibus inibant. Vergilius:

Iam pater Aeneas, & iam Troiana iuuentus
Conueniunt,ſtratóque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli manibus lymphas.

In præfationibus, vt Sanctus,ſanctus,ſanctus dominus deus ſabaoth,cantaretur,Sixtus





primò ſtatuit,quod ab Eſaia propheta ſumptum eſt. Canonis partẽ,Te igitur,quæ dein initium eſſe cœpit,Gelaſius dedit: ſicuti ante eum Syricius Cõmunicantes,quod nunc tertio loco ponitur. Ex quo apparet,ipſum Canonem neque ab vno integrũ,neque in eam formam digeſtũ,qua modò conſtat: cuius rei vel fidem facit,quòd Alexander primus,qui Gelaſium & Syricium longo temporis interuallo præceſſit,ob memoriam paſſionis CHRISTI poſuit,Qui pridie quàm pateretur,vſque ad illa verba,Hoc eſt corpus meum. Quocirca ſatis liquet,illud tum Canonis fuiſſe principiũ, quando,ſicut diximus,Gelaſius circiter CCCLX. & eo amplius annos poſt Alexandrum ſedit. Leo deinde adiecit, Hanc igitur oblationẽ,vſque,Placatus accipias. Gregorius tres ſubiunxit poſtulationes: Diéſque noſtros in tua pace diſponas,atque ab æterna damnatione nos eripi,& in electorũ tuorũ iubeas grege numerari. Eiuſdẽ quoque primi Leonis eſt, Sanctum ſacrificiũ,immaculatã hoſtiam. Sic alij alia addiderunt. Finito canone,dicitur, Pax Domini: hic oſculum pacis datur inter ſacerdotes mutuò,quod Innocentij primi inuentum eſt: velut Leonis ſecũdi,vt pax in ſacrorum cærimonijs aſtanti populo circumferretur. Et vtranque ex imitatione ſeruatoris, qui conſueuerat ſuos præſertim diſcipulos



Universidad de Deusto Biblioteca

abeuntes, vel ad ſe redeuntes deoſculari: id quod Iudas proditor ſignificantius declarauit, qui præceptorē, vt in euāgelicis literis legitur, oſculo tradidit. Verùm cùm miſſa pro mortuis celebratur, id nō fit, pro eo quod haud nobis cū illis per pacis oſculum, cōmunicandum eſt, quos nondum certò ſcimus eſſe in gratia cum Deo. Quare cadauera etiam mortuorum aditu & manſione tēpli vſque eò prohibētur, dum res diuina fiat, autor Gulielmus Durantus, libro diuinorum officiorum ſeptimo. Solent item ſacerdotes noſtri peractis ſacris, benedicere populo dextera manu in eum extenſa, ac in ſignum crucis circunducta, quod epiſcopi inter ſacra, & pontifices Romani, aliique maiores antiſtites, etiā eundo factitant: quod ab Hebræis eſt, quippe in Leuitico legimus Aaron poſt factā rem diuinam, cōſueuiſſe extendere manum in populū, ac illi benedicere. Seruauit vel hunc ritū Chriſtus, quem Lucas ait paulò antè quàm in cœlum rediſſet, eleuatis manibus benedixiſſe ſuis diſcipulis. Sed ad rei diuinæ rationem reuertamur. At reliquas Antiphonas Græci, Reſponſoria verò quæ nouitio quidem vocabulo ſic dicunt, Itali primùm inueniſſe tradūtur. Sunt qui reſponſoriū etiam Graduale vocent, quòd iuxta gradus ſuggeſti cantetur. Cæterùm Gelaſius & Gregorius multas orationes, id eſt, preces inuenere, ac ad

lectiones



lectiones & euangelia, reſponſoria, id eſt, offertoria, quæ vocant, adiunxerunt, vel Gregorius ipſe quaſi de integro modum rei diuinæ edidit. Fecit illud ipſum & Ambroſius Mediolanenſis antiſtes. Quapropter habito deinde epiſcoporum conuentu, decretum fuit, vt quæ Ambroſius digeſſiſſet, Mediolanenſis tantum ſacerdotum cœtus, ſicut hodie fit, ſeruaret, & Gregoriano inuento reliqui vterentur. Quòd verò ſacerdos dicendo, Dominus vobiſcū, ſæpius ad populum in altari vertitur, hoc de Hebræorum quoque cærimonia ſumptū conſtat, quorum ſacerdos inter ſacra ſeſe circumagebat, aſpergendo ſanguinem animalis immolati. Quod, teſte Apuleio, & Ethnicorum ſacerdotes circa aras factitabant, cùm præſertim reſponſa daturi, diuino, vti credebāt, ſpiritu afflati agitarentur. Vnde dubio procul ab alterutris apud nos ſunt huiuſmodi in altari vertigines.

### Vnde mos ſit, vt poſt rem diuinā factam, diaconus pronunciet, Ite, miſſa eſt: & vnde miſſa & cærimoniæ dictæ, & de primo capeſſendæ euchariſtiæ vſu. CAP. XI.

FActa re diuina, Diaconus ad populū conuerſus pronuntiare ſolet, Ite, miſſa eſt. Cōuenit hoc loco, vt huius nominis miſſæ originem explicemus, ne quis vt ſordidū & peregrinum reſpuat: quando hactenus permulti

id

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

id indagare conati, rẽ in incerto reliquerunt, quippe qui non vnde natum eſſet, vt libamento iam libato, id eſt, ſacrificato, per hunc modum poteſtas fieret abeundi volẽtibus, prodiderunt, ſed circa vim illius verbi Miſſa, aberrantes, delirationẽ quandam ſomniarunt, nõ animaduertentes noſtros ſacerdotes illud ex moribus inſtitutiſque priſcorũ eſſe mutuatos, ſicut pleraque alia, vti appoſitè memorauimus. Cæterùm ne nos etiã aliquid diuinaſſe potius, quàm rem certã prodidiſſe dicamur, Apuleij teſtimonium cunctis certè probãdum ducemus in medium, vnde moris huius originem abundè haurire licebit. Is enim libro ſui Aſini aurei XI. cùm ſe dicit ſacris deæ Iſis interfuiſſe, ſic rem declarat: At cùm ad ipſum iam tẽplum peruenimus, ſacerdos maximus, quique diuinas effigies progerebant, & qui venerandis penetralibus pridẽ fuerant initiati, intra cubiculum deæ recepti, diſponunt ritè ſimulachra ſpirantia. Tunc ex ijs vnum quem cuncti grãmatea (ſic Græci vocant ſcribam) dicebant, pro foribus aſſiſtens, cœtu paſtophorum, quod ſacroſancti collegij nomẽ eſt, velut in concionem vocato, indidẽ de ſublimi ſuggeſto, de libro, de literis, fauſta vota præfatus, principi magno, ſenatuique, & equiti, totique Romano populo, nauticis nauibus quæq; ſub imperio mundi noſtratis reguntur, renuntiat,

tiat,



tiat, ſermone rituque Græcienſi, ita, λαοῖς ἄφεσις, populis miſſio. Quam vocem feliciter cunctis euenire ſignauit, populi clamor inſecutus. Exin gaudio delibuti populares, talos, verbenas, corollas ferentes exoſculatis veſtigijs deæ, quæ gradibus hærebat argento formata, ad ſuos diſcedunt lares, & reliqua. Iſtæ duæ Græcæ dictiones ſignificant populis miſſionem, & verba ſunt Græcanico more & lingua pronuntiata, quæ Græci Latinique iuxtà vſurpabant, poſt cuncta celebrata myſteria, vt diceretur miſſio populis, id eſt, vel datur, vel eſt, vt tum demum omnibus abire fas eſſet. Idem igitur mos à noſtris etiã ſeruatur, vt peractis ſacris, per diaconum pronuntietur, Ite, miſſa eſt: quod idem eſt, ac ilicet, hoc eſt, ire licet. Nõ eſt præter cõſuetudinem quòd Miſſa, nõ miſſio pronuntiatur, quando noſtræ religionis autores promiſcuè miſſionem, & Miſſam vſurpare, diuus Cyprianus teſtatur, qui remiſſam peccatorum, ac id genus alia permulta ſæpe ſcribit, vt ad Fortunatum de Exhortatione martyrij: In aqua, inquit, baptiſmo percipitur peccatorum remiſſa. Hinc ergo totum quoque ſacrificiũ Miſſæ eſt nominatum. Quod vocabulum Ioannes Reuchlinus homo Germanus ac literarum Hebraicarum cumprimis ſciens, libro de rudimentis Hebraicis ſecundo, docet Hebraicum eſſe, ita ſcribens:

ſcribens:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſcribens: Inde venit per additionem he, literæ
in fine מנחה, id eſt, oblatio quæ fit ſuperiori
Domino, propter debitum munus perſonale.
Deuteronomij XVI. Oblationẽ ſpontaneam
manus tuæ, quam offeres, iuxta benedictionẽ
Dei tui. Quod nomen nos Chriſtiani ſacrifi-
cio noſtro impoſitum retinemus, vſque ad hoc
tempus, vt à nobis appelletur Miſſa, quod à
Græcis liturgia. Nota igitur, quòd Miſſa ne-
que Græcum neque Latinum eſt, ſed Hebrai-
cum. hæc ille. Mihi verò prior ratio probatur,
vt magis appoſita. Sic Romanis placuit, omnẽ
diuinum cultum cærimonias appellare, à Cæ-
ritibus Hetruriæ populis. Ii enim olim capta
vrbe Roma à Senonibus Gallis, ſacra Roma-
norum à Veſtalibus inuecta perbenigne rece-
perunt, vſque eòque ſeruarunt, dum patria à
Camillo eſſet recuperata, ſicut Liuius libro ab
vrbe cond. V. latè demonſtrat. Cuius benefi-
cij Quirites memores, poſtea omnia quæ ad
religionem colendam pertinerent, cærimo-
nias nuncuparunt: autor eſt Valerius Maxi-
mus: quamuis ſint, qui eas à carendo dictas
malint. Quòd ſemel tantum die ſacrificaba-
tur, hoc Alexandri primi, teſte Gratiano, eſt
decretum: ſicut & illud Telephori, quòd Do-
nico natali die ter Sacerdos rem diuinam fa-
cit, & primò in media nocte, cùm CHRI-
STVS eſt natus: deinde luceſcente aurora,
quando



quando paſtores natum inuiſerunt: poſtremò
vbi prima lux humano generi affulſit, cùm
prius nulli ante tertiam diei horam, fas eſſet
ſacrificare. Adiicitur & alius myſticus ſen-
ſus, vt triplici actu ſtatus triplex gentium ſi-
gnificetur, primus, qui ſine lege fuit, cũ omnia
fuerunt tenebris circunfuſa: alter lucis & te
nebrarum ſimul particeps, cùm poſt datam le-
gem fuit omnino aliqua dei cognitio, ſed non-
dum perfecta: tertius gratiæ eſt, cui ſol, id eſt,
veritatis lux affulſit. Præterea Felix primus
ſanxit, vt nuſquam niſi in ſacro loco, ſi per ne
ceſſitatem liceret, & à viris ſacris initiatis
Miſſa celebraretur, quòd ipſius rei diuinæ fa-
ciundæ à principio ſolùm apoſtolis, hoc eſt, ſa-
cerdotibus à Chriſto poteſtas facta fuiſſet.
Anacletus quoque huius rei ſtudioſus voluit,
vt ſacerdos non niſi coram ſaltem duobus ſa-
crificaret, quò, credo, ne ille fruſtra bene pre-
cando diceret, Dominus vobiſcum, ſi minus
quàm duo ſacris intereſſent. Propterea non re
ctè faciunt, qui ſine arbitris ſacrificant. Gra-
tianus hoc præſcriptum Sotero attribuit, qui
fortè illud parum cuſtoditum renouauit. Iam
ad euchariſtiam veniamus, quam noſtri ma-
iores olim ſolebant quotidie capeſſere, vt ait
Lucas in Actis: Erant autem perſeuerantes in
doctrina apoſtolorum, & communicatione, &
fractione panis. Id ſalutare inſtitutum poſtea


primus

primus omnium ſuo decreto renouauit Anacletus, iuſſitque, vt qui nollent, tanquam impij è ſacris ædibus eiicerentur: quemadmodum Victor voluit, vt illis qui capturi eſſent, ſi ob acceptam iniuriam, aut vetus odium, reconciliari prius recuſaſſent, ſacris interdiceretur. Verùm frigeſcente paulatim deinceps hominum pietate, illud antiquatum eſt. Ex quo Zephyrinus, qui centeſimo circiter pòſt anno Anacletum eſt ſecutus, ſtatuit, vt omnes Chriſtiani, qui pubertatis annos attigiſſent, minimum ſemel quotannis caperent paſchali die. Fabianus verò vt ter id fieret, poſtea ſanxit. Sed Zephyrini decretum, vt factu minus difficile, ſeruauit conſtantius: quod Innocentius III. deinceps ſua corroborauit autoritate. Euchariſtia autem in templis continenter aſſeruatur, ad ægrotãtium commoditatem, vt ne ſine eo viatico hinc abeant, vt eſt de cõſecrat. diſtinct. prima. Quod deinde decretum Innocentius III. & Honorius item III. confirmarunt.

## Quare nonnulla tã Hebraica quàm Græca, vel Syriaca verba in Miſſa vſurpentur, & ibidem de eorũ ſignificatione. CAP. XII.

ILlud inſuper haud omittendum duximus, quod facit ad quarundam dictionum cognitionem, quæ vt peregrinæ, inter ſacra facienda à compluribus frequẽtantur ſacerdotibus, quàm intelligũtur. Sunt enim verba quædam





Hebraica, quædã Græca, aut ſyriaca, Hebraica, & ſyra, teſte diuo Hieronymo ad Marcellam, ideo immutata ab initio manſerunt, quia vel interpretes, vel apoſtoli, id faciendum minus curarũt, vt quoniam primũ religio apud Iudæos, velut ſuprà demõſtrauimus, cœperat, nihil ad credentium offenſionem innouarent, ſed ita vt à puero imbiberant, traderent: poſtea verò quàm in vniuerſas gentes Euangelij ſermo dilatatus eſt, nõ potuiſſe ſemel ſuſcepta immutari, idem autor eſt. Cuius etiam rei Origenes rationem reddens, aſſerit propter vernaculam cuiuſque gentis linguam, non poſſe verba quãplurima ita apud alios ſonare, vt apud ſuos: ac multò propterea melius eſſe, non trãſlata ponere, quàm illorum vim interpretatione tenuare. Hac ratione Græcos primum vocabula illa Hebraica ſuis cõmiſcuiſſe, par eſt credere, vtpote deſperãtes poſſe ſe abſolutum ſenſum ſuo ſermone reddere, & ſic noſtros nihil deinde plus auſos, & Hebraica, & Græca permiſiſſe ſtare. Atqui id conſultè factum non nemo parum falsè putat, quo ad imitationẽ eius tituli, qui ſuper crucem ſeruatoris poſitus fuerat, perinde Miſſa triplici lingua conſtaret, ac illum ſcriptum fuiſſe Hebraicè, & Græcè, & Latinè tradit euangeliſta Ioãnes. Sed iam ad interpretationem ipſorum verborum aggrediamur, IESVS Hebræum nomen, vt Hie-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ronym indicat, apud nos Seruatorẽ ſignificat. CHRISTVS ex myſtico chriſmate vnctus dicitur, quem Iudæi Meſſiam appellant. Idem dictus eſt Nazaræus, id eſt, ſanctus ſiue conſecratus, vel à Nazareth ciuitate Galileæ, in qua eſt genitus & nutritus. Item Emanuel, quod Hebræum eſt verbum, & nobiſcum Deus. Rabbi, idem ac dominus, ſiue magiſter, vel præceptor, nã apud Hebræos, à multitudine ſcientiarũ dicta eſt vox. Paracletus Græca dictio, id eſt, παράκλητος, & ſignificat aduocatum, doctorem, hortatorem, cõſolatorem. Sic ſeruator pollicitus eſt mittere Paracletum, hoc eſt, ſpiritum veritatis, qui diſcipulos doceret. Et illud notiſſimum eſt, Paracletum per e ſcribendum in penultima, eamq́; producendam: nam ſi legeris Paraclytum per y, in penultima, facies CHRISTVM ſceleratorum conſocium, qui ſuis diſcipulis promiſit fore, vt pater eius nomine, talem ad ipſos mitteret doctorem: quippe Paraclytus apud Græcos, nomen eſt compoſitũ à παρὰ præpoſitione, quæ præter, & κλυτὸς, quod celebre inclytúmque ſignificat. Ergo cũ ea præpoſitio hoc loco pro ſine ponatur, et cum κλυτὸς coniuncta, pro eò, qui ſine fama eſt, ac planè infamis, non vtiq; conuenit CHRISTI promiſſioni. Imò atque adeò hinc videre licet, quàm parùm rectè faciant ſacerdotes, qui ita apud euangeliſtam Ioannem legunt: ſeu quã





turpiter peccent, qui etiã de errore moniti, tantum abeſt vt velint rectã tenere viam, vt ſciẽtes delirent, perinde quaſi non veritatis, cui CHRISTVS ſeſe cõparauit, cùm dixit, Ego ſum via & veritas, ſed conſuetudinis quamuis deprauatiſſimæ obſeruatores eſſe debeant. Bone Deus, ecquid reliquorum munerum functionis ab eiuſmodi expectari poteſt, qui ab aliis docti ſcire nihil volunt? Sanè ſic Simonem, ſic Iacobũ penultima ſyllaba correpta pronuntiant, etſi longa eſt, cũ apud Græcos per ω, quod longum eſt, ea nomina ſcribantur. Ad prima redeo. Paſcha Hebræum vocabulum non Græcũ, prout Hierony. aſſirmat, & tranſitum ſonat, quòd Iudæi tunc ex Aegypto in patriam remigraſſent. Epiphania Græcũ verbum, apud nos apparitionem vel oſtenſionem ſignificat, hoc ideo, quia eo die Seruator ſtella proditus eſt, & trigeſimo deinde anno adhuc mundo ignotus, cùm veniſſet ad Ioannem, vt baptizaretur, cognitus eſt, intonante de cælo patre, Hic eſt filius meus, &c. Itẽ Pentecoſte Græcè, quinquagenaria Latinè dici poteſt, quòd vſq; ad hanc celebritatem, à reſurrectione Domini, interſint quinquaginta dies, vt infrà fuſius explicabitur. Scenopegia, vox compoſita, dicta eſt à figendis tabernaculis, quia in ſolitud ine priſci Hebræi illis vſi eſſent, & erat feſtus dies. Noſtri perperàm addunt aſpirationem. Item en-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cænia, feſti dies initiales, hoc eſt, dedicationis
templi. Kyrie eleeſon, verbum compoſitum, ex
κύριε, quod ſignificat Domine, & ἐλέησον, quod
eſt, miſerere. Alleluia duo itidem verba & He-
braica, atque idem ac laudate Deum: Ia enim,
teſte Hieronymo ex decem nominibus, quibus
apud Hebræos Deus vocitatur, vnum eſt. Anti-
phona Græcis vox reciproca, quod viciſſim ca-
natur. Homilia Græcè, Latinè dicitur collo-
quiũ, ſermo. Canon Græca dictio regulã ſigni-
ficat. Hos anna, Hebræo ſermone perinde va-
let, atque apud nos, O Domine ſaluum me fac.
Sabaeth, Hebraica quoque vox, & idem atque
Latinis Dominus omnipotens, ſiue Dominus
virtutum, aut exercituũ. Euchariſtia Græcis
gratiarum actionem ſignificat, ſicuti Euange-
lium bonum nuntium. Paradiſus Graia voce,
pomarium, hoc eſt hortus conſitus pomis. Para-
bola Græcè dicitur, Latinè comparatio, ſimili-
tudo. Symbolum collationẽ ſignificat, quia apo-
ſtoli ſeu patres in vnum cõtuliſſent, quod vnuſ-
quiſq; de Deo ſenſerit. Petrus Græcis ſaxũ, ve-
lut Cephas Syro ſermone, ſoliditas, quod Petrus
ſolidus fuiſſet in cõfeſſione veritatis. Phylacte-
rium Græca dictio, Latinè cuſtodia dicitur,
quod in iis ſeruetur memoria legis: ſicut apud
nos regulæ iuris habentur. Synagoga congre-
gatio à noſtris dicitur, nos etiam Graia voce
eccleſiam vocamus. Mammona, vt probat Hie-
rony

ronymus, ſyriacum eſt nomẽ, ſingularis nume-
ri, generis maſculini, & apud nos diuitias ſi-
gnificat. Ethnicus, vox Græca, & Latinis ho-
mo alterius ſectæ. Proſelytus, Græcũ verbum,
nobis aduena: ſic enim illum vocabant Hebræi,
quem ex aliena natione, in ſuæ legis conſortio
nem recepiſſent. Scandalizare, Græcum ver-
bum, Latinè eſt offendere, ſicut angariare Per-
ſicum, & ſignificat adigere, compellere. Golgo-
tha, Syra eſt vox, non Hebræa, & Hieronym.
oſtendit ſignificare locum calui, ſiue caluariæ.
Ita dictus eſt locus Hieroſolymis, ad ſeptentrio
nalem partem montis Sion, quòd in eo iacerẽt
capita hominum damnatorum. Corbona, quã
etiam vocant gazophylacium, nomen ex di-
ctione Perſica & Græca compoſitum, & ſigni-
ficat arcam, in qua ſeruabantur templi pecu-
niæ, ſeu munera quæ vſui erant miniſtris: nã
Corban, ex teſtimonio Ioſephi, quod in ſuperio
re libro citauimus, cùm de radendo capite Na-
zaræorum ſermo fuit, apud Hebræos ſignificat
munus, vnde Corbona dicta videtur. Eleemo-
ſyna, largitio, quæ inopi fit: Græca vox, & mi-
ſericordiam ſonat. Gehenna locus erat in val-
le filij Ennon in ſorte tribus Beniamin, vbi fi-
lij Iſrael, erectis aris, ſacrificabant, ac filios exu-
ſtos igni deuouebant, immolabántque dæmo-
nio Moloch, quam Deus, vti apud Hieremiam
legitur, comminatus eſt ſe mortuorum cadaue-


ribus

ribus impleturū: apud nos, pro loco inferorum accipitur. Diabolus Græcum verbū ſonat delatorem, ſiue calumniatorem. Beel Zebub, Hieronymus docet idem eſſe bel, beel, & baal, & Hebræis idolum, & Zebub muſcam, quaſi dicas idolum muſcæ: εἴδωλον enim ſimulacrum ſignificat, & ſic hoc nomine ſpurciſſimum fuiſſe idolum. Abyſſus Græca vox, Latinè vorago dicitur. Phantaſma Græcis, viſum per ſomnum videre eſt, Latinè ſpectrum dicitur. Sed ne per hæc peregrina longius gradientes, viſum etiam nos videre videamur, iam ad finem veniamus. Amen vox Hebræa eſt, Latinéque, ſicut declarat Aquila, verè, ſiue feliciter, vel fiat, Hieronymo teſte in pſalmos, vbi ait, Fiat fiat, Hebræis legitur amen, amen. Erat quippe germanum conſimiléque Hebræorum inſtitutis, in veterum religione feliciter, quod ſuprà ex Apuleij lectione conſtat, atque hic amen, quo ſignificatur, vt ea quæ ſuprà ſunt verè dicta, confirmentur. Super ea re extat breuis epiſtola diui Hieronymi ad Marcellam. Hæc paucula libuit exponere, vt vnicuique rem diuinam facturo, obuia eſſet eiuſmodi verborum ſignificatio.

LIBRI QVINTI FINIS.

Universidad de Deusto Biblioteca



# POLYDORI VERGIL. VRBINATIS DE INVENTORIBVS RERVM

## LIBER VI.

De pio pœnitendi initio, & de primo confitendi delicta inſtituto: & qualis ſit publica confeſſio, ac ibidem de triplici purgatione epiſcoporum. CAP. I.

PRincipium religionis Chriſtianæ cū vnctione CHRISTI, & regum, item originē & exitum coniugij ſacerdotalis, & modū contrahendi, ac ritum ſacrificandi, cùm apud Hebræos, tum apud noſtros iuxtà & orandi, & quantum mortalibus ipſa Chriſtiana religio profuerit, ſuperiore lib. expoſuimus: iam idcirco & alia quæ ad inſtitutum pertinent opus, diſſeramus. Saluator noſter vt nos ex omni parte immortalitate donaret, poſtremò potionem ſalutis, cæleſtémque paſtum nobis propinauit, dicens: Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit meam carnem, & bibit meū ſan-

Universidad de Deusto Biblioteca

*guinem, in me manet, & ego in illo. Et pergit: Qui edit hunc panem, viuet in æternum. Verum quia non decebat, vt quiſpiam non mundus tam paruum nectar haurire, támque ſalutarem ambroſiam eſſe auderet, idcirco Apoſtolus docuit, vt accedendum eſſet ad ea ſumēda, inquiens: Itaque quicūque ederit panem hunc aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Dimini. Probet autem homo ſeipſum, & ſic de pane edat, & de calice bibat: nam qui edit aut bibit indignè, iudiciū ſibiipſi edit & bibit, &c. Sed quomodo probabit ſe homo, cùm nemo poſſit eſſe tam prudēs, tā ſagax, quin aliquādo labatur? Quod Deus opt. max. ſciēs, pro ſua benignitate aperuit nobis portum ſalutis, vt huic neceſſitati, cui fragilitas carnis ſubiecta eſt, medicina pœnitentiæ, quam vocamus, ſubueniret: nam præcurſorem miſit Ioannem Baptiſtam clamantem, Pœnitentiam agite. Attende, hoc loco de ſpirituali pœnitentia tractatur, quia omnis noſtra vita aliud nihil eſſe debet, niſi pœnitentia, quæ facit, vt quis, velut ait Apoſtolus, transformetur per renouationem mentis ſuæ, & ad ſe reuertatur, dolendo peccatum ſuum, dicente Seruatore: Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Et hæc interior eſt, ac euangelica dicitur pœnitentia, cuius fructus eſt exterior, quæ agitur per corporis af*

ris af



*ris afflictationem & voluptatum contēptum: atque vt iſta ficta, vti in hypocritis apparet, ita illa non niſi vera eſſe poteſt. Modus autem pœnitendi eſt, vt ab amore virtutis, non à vitij odio, te incipiat pœnitere. Exempli cauſa: Amato caſtitatem, in eáque acquieſcito, tunc tibi ſtatim pòſt turpioris intemperantiæ odiū ſua ſponte oborietur. Id modi pœnitendi præſcribitur pſalmo quadrageſimo quarto: Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatē. atq; hoc pium eſt pœnitendi initium. Præpoſterè igitur agunt qui à peccato inchoant pœnitentiam, quia illud metu pœnæ, non virtutis amore, qui vitiorum omnium fuga eſt, facere videntur. Quapropter* CHRISTVS *cùm vellet diſcipulis verum integritatis exemplar monſtrare, conſueuit puellum longè innocentiſſimum in medio ſtatuere, iubens vt ſimiles illius efficerentur, ſi auerent ingredi in regnum cœlorum, quò eos, ſic præſentis virtutis imagine, ad pœnitendū beatéq; viuendū facilius induceret. Si quis igitur aut cupiditate victus, aut libidine impulſus, aut errore deceptus, aut vi coactus ad iniuſtitiam lapſus fuerit, non deſperet: poteſt enim per hunc modum reduci ac liberari, ſi pœniteat actorū, & ad meliora conuerſus ſatis Deo faciat, & ita reſipiſcat, quò & errati pigeat, caſtigetq; ſeipſum ſtultitiæ, & confirmet animum ſuum ad rectius viuendum*

dum

dum, quoniam ſicut nihil prodeſt malè viuenti antè actæ vitæ probitas, quia ſuperueniens nequitia iuſtitiæ facta delet, ita nihil officiunt peccata vetera correcto, quia ſuperueniẽs iuſtitia labẽ vitæ prioris abolet. Vtrũq; ipſe Dominus apud Ezechielem nobis denũtiat: Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatũ eius non recordabor. Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, et fecerit iniquitatẽ, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non erunt in memoria. Atq; ita vltima facta aut nobis bono, aut malo ſunt. Sed proptereaquòd nihil prodeſt incluſam habere cõſcientiã, quia patemus Deo, idcirco poſtquã ſatis delictorũ nos pœnituit, deinde oportet vltro aperire animum, & perniciem vitiorum illi, qui mederi, & veram atque perpetuam ſanitatẽ reddere poteſt. Appetẽda eſt hæc omnibus medicina, quoniã in maiore periculo verſatur anima, quàm corpus. Et quia ſeruator noſter vt humana indutus perſona vbique nobiſcum preſens eſſe diu noluit, proinde ſui vicarios conſtituit homines mortales, id eſt, apoſtolos ac diſcipulos ſuos cumprimis, quibus dixit: Quorumcùmque remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorumcùmque retinueritis, retenta ſunt: vt illis noſtra confiteremur delicta, tanquam veris iudicibus, & ab iiſdẽ aliqua affecti pœna, per diuinã gratiã remiſſionem acciperemus. Ante CHRISTI

aduen



aduentum ſat erat mente fateri Deo commiſſa, clamante propheta: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Sed poſtquam Deus ipſe noſtræ ſalutis cauſa factus eſt homo, neceſſum fuit homini qui eius locum in terris tenet, aperire pectus, & totam nudare vitam, per confeſſionem, quæ conſcientiæ vox eſt, vt mereremur veniam, quam IESVS CHRISTVS per paſſionẽ ſuam nobis impertitus eſt. Atque hoc fuit primũ confeſſionis inſtitutum, ad quod beatum Iacobum alluſiſſe ferunt, cùm dixit: Confitemini inuicem alius alij delicta, & orate pro vobis inuicẽ, vt ſanemini. Ille ſic nos Deo reconciliatos voluiſſe videtur, vt remiſſis viciſſim offenſis, amicius inter nos viueremus. Fuit illa omnino confeſſio, quam publicam vocant, quæ poſtea, vt quidam, quibus omnino plus ſapit palatus quàm cor, tradunt, exẽplo patribus fuiſſe videtur, vt ſecretiorem inſtituerit, qua, priore omiſſa, nunc vtimur maximè neceſſaria, quãdo per eam, cùm corporis, tum animi vitijs fœdè labentes, Deo ſemel atque iterum reconciliamur. Veruntamen ego affirmare auſim, huiuſce ſecretioris confeſſionis autorem fuiſſe CHRISTVM, qui quemadmodum ſupra oſtendimus, autoritatem fecit apoſtolis remittẽdi pariter atque retinendi aliorum peccata. Qua ſanè poteſtate ecquo

illi

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

*illi pacto vti potuiſſent, niſi iam tum mortales cœpiſſent eis de ſuis confiteri delictu? Quippe ſolus Deus ſcrutator eſt humani cordis, ex quo omnia ferè mala quæ ab homine in hominem proficiſcuntur, iugiter manant. quod & factum eſſe teſtatur Lucas in Actis ca.* XIX. *qui poſtquam oſtendit filios Scevæ Iudæi principis ſacerdotum auſos fuiſſe inuocare nomen* Domini IESV, *ſuper eos, qui haberent ſpiritus malos, quemadmodum Paulus faciebat, & ob id vulneratos fuiſſe ab homine ſpiritu vexato, inquit:* Hoc *autem innotuit omnibus Iudæis ſimul &* Græcis, *qui habitabant* Epheſi, *& incidit timor ſuper illos omnes, & magnificabatur nomen* Domini IESV, *multique credentium veniebant, hoc eſt, ad Paulum, confitentes & annunciantes facta ſua. Et hæc vera confeſſio, & initium confeſſionis fuit. Quare parum omnino prudentis, ne dicam ſponte errantis, eſt, aliter vel credere, ſeu tradere, cùm eiuſmodi argumento rei nihil profectò videatur eſſe probabilius. At ſunt qui ſcribant, confeſſionem hanc apertam fuiſſe, qui neceſſe eſt, vel intelligant eſſe eos homines de manifeſtis actibus confeſſos, quæ res confeſſionem non requirebat, vel non intelligant quod dicunt: ſi enim de occultis delictis palàm confeſſi forent, iam tum anſam dediſſent inimicis ad obijcienda ſua ſibi facinora, cum dedecore,*

quod



*quod morte magis vir ſanæ mentis fugere debet: ex quo cõfeſſionẽ minimè apertã fuiſſe ſatis conſtare poteſt.* Cæterùm *vt modus prioris confeſſionis priſcorũ diluceat,* Tertulliani, *qui de ea re luculenter agit in libro quem de pœnitentia ſcripſit, verba ſubijciam, quæ eiuſmodi ſunt: Is actus qui magis* Græco *vocabulo exprimitur, & frequentatur, exhomologeſis eſt, qua delictũ* Domino *noſtrũ confitemur, non quidẽ vt ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, cõfeſſione pœnitẽtia naſcitur, pœnitẽtia* Deus *mitigatur. Itaq; exhomologeſis proſternẽdi & humilificãdi hominis diſciplina eſt, conuerſationem iniungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu atque victu, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit, triſti tractatione mutare.* Cæterum *paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animi cauſa. Plerunque verò ieiunijs preces alere, ingemiſcere, lacrymare, & mugire dies noctéſque ad dominum* Deum *tuum, presbyteris aduolui, & aris* Dei *adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere. hæc* Tertul. *Poſtremò ſequitur, vt ſatis* Deo *faciamus: quod fit cum iuſſu ſacerdotis, cui ſiſi ſumus commiſſa, facimus fructus, vti* Ioannes *prædicabat, qui diceant pœnitentiam: nam, vti*

Cypri

Univerſidad de Deuſto Biblioteca



*Cyprianus ait, pœnitentiam ille agit, qui diuinis præceptis mitis & patiens, & ſacerdotibus Dei obtemperans, obſequiis ſuis & operibus iuſtis Dominum promeretur. Atqui Innocentius tertius conſtituit, vt qui iam doli capaces eſſe cœpiſſent, ſi non ſæpius, at ſemel quotannis confiterentur peccata illis ſacerdotibus, qui eorum animarum curam haberent. Atq; hic eſt vera purgationis modus, vt quod dicto factóve quotidie peccamus, illud pura conſcientia voce, piiſque actibus expiemus, non autem Iudaico ritu, arietis ſanguine, aut more priſcorum teda, ſulphure, vel aqua. In ſacris ferè omnibus Ethnicorum tres erant iſtæ purgationes: nam aut teda purgabantur, & ſulphure, aut aqua abluebantur, aut aere ventilabantur. Triplicem purgationem Ouidius notat illo verſu:*

*Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure, luſtrat.*

*Et Vergilius idem:*

*Ter ſocios pura circuntulit vnda,*
*Spargens rore leui & ramo felicis oliuæ,*
*Luſtrauitque viros.*

*Item ouum vſurpabant. Iuuenalis:*

*Niſi ſe centum luſtrauerit ouis.*

*Sic & in hoc delirabant: non enim corpus, ſed animus eſt purgandus, vtpote cuius abſque nutu, atque renutu, nemo quiſquam ſit nocens.*

*Qui*



Qui primi inſtituerint horas canonicas, ac ſanxerint vt pſalmi à choro alternis canerentur, ac quàm parum frugifer ſit cantus in domo Domini mollior atque delicatior, & ibidem de origine chori, & qui diuorum vitas ſcripſerint.

CAPVT II.

*PReces horarias ſiue canonicas, quas vocant, Hieronymus primus, Euſebio Cremonẽſi & pleriſque aliis qui cum eo vixerant, inſtituiſſe fertur, quibus diuinæ in templis laudes canerentur, vt ex ſacra patet hiſtoria, quas patres deinde receperunt imitati carmen Dauid: Septies in die laudem dixi tibi. Sunt autẽ qui tradant, & inprimis diuus Cyprianus, morem celebrãdi, primã, tertiam, ſextam & nonã horam à Daniele ſumptum, quòd ille ter in die poſitis humi genibus, patrio ritu mane, hora ſexta & nona precari conſueuiſſet. Ita teſte diuo Hierony. tria ſunt orandi tempora, mane, id eſt, hora tertia, cùm ſpiritu ſancto afflati ſunt apoſtoli: ſexta, cùm edendum eſt. Sic petrus apoſtolus volens cibum capere, aſcendit circa horam ſextam in cœnaculum, orandi cauſa: nona, tum idem petrus & Ioannes perrexerunt ad templum, precandi gratia. Fuit vel illud priſcorum inſtitutum, cùm apud illos ſic oraretur, teſte Apuleio, qui lib. II. ita ſcribit: Rebus iam ritè conſummatis, inchoatæ lucis ſalutationibus*

LI *relig*

religioſi primam nunciantes horam perſtrepunt. Matutinas precationes vocat hoc loco Apuleius non inelegantes ſalutationes, oſtenditque modum orandi diuiſum in horas ſacrificijs legitimas fuiſſe. Poſtea, quod ſatis conſtat, Pelagius ſecundus decreuit vt ipſæ ſeptem canonicæ horæ, quotidie à ſacerdotibus recitarentur, velut præſens remedium humanæ imbecillitati futurum, quo ſicuti iuſtus ſepties in die, quemadmodum ait Solomon, fortè per inconſiderantiam cadit, ita per orandi curam toties reſurgat, conualeſcatque. Singulis autem horis Gregorius præfationem dedit initium pſalmi Dauid, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina: ſubiecitque hymnum illum, Gloria patris & filio, & ſpiritui ſancto: de quo alibi dicemus. Vt totidem etiam horæ in honorem deiparæ virginis quotidie recitarentur, inſtituit Vrbanus ſecundus in concilio, quod in Gallijs ad Claromontem habuit. At Hieronymus rogatu Damaſi digeſſit pſalterium quod vocant, id eſt, pſalmorum librum in ſeptem partes, ad numerũ dierum vnius hebdomadæ, vt quilibet dies certum pſalmorum numerum haberet, qui caneretur: quod ita diſtinctum nũc ex ipſis Damaſi decreto in omnibus tẽplis legitur. Fertur idem pontifex omnium primus hymnum Gloria patri, &c. qui tribus diuinis





perſonis redditur, ad extremum quenque pſalmum adieciſſe, quem in Niceno cõuentu prius editum, memoriæ proditum eſt. Item primus inſtituit, vt chorus alternis pſalmos caneret: quanquã non nemo tradit, id antea ab Ignatio epiſcopo Antiocheno inſtitutũ fuiſſe, quippe qui per quietem audiuiſſet angelos ad eum modum viciſſim pſalmos concinentes: id quod vnus vel alter à Dauid mutuatus eſſe videtur, qui, teſte Ioſepho lib. Antiqui. VII. dicitur ſeptem conſtituiſſe choros, & eos canentes ac præcedentes ipſe ſubſecutus, dum arca Hieroſolyma deportaretur. Vel Aſaph imitati ſunt, qui vt ſupra diximus, etiam apud Hebræos autor fuit ordinis eorum, qui pſallerẽt. Fuit omnino iam inde ab initio mos noſtris concinere de rebus ſacris, dicente Tertulliano ad vxorem: Quid maritus ſuus illi, vel marito quid illa cantabat? Id hodie apud Germanos cumprimis ſeruatur. At diuus Auguſt. lib. Confeſſionum IX. ait Ambroſium Mediolanenſem antiſtitem hunc canendi hymnos & pſalmos morem primùm apud Occidentales inſtituiſſe populos: quod non vtique multum abhorret à ſententia eorum, qui Damaſo aſsignant: nam cùm ambo per idem tempus fuerint, & quod vnus cupiſſet, ab altero ratum haberi oportuerit, nõ iniuria & ambo eius rei autores dici poſſent. Verùm quantum iam tunc illud

Universidad de Deusto Biblioteca



inſtitutum vtile eſſe cœperit, idem Auguſt. li.
ſuarum Confeſſionum x. planum facit, quippe
qui à Deo veniam petit, quòd diligentius can
tum quàm ſacrorum verborum pondus atten-
diſſet. Sed hodie longè minus è republica no-
ſtra eſſe apparet, quando cantores noſtri ita
in templis conſtrepunt, vt nihil præter vocem
audiatur, & qui interſunt (interſunt autem
quotquot ciuitas capit) eiuſmodi clamorem
concentu, quo eorum aures maximè calent, con
tenti, de vi verborum minimè curant. Vnde
eò ventum eſt, vt apud vulgus, omnis diuini
cultus ratio in iſtis cantoribus ſita eſſe videa-
tur, quãuis generatim nullum aliud hominum
genus ſit leuius aut improbius: & tamen bo-
na pars populi, vt eos audiat clamantes, in ſa-
cras ædes velut in theatrũ cõcurrit, eos pretio
conducit, eos fouet, eos deniq; ſolos domus Dei
ornamẽto eſſe exiſtimat, tantò molliores & de
licatiores in cãtu flexiones & fictæ vocula vul
gus magis delectant, quàm certæ & planæ: at
ei gratior eſt ſonus, qui tremulo è gutture fun-
ditur, quàm qui cum grauitate editur. Quare
dubio procul ex religionis vſu foret, aut eiuſ-
modi graculos è templis eĳcere, vel omnino ita
eos inſtituere, vt canentes more potius legen-
tium quam inſtrepentium, hymnos recita-
rent: quod diuum Athanaſium Alexãdrinum
epiſcopum olim in diœceſi ſua feciſſe Auguſti-
nus



nus in prænotato lib. atteſtatur, atque magno
pere laudat. Chorus autem multorum vocibus
conſtat, ita vt ex pluribus vna reddatur, ſiát-
que concentus ex diſſonis. autor Seneca, &
Macrobius. Chorum à chara, id eſt, lætitia, di-
ci autumat Plato lib. 11. de legib. Ego verò di-
xerim huiuſmodi cantica bene magna ex par
te, à veteribus ad noſtras cæremonias eſſe
tranſlata, apud quos ad ſymphoniam ſacrifi-
cabatur, teſte Liuio, lib. ab vrbe cond. nono, vbi
ait tibicines ſolitos præcinere ſacrificĳs. Sed
vel id planius facit pes ſpondeus, ita dictus,
quòd in ſacrificĳs libantes eo maximè vteren
tur: nam Græci σπονδὴν libamina appellant.
Numa Pompilius hunc pedẽ pontificium nun-
cupauit, cùm ſpondei melos, id eſt, cantu, pa-
trios placaret indigetes. Præterea thure incen
ſis altaribus, tibicinem ſpondeum canere iu-
bebãt, vt duabus longis ſymphonĳs quaſi du-
plicibus & iugibus vocibus, proſpera deorum
voluntas firmaretur. Sic Cicero tradit publi-
cam mulierem, cum violenti iuuenes eius fores
frangerent, admonuiſſe tibicinã, vt ſpondeum
caneret: quod cùm illa feciſſet, tarditate mo-
dorum & grauitate canentis, illorum furorem
conſedaſſe. Meminit & huius rei Quintil. in
primo de inſtitu. oratoria. Sed ad Damaſum
redeamus. Is quoque inſtituit, vt ad ſingulas
horas canonicas recitaretur, preſſa tamẽ voce,

*ſymbolum, quod ad differentiam Niceni ſymboli, vulgò breuius & apoſtolorum appellatur: quamuis certius ſit, vt multi tradunt, iſtud, non illud, in Niceno concilio editum. Vitalianus verò canendi modum inuenit decentiſſimum, quo hymni ſacri canerentur, quod ante eum Gelaſio & Gregorio etſi non nemo aſſignat, adhibuitque ad eum organa. De eiuſmodi muſico inſtrumento affatim tradidimus ſuprà lib. I. cap. XV. cum de inſtrumẽtis muſicis tractatum eſt. Vitas diuorum quas lectiones appellamus, Paulus Diaconus & Iſuardus monachus circiter annum ſalutis DCCC. rogatu Caroli Magni ſcripſerant. Et quoniam cùm aliàs, tum præſertim imperante Diocletiano, Damaſus & Euſebius teſtantur, ad decem & ſeptem Chriſtianorum millia, diebus tantum triginta, per diuerſas prouincias afflicta ſupplicijs fuiſſe, difficile erat ſingulorum vel vitas deſcribere, vel diem feſtum cuilibet dare, illi propterea cõpoſuerunt lectiones, quas appellamus, quæ martyribus pluribus, confeſſoribus, quos vocant, vel virginibus conuenirent, quas patres de cõcilij ſententia poſtea comprobarunt, certiſque diebus qui ipſis diuiſis ſacri haberentur, recitari inter horas canonicas mandarunt. Poſt hæc quidam putantes fore, vt quis in multiloquio ſuo facilius exaudiretur, preces alias inſtituere, quædã mutuati*





*ab his canonicis, quas ad diſtinctionem ſuarum, Romanas appellarunt: nam Benedictus ſuis monachis certum orandi modum præſcripſit, itẽ Bernardus ſuis, Dominicus ſuis. Quin & ſinguli prouinciales antiſtites idem fecerunt, vt hodie alij alias preces vſurpent, & id factum ſit, vel Romanorum pontificum cõſenſu, qui nihil reſpuere voluerunt, quod diuinum augeret cultum, tametſi Chriſto breuior, nõ item longior precandi modus probatur.*

## De initio ieiunij, & primo eleemoſynæ vſu, ac ibidem quale verum ſit ieiunium, atq; de ieiunij aduentus, quem vocãt, quadrageſimæ vario primordio, & vnde dicta ſit, ac feriæ quartæ cinerum, quatuórque temporum inſtituto. CAP. III.

*Docet diuus Auguſt. in ſermone quinquageſimonono de Tẽpore, ad fratres, precibus, de quibus iã abunde ſuprà diximus, duas eſſe alas annectendas, ieiuniũ, & eleemoſynã, hoc eſt, vt vocamus, largitionem miſericordiæ cauſa inopi factam, quò celerius in cœlũ aduolare, id eſt, Deo lõgè acceptiſſimæ fieri queãt: quia bonæ ſunt illæ preces, vti in Tobia eſt, quas ieiunium & eleemoſyna comitatur. Ieiunij initium ab orbe ſtatim condito factum eſt, cùm primis noſtris parentibus in amœniſſima terræ parte, cui paradiſus Graia voce no-*

Universidad de Deusto Biblioteca



men fuit, cõſtitutis interdicta eſt arbor, à qua abſtinerent, vt ſic temperãdo, beatiſsimã vitam degerent, malorum omnium expertẽ, terra ſua ſponte ferente omnia, & Deum creatorem ſuũ ſpiritu, vti minus mole corporea onuſto, facilius colerent. Imò, vt Ambroſius ait, primus mundi vſus cœpit à ieiunio, qui in libro de ieiunio ita ſcribit: Quinto die produxerunt aquæ repentia animarum, & volatilia volantia ſuper terram, & adhuc ſeruabatur ieiunium. Sexto die beſtiæ ſunt creatæ, & cum beſtijs orta edendi poteſtas, & vſus eſcarum: inde lex de ieiunio lata eſt, pœnaque violatori indicta. Ita nihil prius Deus præſcripſit homini, quàm vt abſtineret. Atque ieiunij talis fuit origo. Cæterùm abſtinentia haud diuturna fuit: non multò pòſt commiſerunt, vt alteram, credo, precum alam experirẽtur: quapropter dum in cœlo eſſe ſibi videbãtur, amœniſsimo domicilio ſedéque illa beatiore expulſi, ſeſe nudos ſubitò repererunt, ac tum primùm alienis opibus egentes, à Deo pelliceas tunicas accepere, quibus operirentur, inde rerum omnium magis indigentes ſolũ laborioſè vertere, & per ſudorem ac ærumnam vitam agentes, expectare fructus terræ, quæ iam cohibita nihil vltrò amplius ferebat, coacti ſunt. Subijt & morbus, tentaréque cœperunt frigora & æſtus inſueta corpora, ſicuti oraculum





lum prædixerat ea vitæ incommoda adeunda eſſe, ſi minus diuinæ legi paruiſſent. Et hinc ſimul eleemoſynæ vſus eſſe cœpit, qui inter omnes gẽtes, tantũ deinceps increbuit, quantũ pauperies ſemper ſerpſit. Sed hanc nõ vno humanitatis vel liberalitatis genere metiri licet: quodcunque enim charitatis officium in alterum præſtatur, id eleemoſyna eſt. Cæterùm Moſes primus eleemoſynæ dandæ vſum introduxit, dicens, vt in Deuteronomio extat: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum verſatur in terra. Quod vel CHRISTVS approbauit, cùm inquit: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Et rurſum alibi: Vendite quæ poſsidetis, & date eleemoſynam. Magna nempe vis eleemoſynæ, cùm in ea tam bene omnia bona noſtra locata velit Seruator. Sed quibus dãda ſit, audi diuum Hieronymum, cum ſeruatore docentẽ, & dicentem: Vade, vende omnia tua, & da pauperibus. Pauper non vtique ille, qui mendicitate & ſqualore coopertus eſt, & tamẽ non recedit a vitijs, ſed qui bonus eſt. hæc Hieron. Et Salomon: Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem. Illis igitur, teſte etiam Ambroſio, quos ſcimus ignauè potius, quàm ex neceſsitate oſtiatim de cibo rogare, debemus conſule-

Universidad de Deusto Biblioteca

re, vt bene agant, ac eos obiurgando commonefacere, vt ſine vitæ ignauia, velint in ſudore vultus, ſicut diuina iubet iuſtitia, & quæritare victum, & eſſe panem ſuum. Et hæc vt magis pia & ſalutarior, eleemoſyna ſpiritualis nuncupatur. Eſt tamen cõmuniter danda eleemoſyna omnibus egentibus, quãdo ea non tam accipientibus quàm dãtibus prodeſt. Sed de ieiunio iam agamus. Manauit & illa ieiunij ratio ad poſteros: enimuero carnis ac vini vſus ab Adam ad Noë vſque ignotus fuit. Cibo ſe abſtinuit Moſes XL. dies, abſtinuit Helias, & poſtremò ſeruator noſter totidem. Item Niniuitis Ionæ prophetæ opera & cohortatione, pœnitentibus per ieiunium venia datur. Ita Iudæi abſtinere conſueuerunt, quoties à Deo opem aduerſus calamitates implorare, aut eum iratum placare, vel aliquid vſui vitæ neceſſarium rogare, ſeu acceptorum beneficiorum memoriã, vel dies feſtos agere voluiſſent. Demum Chriſtus & ieiunãdum eſſe, & ieiunãdi modum inſtituit, cùm apud Matthæum cap. VI. dixit, Tu verò cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuã laua, ne conſpicuũ ſit hominibus te ieiunare, ſed patri tuo, qui eſt in occulto, & pater tuus qui videt in abdito, reddet tibi in propatulo. At ieiunio videtur nomen inditum ex inteſtino, quod ieiunum dicitur: quia teſte Cornelio Celſo, lib.



lib. IIII. nunquam quod accipit, continet, ſed protinus in inferiores partes ventris mittit: hoc argumento, vt more ieiuni inteſtini, minus nos cibis oneremus, cùm abſtinemus, quod proprium cõtinentiæ eſt. Verum autem ieiunium ſeruat, non qui à carnibus tantum cœnáque abſtinet, id quod vulgus abſolutum ieiunium exiſtimat, ſed qui ſimul & affectibus aliquid adimit, vt minus permittat iræ, quàm ſoleat, minus ſuperbiæ, minus cupiditati, nihil voluptati, ac patienter ferat ſi quid aduerſi inciderit. Hæc omnia Epictetus ſtoicus duobus verbis, quæ frequentiſſimè vſurpabat, pulcherrimè comprehendit, ſuſtine, & abſtine. At Origenes in hanc quoque ſententiam, Vis, inquit, oſtendam quale te oporteat ieiunare ieiunium? ieiuna ab omni peccato, nullum cibum ſumas malitiæ, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concaleſcas, ieiuna à malis actibus, abſtine à malis ſermonibus, contine te à cogitationibus peſſimis, noli contingere panes furtiuos peruerſæ doctrinæ, nõ concupiſcas fallaces philoſophiæ cibos qui te à veritate ſeducãt: tale ieiunium Deo placet. Vt igitur ad hanc tanti præmij meſſem ſæpius vigilaremus, vt ad cœleſtium bonorum guſtum eniteremur frequentius, apoſtoli volentes Chriſtianos imitaturos eſſe ſeruatoris abſtinentiã, inſtituerunt, in quadraginta

Universidad de Deusto
Biblioteca



ginta dies ieiunium ante paſcha ſeruandũ. Id
eſſe verum teſtis eſt diuus Hierony. in epiſt. ad
Marcellam, aduerſus Montanum, qui plures
quadrageſimas ſeruandas prædicabat, ſcri-
bens: Nos vnã quadrageſimam ſecundũ tra-
ditionem apoſtolorum, tempore nobis congruo
ieiunamus, illi tres in anno faciunt quadra-
geſimas, quaſi tres paſſi ſint ſeruatores, non
quò & per totum annum, excepta Pentecoſte,
ieiunare non liceat, ſed quòd aliud ſit neceſ-
ſitate, aliud voluntate munus offerre, & reli-
qua. Imò ſi Chriſoſtomo credimus, ipſius
CHRISTI inſtitutum eſſe videtur, qui ho-
milia decima in Geneſin, de ea re ita ſcribit:
Nam quemadmodum in vijs publicis ſunt ſta-
tiones & diuerticula, in quibus feſſi viato-
res & reſpirant, & quieſcunt, vt alacrius
poſtea iter ſuum conficiant: & ſicut in mari
ſunt portus, vt in eos ſe recipiãt nauigantes,
dum ventorum impetus cõquieſcat, & ſic ite-
rum nauigare incipiãt: ita & nunc hi qui in
hac quadrageſima ieiunij curſum ſuſcipere,
quaſi ſtationes & diuerticula, & portus, per
duos hebdomadæ dies. Dominus quietẽ largi-
tus eſt, vt & corpori aliquantulum ieiunij la-
bores remittant, & exactis duobus illis die-
bus, in pulchrè cœpto itinere alacriter pergãt.
At non nemo Telephoro illud primò aſſignat,
& quidem falsò: nã Telephorus auxit potius
dierum



dierum numerũ, quàm eius inſtituti fuit au-
tor, qui fertur conſtituiſſe, vt per ſeptẽ hebdo-
madas, ante paſcha, ieiunium obſeruaretur.
Hoc temporis ſpatio computãtur quinquagin
ta dies, quibus quotidie, ne vno quidem præ-
termiſſo, ieiunãdum erat: ſiquidem ex decreto
Melchiadis perſpicuè apparet, nullos tum do-
minicos dies à ieiunio vacuos fuiſſe: ille enim
perdiu poſtea ſanxit, ne Dominico, nève quin-
to hebdomadæ die ieiunium celebraretur,
quòd eos dies idolorum cultores quaſi ſacros
agerent. Sed hoc poſterius paulatim obſoleuit.
Illud verò ſuperius iam ante Melchiadem in
vſu erat, dicente Tertullian. in lib. de militis
corona: Die Dominico ieiunium nefas duci-
mus: eadem immunitate à die paſchæ, vſque
ad pentecoſtẽ gaudemus, &c. Verùm ita fortè
accidit, vt inſtitutũ iam intermiſſum, à Mel-
chiade renouatum fuerit. Quare Chryſoſto-
mus eos ipſos dies, vt ſuprà oſtendimus, a Do-
mino datos ad recreandum corpus rectè affir-
mare videtur. Ad hunc deniq; modũ Tele-
phorus non inſtituit quadrageſimam, ſed ad
eam vnam addidit hebdomadã, qua ſacerdo-
tes duntaxat, vltra alios abſtinerent, vt illi
qui ſanctiores eſſe debent, vel in hac obſerua-
tione ſancta, aliquid plus quàm reliqui abſti-
nendo præſtarent. Poſthac Gregorius ſcripſiſ-
ſe fertur Auguſtino Anglorum antiſtiti, vt
curaret,

Universidad de Deusto Biblioteca

curaret, quò Anglici quoque ſacerdotes ſe-
cundum Telephori decretũ, ieiunium ſerua-
rent. Et id temporis ſpatium quinquageſima
dictum, ſicut latè patet in canon. Decretis,
vbi de ieiunio agitur: & id inſtitutum deinde
Aurelianenſis cõcilij autoritate antiquatum.
Cæterùm vnde dicta ſit quadrageſima, &
quod habuerit principium, facilè ambigitur.
Etenim longo iam vſu venit, vt quadrageſi-
ma abſolutè ponatur pro eo quadraginta die-
rum ſpatio, qui ſunt ieiunio ſacri, ſed quàm
Latinè neſcio, niſi dicatur, quia ordine eſt
dies quadrageſima ſacri ieiunij, & finis eiuſ-
dem: ac inde ſic nominetur, quòd ſit vltima
dies ex quadraginta, ſicut ſecundus eſt vlti-
mus ex duobus. Atqui fuere nonnulli, qui
iſtiuſmodi partem tẽporis tanquam totius an-
ni decimã ſacro ieiunio darent: nam cùm an-
nus conſtet ex CCCLXV. diebus, ac horis
ſex, decima pars eſt triginta ſex dies, & neſ-
cio quot horæ: & quia deinde quatuor dies,
ſicut infrà dicemus, additi ſunt, ex eo, etſi ſa-
tis ineptè, nomẽ compoſuerunt, vt quadrage-
ſima nuncupata ſit, quaſi quatuor & decima.
At iſtuc ne ſomnium, cui ſimile eſt, fortè pu-
tes, ſcriptum leges lib. Diuinorum officiorum
VI. Quadrageſimam verò alij iam vſque ab
initio incipiebant eo die, qui nunc eſt primus
ipſius quadrageſimæ Dominicus dies, ac ita
continebat



cõtinebat in ſe duos & quadraginta dies: alij
verò à ſecunda feria præteritæ hebdomadæ,
quod hodie noſtri monachi atque Narbonẽſes
Galli obſeruant. Verum cùm in eo XLII. die-
rum numero ſex intereſſent Dominici dies,
quibus ex ſcito Melchiadis fas non erat ieiu-
nare, idcirco D. Gregorius, quemadmodũ eo-
dem in lib. patet, vt quadrageſimã redigeret
ad XL. dies ieiunio ſacros, addidit ad eum
ipſum numerum dies quatuor, voluitque fe-
riam quartã præteritã, eſſe caput quadrage-
ſimæ, quam multis cùm cærimonijs tum ſacris,
ſanctam & celebrem fecit. Primum enim in
Miſſa legitur illud Ioël prophetæ ſecundũ ca-
put, vbi de pœnitentia agitur: deinde aliud
Matthæi euangeliſtæ, quo veri ieiunij modus
præſcribitur. Sed ante initium Miſſæ factum,
cineres cõſecrantur, quibus populus aſperga-
tur: ſic nanque apud Iudæos, eos quos maxi-
mè pœniteret, cinere conſpergi ſolitos tradit
Hieremias, cap. XXV. Deinde ſacerdos impo-
nit eos cineres ſuper verticẽ capitis cuiuſque,
dicens: Memento homo, quia puluis es, & in
puluerem reuerteris. apud alios ait: Memento
homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris,
in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti,
Amen. Atq; hinc ea dies feria quarta cinerũ
appellatur. Ita cuncti generatim mortales ſe-
mel ſaltem in anno redduntur mortis memo-
res,

Universidad de Deusto Biblioteca

res,quod facit vt rectius viuamus,certò ſcientes nobis eſſe moriendũ. Ad eũ modum Dominus, veluti eſt lib. Geneſeos cap. III. admonuit Adã poſtquàm peccauerat, & in mortis neceſsitatẽ inciderat, de humani corporis imbecillitate, dicẽs: In ſudore vultus tui veſcere pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerẽ reuertẽris. Poſtremò vt ne ocyus quàm ieiunium requireret, populus ad prandiũ aduolaret, iuſſum eſt, vt ſacra omnia ad nonã vſque horam producerentur, recitatis etiam ſimul veſperis, quas vocant. Quæ ſanè cærimoniæ ac ſacra partim diui Gregorij opera & autoritate, partim Cabillionenſis cõcilij decreto inſtituta ſunt. Eſt autem Caballio, ſeu Cabellio, vel Cabillio, ita variè apud veteres autores legitur, teſte Ptolemæo, ciuitas in Lugdunẽſi Gallia celebris, in qua ea frequens ſynodus habita eſt. Ad rem redeo. Eorundẽ quoq; apoſtolorum decretũ fuit, vt tres hebdomadæ ante natalem Domini, vt ſolẽnes celebrarẽtur, adiunxerũtq; illis ieiuniũ, quod aliquãdiu publicè ſeruatum ferunt, nunc verò monachi maximè omniũ obſeruant. Caliſtus verò primus omniũ inſtituit, vt frumenti, vini & olei gratia, ter in anno ieiuniũ ageretur, die præſertim ſabbati, id eſt, quarto menſe, ſeptimo, & decimo, ſi inchoëmus annum à Martio, Hebræorum mo-

re.



re. Inde mutato cõſilio, in quatuor partitus eſt anni tempora id ieiunium, in ver, æſtatem, autumnum, & hyemem. Quibus temporibus deinceps ratio ſacrorum ordinũ habita eſt, cùm id antea tantummodo Decembri menſe fieri conſueuiſſet. Sunt tamen qui Vrbano attribuant huiuſmodi quatuor temporum, ac ieiunij diſtinctionem, quæ antea hominum imperitia confundebantur. Sic vtrunque fieri potuit: vt Caliſtus primùm inſtituerit, dein Vrbanus ieiunium in quatuor tempora digeſſerit. At iſta ego à Romanis accepta eſſe dixerim, quos Ouid. in Faſt. tribus anni temporibus fructuum gratia, totidem ſacrificia dicit feciſſe, vinalia, robigalia, floralia: prima cauſa vini, altera frugum, Deo qui Robigus dicebatur, ſacra ſeptimo Calend. Maij, quoniam tunc ferè ſegetes robigo occupat, vt ait Plin. tertia cunctorum fructuum quibus dea Flora præerat. Hinc igitur apparet priſcos Romanos pontifices eadem quoque anni tempora non inani ſuperſtitione, ſed ieiuniis tribus ex eadem cauſa celebraſſe, quò vanos veterum ritus in verum pietatis cultum verterent. Deinde patres nonnulla alia conſtituerunt ieiunia, quæ etiam ponere minimè tædebit.

Quando primùm ſacræ vigiliæ in ieiuniũ fuerint mutatæ: & ibidem, nocturna ſacra apud veteres ſemper fuiſſe damnata, atque

m m dein

Universidad de Deusto
Biblioteca



de inſtituto ieiunij quartæ & ſextæ dierum hebdomadæ. CAP. IIII.

MOs fuit ſtatim ab initio creſcentis religionis, vt quia ſeruator CHRISTVS noctu naſci voluiſſet, ſacerdotes nocturno tempore ſurgerent, horáſque canonicas canerent. teſtis Tertullianus, qui ad vxorem ſcribit: Latebiſne tu cùm per noctem exurgis oratum? Item diuus Hieronymus, qui in ſermone de Obſeruatione vigiliarum, aut quiſquis illius autor eſt (nam de ea re ambigitur) inquit: Hæc & huiuſmodi tanta ac talia ideo ſancti illi cecinerunt, & ſcripta reliquerunt, vt nos corũ poſteri paribus excitaremur exemplis, ad celebrandas etiam noctibus ſalutis noſtræ excubias. Quod nempe ex præcepto Domini fiebat dicentis ſuis diſcipulis: Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt ne intretis in tentationem: ſpiritus promptus eſt, ſed caro infirma. Et propheta illud ipſum decantat: Media nocte ſurgebam, vt confiterer tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Itẽ Apoſtolus ait: Orationi inſiſtite vigilantes. Hinc populus quoque imitans illos paſtores qui circa Bethlehem atque gregem ſuũ nocte excubias agentes, meruerunt primi de ortu Domini cognoſcere, ſolebat ea nocte quæ diem quempiã præceſſiſſet ſolẽnem, in tẽplis ad ſepulcra martyrum pernoctare orando, ſacróſque hymnos canen-





do. Quod C. Plinij teſtimonio cõprobatur, qui cùm Bithyniam prouinciam obtineret, motus miſericordia ob multitudinem Chriſtianorum interemptorum, ad Traianum, cuius iuſſu ea ſæuitia cœperat, ſcripſit, multa hominum millia quotidie obtrũcari, in quibus nihil omnino ſceleris inueniretur, niſi quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenq́; CHRISTO quaſi Deo canere. Sed quid damnoſa, vti ait Horatius, non minuit dies? Ea enim pietas poſtea paulatim in impietatẽ, illi ſacri hymni in diſſolutas cantiunculas, preces illæ in procaces affectus verti cœperunt. nam in eo nocturno conuentu pueri puellæq́; amores iam licentius meditari, iuuenes palàm ſtuprum offerre, ſenes lenocinũ facere, & matronæ paſſim corrumpi minus erubeſcebant. Quod Vigilantius, qui mox in hæreſim eſt lapſus, præſentiens, vt idoneam culpandi anſam amplexus, cœpit eas excubias maximè omnium impugnare, publicéque execrari. Contrà Hierony. qui ab eo criminatore nihil non in malam partem aſſeri ſuſpicabatur, grauiter repugnabat, argumentans paucorum culpam non debere religioni damno eſſe, quia qui peccarent vigilando in templis, poſſent etiã in ſuis domibus vel in alienis eadem facere: atque non illepidè in illum cauillans aiebat, Hoc facit contra vocabulum ſuum, vt velit dormire Vigilantius. Sic

Universidad de Deusto
Biblioteca



res in aliud tempus reiecta, ita auxit conta-
gionem, vt domus Dei iamiam, ſicut veritas
dicebat Iudæis, facta eſſet ſpelunca latronum,
hoc eſt, ſtupratorum. Quod patres vbi animad
uerterunt, vt ne id malum latius ſerperet, tan
dem aliquando ſtatuerunt, vt loco vigiliarum
ieiunium indiceretur pridie diei cuiuſque fe-
ſti, ſi ille celebris ac præcipuus eſſet, & ſacerdo
tes nihilominus de media nocte ſurgerent, ac
horas ſuas celebrarent: quia, vti Cyprianus
ait, efficax ſit precatio præcedente ieiunio.
Manſit dein vigiliarum, id eſt, officij nomẽ hu
iuſmodi ieiunio, quod æquè obſeruatur ac qua
drageſimale. Atque huic creſcenti morbo tale
eſt datum remedium, poſt tempora omnino di-
ui Hieronymi, qui eo anno occidit, qui fuit ſa-
lutis CCCCXXII, ſedente Bonifacio pontifi-
ce primo. Ita Aegyptij, teſte Herodoto, pridie
diei feſti ſolenne ieiunium habebant, & poſt-
quam dormierant, immolare vaccam. Hunc
ritum attendant, qui eiuſmodi diebus grauat-
tè abſtinent: quando inde ſcire licet nos à pri-
ſcis hominibus iſtum accepiſſe abſtinentiæ mo
dum, vt non videamur nouum obiiſſe munus.
Ad rem redeo. Nimirum nocturna ſacra ſem-
per fuere multorum ſcelerum cauſa: id quod
ad extremum fuit, quamobrem Romana ſeue-
ritas, teſte Liuio, Bacchanalia damnarit, cùm
ſub nomine religionis, ſtupra puerorum fœ-





minarúmque promiſcua, & corruptelæ omnis
generis fieri cœpiſſent: & Dyagundas Theba-
nus, teſte Cic. de Legi. omnia nocturna ſacra
ob illud ipſum apud Græcos lege perpetua ſu-
ſtulit. Item quarto & ſexto hebdomadæ die ie
iunium indixerunt patres, quòd hoc die Chri-
ſtus fuiſſet cruci affixus, & illo Iudas eum pro
dere animo deſtinaſſet: quod cenſuerat Apollo
nius orator inſignis, ſicuti in Decre. canon. eſt,
qui imperante Lucio Commodo, ſolus ea tempe
ſtate martyrium paſſus, quia de Chriſtianæ
religionis laudibus, quod tunc capitale fuit,
orationem habuiſſet. Teſtatur & de obſerua-
tione huius ieiunij Origenes ſuper Leuiti. ſcri
bens: Habemus quartam & ſextam ſeptimanæ
dies, quibus ſolenniter ieiunamus. Eiuſmodi
ſexti diei ieiunium ab Anglis hodie ſanctiſſi-
mè ſeruatur, populis ſine controuerſia, præ cun
ctis religioſiſſimis, ſicuti nos latius de ea re me
morauimus in hiſtoria noſtra Anglica, quæ nu
per diuûm auſpiciis in publicum prodiit.

Qui primi mutauerint Solis & Saturni
dierum nomina, in dominicum & ſabbathũ:
ac reliquos hebdomadæ dies in ferias di-
ſtinxerint, & ibidem, à quibus errantium ſy
derum vocabula fuerint iſtis diebus pri-
mùm tributa. CAP. V.

SVbnectam perappoſitè vnde feriarum no-
men ſit diebus hebdomadæ ſingulis indi-

Universidad de Deusto Biblioteca

tum. Porrò Sylueſter Romanus pontifex primus, vanorum Deorum memoriam abhorrens, ſtatuit, vt dies hebdomadæ, qui antea nominibus Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni dedicati eſſent, ad numerum feriarum digererentur, vocarentùrque prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta feria, ad eum propè modum, quo apud Hebræos, dies nomine ſabbatorum diſtincti fuerãt. Saturni verò diem antiquo legis vocabulo ſabbatum, quod requiem ſignificat, & primam feriam quæ in locum Solis ſubiecta erat, vt diem Domino ſacrum, dominicum appellari voluit: idque feciſſe dicitur rogatu Conſtantini principis. Quanquam apoſtoli primò eum diem Domino conſecrarant, quòd Seruator noſter eo die à mortuis reſurrexiſſet, atque otium ſabbati, id eſt, otium, ſicut ait Origen. ab operatione peccati, in eundem verterant, vt perinde apud nos dominicus eſſet, ac ſabbatum apud Iudeos fuerat. Quod verum eſſe ex eo colligere licet, quòd multò ante Sylueſtrum, aut Conſtantinum, Pius pontifex ſanxiſſe prohibetur, ſicut infrà demonſtrabitur, Paſcha dominico die celebrari, & Tertullianus eum diem dominicum appellat, vti proximo capite demonſtrauimus. Quare iſtud inſtitutum fortè id temporis minus ſeruatum, Sylueſter per hunc modum innouaſſe dicitur. Ceterùm hæc dierum





ratio nunc tantum in rebus diuinis habetur, cùm vix dominico die cum ſabbato ſuum tenente locum, & id credo, permittente ſole, & Saturno, reliqui priſtinum nomen recuperauerint. Vnde profectò pudendum eſt, ſimulque dolendum, quòd non antehac data ſint iſtis diebus Chriſtiana nomina, ne dij gentium inter nos, tam memorabile monimentum haberent. Feriæ apud veteres, erãt dies, quibus nullum opus fieri liceret, dictæ à feriendis victimis, quæ immolabantur: vel à ferendis epulis, quæ tum maximè dabantur. Sed de iis plura in capite inſequenti, cùm de feſtis diebus ſermo fiet. Quod autem receptum eſt, dies aſſignari ſeptem ſtellis, qui planetæ vocantur, inuentum Aegyptiorum putatur, teſte Dione hiſtorico.

## De modo Chriſtianæ abſtinentiæ in cibis capeſſendis, cùm ſolẽne eſt ieiunium, & vnde ſit vſus apud nos conſecrandi menſas, legendique ſacra ſcripta, dum editur, atque agendi gratias, poſt ſumptum cibum.

### CAPVT. VI.

CVm ieiunium agitur, primũ à carne, & à quocunque ciborum genere quod ſapiat carnem, ſicut ſunt lac, caſeus, oua, autore diuo Gregorio, abſtinendum eſt. Sed carnis vſum multò antè interdictum fuiſſe iis qui per ieiunium abſtinent, teſtatur Chryſoſto. qui Gregorium

Universidad de Deusto Biblioteca

gorium ducentis anteceſſit annis, Homilia tertia ad populum, in detractores: Quæ enim, inquit, vtilitas, cùm auibus & piſcibus abſtineamus, fratres verò mordeamus & comedamus? Quæ lex à principio impoſita fuit, cùm Deus, vti eſt in Geneſ. lib. dixit: Ecce dedi vobis omnem herbam ſeminantem ſemẽ, quæ eſt in ſuperficie omnis terræ. Et omnis arbor in qua eſt fructus arboris, ſeminans ſemen, vobis erit in eſcam. Ita, teſte Origene, primus homini cibus fuit ex oleribus et arborum fructibus, vſq; ad Noë tempora. Et eam ipſam legem in ieiunio remanſiſſe ſatis conſtat, quando poſteritas illa ſemper eſt vſa. Abſtinendum dein & à cœnis, dicente Hieron. prout & in Decretis ſcriptum eſt. Sint tibi quotidiana ieiunia, & refectio ſatietatem fugiens: nihil enim prodeſt tibi biduo vel triduo vacuum portare ventrẽ, ſi pòſt pariter obſtruatur. Et ſubdit: Sint tibi ieiunia pura, continua moderataq;, id eſt, quotidie eſurire quotidie prandere, & rel. Docet Hier. vt ſemel in die cibũ capiamus, & illũ quidem circa meridiẽ, quæ tẽporis portio iam vſu venit, vt prandio ſit data. Eſt illud ipſum iampridem conuentus Cabilionenſis decreto ſtatutum, quo excipitur, ne quiſquam ante ſacra meridiana peracta, pranſum eat: nulla hic mentio de cœna ſit. Dixit Hieronym. & refectio, id eſt, ipſius cibi capeſſendi actio, ſatietatem





tem fugiat: ſi de prãdio et cœna intellexiſſet, refectiones pluratiuo numero poſuiſſet. Hæc grata frugalitatis conſuetudo maiores noſtros in hoc genere ieiunij, cum ſumma voluptate continuit, hæc nos eſurire quotidie, cùm cœnas negligimus, & prandere quotidie admonet. Sanè ſi in ieiunio bis cibum capere fas eſſet, ecquæ hic abſtinentiæ forma, vel ſpecies quidem foret? parui enim refert quo veſcaris cibo, ſi modò te ad ſummum ſatiaueris. Apud Romanos olim prandia non fuiſſe frequenti in vſu, autor eſt ſeruius. Teſtatur idem Gell. ita ſcribens: Parſimonia apud veteres Romanos, & victus atque cœnarum tenuitas, non domeſtica ſolùm obſeruatione, ac diſciplina, ſed publica quoq; animaduerſione, legũmque plurium ſanctionibus cuſtodita eſt. Romanis fœminis, vti nos alibi diximus, vini vſus quondã ignotus fuit. Hebræi in ſolenni ieiunio veſperi tantum comedebant, ſicuti lib. Iudicum cap. xx. & II. Reg. cap. I. legitur. Hunc quoque morem apud noſtros aliquando ſeruatum Chryſoſt. innuere videtur, cum Homil. XXXVI. in Matth. prope finem ita dicat: Veniat tibi, oro, in mentem, quoties ieiunij tempore, menſa veſperi appoſita, ſi miniſter vocatus tardiuſculè acceſſerit, &c. Nos igitur ab iis formam ieiunij accepiſſe videmur, ſed alio temperantiæ argumento: illi in medias noctes ſeſe paſcebant,

Universidad de Deusto
Biblioteca



nos merenda contenti, reliquum diei abſtinen-
ter agimus. Hæc ieiunij ratio quãquã ab omni-
bus recepta eſt, riteq́; vbiq; gentiũ ſeruatur, de
ea tamẽ non ab re, hoc loco latius quàm vole-
bam, memorauimus: ſunt enim nonnulli quorũ
Deus venter eſt, vt apoſtolus ait: qui velut fru
ges cõſumere nati, omnia tam humana quàm
diuina præ lautiſſimis epulis, haud magni du-
cant. Ij porrò abortiui, vt dicunt, religionis fi-
lij, cõtendunt eſſe cœnandum in ieiunio, modò
carnium vſus abſit. Huic tam pingui eſuritio-
ni audiuimus nos quandoq; apud Anglos. Lon-
dini neſcio quem concionatorem Franciſcani
ordinis virum, voluiſſe copiam ſuppeditare ci-
borũ, imò abſtinẽtiæ Chriſtianæ fræna laxa-
re, affirmantẽ neminẽ teneri capitali peccato,
ſi quadrageſimale ieiunium violaſſet, cùm ex
præſcripto legis, nihil cõtrà ſancitũ eſſet. Ita
homo eius ſectæ, quã Chriſtus nõ inſtituit, de
ieiunio præceptũ Chriſti requirebat, vt (credo)
ſuo amplo vẽtri haud tenuiculo cibo cõtento,
honeſtius obediret. O poſt hominũ memoriã es
importuniſſimũ. Fac, quæſo, mihi licere id ſine
capitali crimine facere, quid obeſt, ſi perſua-
ſum habeã me grauius peccare quã peccem, ſi
non abſtineam? Officit ſanè nihil, cùm per id
enitar patientius abſtinere, quod cum corpori
tũ animo & perutile atq; maximè neceſſariũ
eſt, inclamante Origene: Nam quomodo apud
eos



eos caſtitas incorrupta ſeruatur, niſi arctiori-
bus cõtinentiæ fulta ſubſidijs? Quomodo ſcri-
pturis operam dabunt? Quomodo ſapientiæ &
ſcientiæ ſtudent? nónne per continentiam ven-
tris & gutturis? Quomodo quis ſeipſum ca-
ſtrat propter regnum cœlorum, niſi ciborum af
fluentiam reſecet, niſi abſtinentia vtatur mi-
niſtra? Hæc ergo Chriſtianis ieiunandi ratio
eſt. hactenus ille. Proinde ex vſu noſtro nõ eſt,
ex ſuggeſtu polliceri ſecus faciẽtibus ac Chri-
ſtiana temperantia poſcit, lèxque iubet, impu-
nitatem, quæ malorum ſemper auget audaciã.
Quamuis ego omnino non facile conceſſerim,
id fieri poſſe ſine capitali noxa, quando apoſto-
lorum, vel atq; adeo Chriſti, vt ſuprà cap. III.
oſtendi, inſtitutum ſic violatur, ſic patrum au-
toritas floccipenditur, ſic denique religio ipſa
negligitur, cùm præſertim hoc tempus ſacrum
ſit, de quo idem Origenes: Habemus, inquit,
quadrageſimæ dies ieiunijs conſecratos. Atque
iam ſatis liquet, quantum ſit piaculum, dare
diſſolutis licentiam peccandi, ac religioſum po
pulum à pio continentiæ officio auocare, ab e-
iuſq; pectore caſtum ſummouere metum. Cæte
rùm extra ieiunium legitimum, & duos hebdo
madæ dies, feriã ſextam ac ſabbatũ habemus,
quibus non licet veſci carnibus prout iam ab
initio Eccleſia receperat, conſtituerat, ſanci-
ueratq;. Aſt alijs diebus nefas eſt Chriſtiano
homi

Universidad de Deusto Biblioteca

homini cibum aliquem quo veſcantur cæteri
mortales, ſtomachari, repudiare, cùm Seruator
imperet, ita dicens diſcipulis ſuis: In quamcun
que ciuitatē intraueritis, & ſuſceperint vos,
edite quæ apponuntur vobis. Apoſtolus itidem
Timotheo iuſsit vt prædicaret, nihil ex cibis,
quibus homines veſcerentur, eſſe reijciendum,
quòd, vt eius verbis vtar, quicquid creauit
Deus, bonum ſit, ſi cum gratiarū actione ſuma
tur: ſanctificatur enim per verbū Dei, & pre-
ces. Et idem ad Corinth. ait: Atqui eſca nos
commendat Deo, neq; ſi comedamus, aliquid no
bis supereſt, neq; ſi nō comedamus, quicquā no-
bis deeſt. Voluit tamen abſtinendū eſſe, ſi facul
tas iſta comedendi foret aliquādo infirmiori-
bus offenſioni. Quocirca Eleutherius vanas ho
minū obſeruationes tollēdi ſtudioſus, ſtatuit,
contra Seuerianos hæreticos, vt ne quis Chri-
ſtianus ab vllis abſtineret cibarijs, quæ cōſue-
uiſſent mortalibus vſui eſſe. Quod & cōtra Iu
dæos eſt, qui ex præſcripto legis, porcina ac quo
rundam aliorū animalium carne non veſcun-
tur id quod in Leuitico fuſius proditur. Ecce
quàm ſuaue ſit Chriſtianæ temperātiæ iugū,
quámque leue onus: quamobrē apparet, quàm
impiè faciant, qui illud reijcere conentur, cùm
præſertim liquidò liqueat, Ethnicos multò eo
grauius ſemper tuliſſe non inuitos: quod pla-
num fecimus in tertio huius operis vol. ca. v. vt
qui



qui velint ea omnia diſcere, illinc queant hau
rire. Hæc tamen adijciam: In veteri inſtru-
mento legimus, ſacerdotes qui miniſtrant in
templo Dei, prohiberi vinum & ſicerā bibere,
ne ebrietate grauentur corda eorum, vt ſenſus
vigeat ſemper, & tenuis ſit. Priſcis tēporibus
nec carnibus veſcebātur, nec animalia dijs im-
molabāt, ſed liba & fructus, cæteraq; huiuſmo
di ſacrificia pura dijs offerebāt: nam veſci car-
nibus, vt inquit Plato lib. VI. de Leg. & deo-
rum aras polluere ſanguine, impiū videbatur.
Qui volebant ſacris Iſis initiari, illis ieiuniū
X. dierū indicebatur, dicente Apul. lib. II. Illud
planè cunctis arbitris præcepit, decē continuis
illis diebus cibariā voluptatē coërcerem, neque
vllum animal eſſem, & inuinius eſſem. Liuius
ſcribens de matre filiū initiatura Bacchanali-
bus, refert, decē dierū caſtimonia opus eſſe. Vn
de Hieron. veriſsimè ait: Venter & genitalia
ſibimetipſis vicina ſunt, vt ex vicinitate mem-
brorum, confœderatio intelligatur vitiorum.
Item Cyprianus: Ieiunijs vitiorū ſentina ſic-
catur, petulantia marcet, concupiſcentia lan-
guet, fugitiuæ abeunt voluptates. Videant igi
tur, qui vel grauatè abſtinentia vtuntur, vel
qui religionis cauſa abſtinent, verū cùm dies
feſtus venerit, ſaturantur ad vomitum, quàm
turpe ſit homini Chriſtiano, nō abſtinere, aut
non abſtinēdū eſſe modis omnibus docere, cùm
præſert

Universidad de Deusto
Biblioteca

*præſertim intemperanter viuere non tam malè viuere ſit, vt quidā ſapiēs ait, quàm diu mori. Item noſtris mos eſt, menſam iam inſtructam ſacris quibuſdā conſecrare verbis prius quàm veſci incipiāt: quod ad imitationē Chriſti eſt, quippe qui eum ritū ſeruaſſe fertur, cùm in deſerto quinq; panes, cùm apud Emaus corā duobus diſcipulis, mēſam conſecrauit. Eſt inſuper vſus agēdi gratias poſt prādium cœnámve: id quod vel illum facere cōſueuiſſe conſtat, apoſtolus fieri conſueuiſſe videtur, qui, vt paulò ſuperius oſtēdimus, ait bonū eſſe quodcunq; ciborū genus, ſi cū gratiarū actione capiatur. Poteſt & ab Hebræis videri ſumptum, quia illi immolatas edebāt eſcas. Quod verò conſuetudinis eſt, vt dum comeditur, ſacra legantur ſcripta, hoc ex vetuſtiſſimo more habetur, vel diuo Aug. teſte in libello de Communi vita ſacerdotum, vbi inquit: Cùm acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundū conſuetudinem legitur, ſine tumultu, ſine contentione audite, ne ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant Dei verbum. Auguſt. hactenus. Hoc ego ex Seruatoris inſtituto profectum dixerim: ille enim cum aliàs ſæpius edendo docere conſueuit, tum poſtremò inter cœnam, diſcipulos veſcentes de conſummatione omnium ferè myſteriorum religionis docuit, velut Matth. XXVI. abundè demonſtrat.*



*ſtrat. Vnde patres vt memoriam frequentarent tam ſalutaris inſtituti, hunc ſacræ ſcripturæ in menſis legendæ ritum, iam inde ab initio introduxiſſe videntur.*

De origine rationis feſtorum dierum apud Romanos, & noſtros, & cur conſtituti ſint, & ſoli Deo eſſe ſacrificandum, ac de more natalem colendi diem, paſcháque celebrandi, & cōſecrandi paſchales candelas.

CAPVT VII.

*IVdæos ſua habuiſſe ſabbata, hoc eſt, dies feſtos, ſuprà declarauimus abundè, cùm de ritu ſacrificandi facta eſt mentio, qui quēuis feſtum diem perinde ſabbatum vocant, ac Romani ferias, quarum apud eos quatuor in primis erant genera. Statiuæ vniuerſi populi cōmunes, quæ certis & cōſtitutis diebus fiebāt, in quibus præcipuè edebātur ludi, id eſt, lupercalia, agonalia, carmentalia, cōſualia. Agonalia Feſtus vocat ſacra Dei Agonij præſidētis rebus agēdis: ſicut carmētalia dicūtur ſacra Carmētæ matris Euādri, quæ ita nūcupata eſt, quòd mulier fatidica carminibus reſponſa daret: nam ei antè Nicoſtrata nomen fuerat. Conſualia à Romulo inſtituta Conſo, quem conſilij Deum putabāt. In circo maximo ad aram, teſte Dion. ſubterraneā, ſacrificia & ludi fiebāt, quibus virgines Sabinæ raptæ fuerant. Conceptiuæ, quæ quotannis à magiſtratibus vel ſa-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cerdotibus concipiebantur, in certos ſiue in incertos dies, vt erãt Latinæ, ſemẽtinæ, paganalia, compitalia, Imperatiuæ, quas conſules vel prætores pro arbitrio indicebant. Et nundinæ paganorũ ac ruſticorum quibus ad negotia & merces conueniebant. Item nouendiale ſacrũ, cuius origo talis fuit. Cùm enim Tullo Hoſtilio rege, Romam eſſet nuntiatum, in Albano monte lapidibus pluiſſe, placuit vt nouem dierum feriæ celebrarentur. Quæ religio in multas exiuit ætates, vt quoties tale eſſet prodigium, huiuſmodi nouendiale fieret ſacrum, autor Liuius ab vrbe condita. Erant præterea priuatæ, propriæ familiarum, quas quæque familia ex vſu domeſticæ pietatis ſeruabat, vt Claudiæ feriæ, & Aemiliæ. Item ſingulorum, vt natalium dierum, quæ natalitiæ dicebãtur, & fulgurum, & funerum expiationes. Fuit mos iſte & apud Perſas, vt ſuum quiſque diem natalem pro facultatibus, multis ſacris ac opiparis conuiuijs colerent, vnde ad Romanos forſitan fluxit, quibus in ſolis natalibus ſacris, ſeſe varijs etiam libidinis intẽperantiæ voluptatibus dare fas erat. Virg. in Bucol. præclarè demonſtrat: Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis Iola. At in alijs caſtè dies agebant, ac tam natali die, quàm funerum, in templa cibos pauperibus afferebant, ibique edebant. Manauit & ad nos iſ inſtitutum, quando teſte Tertul. lib. de

Milit



Militis corona, noſtri illis ipſis diebus oblationes faciebant, in temploque vnà epulabantur, quæ poſtea luxuries Nicenæ ſynodi decreto ſublata eſt. Fuit vel Ambroſij temporibus talis diei cultus celebris, qui epiſtola quadam ad Felicem epiſcopum Comenſem monet natalẽ diẽ vnicuique non ludis voluptatibuſve alijs, ſed tantum precibus agendum. Sed is dies qui nobis primus illuxit, nunc prorſum apud nos in omnem venit obliuionem, quò ſcilicet noſtræ ſordidæ infantiæ penitus immemores, omni tempore poſt inſolentiores euadamus. Fuerunt & feriæ denicales nominatæ, quæ agebantur, cùm hominis mortui cauſa, familia purgaretur. Græci enim νεκρὸν, mortuum dicunt. Harum feriarũ meminit Columella hiſce verbis: Nos apud pontifices legimus, ferijs tantum denicalibus mulos iungere non licere, cæteris licere. Affirmabant autem pollui ferias, ſi in ijs opus aliquod fieret: ideo per præconem denunciabatur, ne quod opus fieret, & præcepti negligens mulctabatur. Ac à ferijs feſti dies dicti ſunt feriati, quibus feriæ celebrantur: ſicut profeſti à pro, dictione priuatiua, hoc eſt, non feſti ſunt dies, qui erant ad rem vel priuatam vel publicam miniſtrandam, hominibus conceſſi. Erant vel faſti dies, quibus ſine piaculo, Prætoribus licebat tria verba fari, Do, dico, addico: & nefaſti ijs contrarij, quibus fari non

nn licеb

licebat. quæ omnia Ouid. in Faſt. latè perſequũtur, & Liuius ac Dionyſius appoſitè meminerunt, necnon & Feſtus. Hac ratione patres, quia lex Iudæorũ vmbra fuit futurorũ bonorum, cõſtituerũt dies feſtos, quibus Chriſtiani omiſſis prophanis negotijs, diuinis vacarẽt rebus, ſacrã ſcripturã perdiſcerent, ſacras audirent cõciones, debitumq́; Deo honorẽ ſacrificãdo, orãdo, bene agendo haberẽt, ac ſimul memoriam diuorũ, diebus qui illis ſacri eſſent, colerent: nam ſoli Deo ſacrificãdum eſt, teſtificante Barnaba, & Paulo. Is enim cũ Lyſtræ claudum ex vtero matris ſuæ iuſſiſſet ambulare, quemadmodum in Actis cõmemoratur, & ille continuò nequaquã pedibus debilis exiluiſſet, ac turbæ ob id miraculum voluiſſent ei & Barnabæ immolare, ambo conſciſſis tunicis ſuis exiuerunt in turbas, clamãtes, atq; dicẽtes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annũtiãtes, vt ab his vanis conuertamini ad Deũ viuũ, & reliq. Diui verò honorãdi ſunt, quòd iã filij & heredes CHRISTI, vt ait Apoſtolus, effecti ſint, qui pro nobis orent, & idcirco illis tẽpla & aræ dedicantur, vt ſimul eos, ſimul Deum debita veneratione colamus, Vnde in Pſal. CXLVIII. Laudate Dominũ in ſanctis eius. Ad rem redeo. Primùm omniũ ab apoſtolis, deinde à patribus feſtorum dierũ ratio inita eſt, vti proximo cap.



Universidad de Deusto Biblioteca



ſubtilius diſſeretur, & præſertim paſcha, quia inde omnia religionis myſteria initiũ ſumpſerint, quod Pius primus, dominico die celebrandum conſtituit. Deinde orta diſſenſione ſuper ea re, Victor qui ſedere cœpit anno circiter CXCVI. à natali Seruatoris, ſanxit ex ſententia Eleutherij, cui in pontificatum ſucceſſit, vt paſcha dominico omnino celebraretur die, à XIIII. luna primi mẽſis, ad XXII. ne cum Iudæis Chriſtianorũ ratio congrueret, quibus moris fuit, illud ſolenne aliquãto prius celebrare. Id decretum externorum antiſtitum quidam ab initio repudiarunt, rati ſe haud ineptè facere, qui nihil aberrarent à Ioannis inſtituto, qui chariſſimus fuiſſet CHRISTO: & ſatis conſtaret, cum ipſum quoad vixiſſet, Iudæorum more paſchale tempus obſeruaſſe. Polycrates Epheſius epiſcopus de ea re ſcribens: Nos, inquit, inuiolabilem celebramus diẽ, neque adijcientes quicquam, neque minuentes. Ita inter noſtros eatenus eſt diſceptatum, quoad ad eum quem nunc tenemus modum, illud ſacrum ſit conſtitutum celebratum iri, qui etiam quibuſdam non ſatis probatur. Paſcha vt ſuprà oſtendimus, Hebraica eſt vox, & ſignificat tranſitum: quod verum eſſe euangeliſta innuit, cùm celebraretur à Domino paſcha cum diſcipulis, aiens: Ante diem autem feſtum paſchæ, ſciens IESVS quia veniſſet hora eius,

Universidad de Deusto Biblioteca

vt tranſiret ex hoc mundo ad patrem, &c. Cereæ paſchales candelæ, vt dominicæ reſurrectionis ſabbato per ſingula templa conſecrarentur, Zozimus autor fuit.

## De primo feſtorum dierum inſtituto, & vtrum pentecoſte fuerit apoſtolorum temporibus dies feſtus: atque vnde mos ſit adſcribendi bene de Chriſtiana religione meritos ad diuorum catalogum.

### CAPVT VIII.

TRadidimus ſuprà diuum Ioan. apoſtolū paſcha celebraſſe, id quod & alij fecere apoſtoli: quos ſimul autores fuiſſe perhibent, vt omnes illi dies, quibus Seruator noſter ad ſalutem atq; diſciplinam noſtrā aliqua peregiſſet myſteria, ſacri eſſent, vtq; apud poſteros maiori haberētur venerationi, eos primū religioſè coluiſſe, quandiu vixiſſent. Cuiuſmodi ſunt dies dominici, aduentus Domini, natalis, & circonciſio eiuſdē, epiphania, item Virginis purificatio, quam vocant, quadrageſimæ dies, dominica palmarum, cœna Domini, quando poſt euchariſtiā inſtitutam, pedes lauit diſcipulis, paraſceue, paſcha, aſcenſus Chriſti in cœlum, pentecoſte. Quod ſolenne ab Hebræis prius conſueuit celebrari: apud eos enim poſtquam agnus immolatus fuerat, quinquageſimo deinde die, data eſt lex Moſi ſcripta digito Dei. Cùm Chriſtus velut ouis vt immolaretur,





ductus à Iudæis eſt occiſus, noſtrum paſcha fuit, ac poſt quinquaginta dies diſcipuli ſpiritum ſanctū accepere. Quanquam ſunt, qui tradant pentecoſtes diem nō fuiſſe feſtū, apoſtolorum tēporibus: in qua re eos hallucinari planè oſtendit Lucas, in Actis cap. XX. ita ſcribens: Propoſuerat enim Paulus præternauigare Epheſum, ne tempus tereret in Aſia. feſtinabat enim, ſi poſſibile ſibi eſſet, vt diē pentecoſtes ageret Hieroſolymis, &c. Cur tanto Paulus opere ad illum ipſum diem agitandum properaſſet, niſi fuiſſet iam tum apud noſtros feſtus quàm celebratiſſimus? Transfiguratio quoque, teſte Origene, primùm à Iudæis eſt: voluit etenim Chriſtus, vt quemadmodū facies Moſis ex cōmunicatione colloquij Dei glorioſa facta eſt, ſic dimiſſo iam velo, ſeſe transformatū apoſtoli Petrus & Iacobus & Ioannes cōtemplarentur. Sancti patres igitur huiuſmodi ſacrorum dierum rationem edocti, vt commodius plebs Chriſtiana cōueniret ad ſacram concionē, & ad cultum diuinum cōcelebrandum, habito Lugduni antiſtitū cōuentu, & illos ſanxerunt dies eſſe colendos, & alios cōplures conſtituerunt, qui Chriſtianis perpetuò feſti eſſent, quibus aut ſancti è vita hac calamitoſa in cœlum migraſſent, aut aliquid in religione ſanctum eſſet geſtum. Qui nempe dies hi ſunt diuis ſacri, ſtephano pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tomartyri, Innocentibus, Syluestro, Ioanni ba-
ptiſtæ, XII. apoſtolis, Paulo gentiū doctori,
Deiparæ virgini, Laurentio, Michaëli, Marti-
no, & communiter omnibus ſanctis, quod Bo-
nifacij quarti decretū fuit. Is enim pantheon
vetuſtum Marci Agrippæ opus, diuæ Mariæ
virgini ac quæ diuis omnibus, Phocæ Impera-
toris permiſſu, ad IIII. Iduum Maij ſacra-
uit, excluſoque malorū dæmonum cultu, quo-
rum ſimulacra plura hic numero fuerant, locū
expiauit. Gregorius deinde IIII. fertur au-
tor fuiſſe, vt id ſacrum Cal. Nouembris cele-
braretur. Itē & cruci ex qua pependerat ſa-
lus noſtra, ſolennis dies data eſt, ac eucharia-
ſtiæ ab Vrbano IIII. pariter dies dedicatus
aſſignatúſq;. Eſt & diuo Petro apoſtolo iam-
pridem rogatu Conſtantini Imperatoris, ad
memoriā tormentorum, quæ pro religione tu-
liſſet, cōſtituta feſta dies à Syluestro, quæ ad
vincula nūcupatur, prout in libello quodā de
vinculis Petri cōtinetur, qui diuo Hieron. ta-
metſi parū verè, adſcribitur. Deinde dies alij
alijs, feſti feſtis ex paruis quandoque cauſis
accumulati ſunt: id quod haud ſcimus an ex-
pedierit, cùm præſertim videamus eò rediſſe
Chriſtianorū mores, vt qui olim ex religio-
nis vſu erat hæc inſtituere, tam nunc præſta-
re videatur eadem antiquare, cùm bona pars
hominum etiam iſtud feſtorū dierum non ad

orandum,



orandum, nō ad diuina ſcripta audiēda, cuius
rei cauſa datum eſt, ſed ad omnifariā bonorū
morum corruptelam augendam, in dies magis
magiſque impudēter cōſumat, dictitans ſe id
animi gratia facere, quaſi planè ſentiens cum
Platone, qui ob illud ipſum, Deum eiuſmodi fe-
ſta ſacra inſtituiſſe aiebat. Atque ita bellè
Ethnicos perinde in hac re, vt in nimis multis
alijs æmulamur: quod tantū abfuit vt maio-
res noſtri fecerint, vt etiā illum ipſum auda-
cter iiſdem ethnicis vitio dederint, teſte Tert.
in Apologetico, cùm de Cæſarum ſolēnibus ſa-
cris loquitur, vbi inquit: Propterea igitur pu-
blici hoſtes Chriſtiani, quia Imperatoribus
neque vanos, neque mētientes, neque temera-
rios honores dicant: Grāde videlicet officiū,
focos & choros in publicum ducere, vicatim
epulari, ciuitatē tabernæ habitu abolefacere,
vino lutum cogere, certatim curſitare ad iniu-
rias, ad impudentias, ad libidinis illecebras.
Siccine exprimitur publicum gaudiū per pu-
blicum dedecus? O nos meritò dānandos: cur
enim vota & gaudia Cæſarum caſti & ſobrij
& probi expungimus? &c. Non putauit Ter-
tullianus futurum, vt iſta omnia in noſtros
Chriſtianos aliquando caderent, qui hoc loco
Ethnicos deridet, & tamen venit tēpus, cum
eos potius Cæſarum, quàm Chriſti, ſolēnes ri-
tus celebramus. Faxit igitur Deus, vt pontifi-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ces noſtri tandem aliquando iſtos feſtos dies
vtiles reddant: quod facient, ſi minuendos ac
caſtè agitãdos curarint. Sed ad reliqua expli
cãnda redeamus. Felix primus conſulens glo-
riæ martyrum, ſtatuit, in eorũ memoriam an-
nua ſacra fierent: veluti Greg. poſtea ſuper eo-
rundem corpora vt itidem ſacrificaretur vo-
luit. Quod Vigilãtius omnino reſpuendũ cen-
ſebat, prout latius explicabitur, cũ de ſancto-
rum reliquijs mentio fiet. Fertur tamen Ana-
cletus eius rei prior fuiſſe autor. Ex quo con-
ſentaneum eſt, vt poſtea Felix & rem diuinã
ad martyrum memoriã faciendã decreuerit.
Idem Felix, vt veterum literis proditũ eſt, au-
tor fuit, vt cuncti eo die vicatim feriarentur,
quo aliquod tẽplum dedicaretur: voluitq;, vt
ſi de cõſecratione ignoratum foret, tẽpore ve-
tuſtate delerrice monimentorũ, denuò conſe-
craretur, affirmans non dici iteratũ, quod fa-
ctum eſſe neſciretur. At Felix III. poſt hæc
inſtituit, vt à ſolis epiſcopis dedicarentur tem-
pla, eſſétque dies ille feſtus anniuerſarius. Et
illud ex imitatione Hebræorum, qui, vt ſuprà
ex teſtimonio Ioſephi oſtendimus, eum quoque
feſtum diẽ agebant. Cæterùm illud appoſitè
admonendum, feſtum alicuius diui vocitari
diem, ac eſſe ei ſacrũ, quo ille è vita diſceſſiſſet
ad cœlum: nã quemadmodũ quis naſci dicitur,
cùm de vtero matris in hanc prodit lucem, ita





pari ratione poteſt meritò exiſtimari natus,
cum eius anima vinculis carnis ſoluta ad lu-
cem redit æternam. Vnde mos inoleuit, vt dies
huiuſmodi diuorũ vitæ extremos natales, &
ſacra illis ſolennia non funebria, ſed natalia
appellaremus. Natalis autẽ ſeruatoris tantũ,
& Ioãnis Zachariæ dies ſacer ſolẽniſque eſt,
quòd vterque in matris vtero ſanctus effe-
ctus fuiſſet, teste Auguſt. Eſt & Deiparæ
virginis poſtremò natalis quoque dies ſacer
habitus. Vt verò mortales bene meriti inter
deos referãtur, mos eſt adeò vetus, vt penè ni-
hil eo ſit vetuſtius. quando antiquitas ſtatim
ab initio ſuos reges ac alios cum ob accepta
beneficia, tum ob virtutes, deos facere conſue-
uit, prout in primo huius operis volu. ſparſim
diximus. Sed ante omnes, Romani id multis
cærimonijs factitabant, quod ſuprà lib. III.
memorauimus. Huius rei rationẽ noſtri pon-
tifices ſecuti nõ dubitãter videri poſſunt: nam
quòd Felix & Gregorius annua ſacra facien-
da ad memoriã martyrum inſtituerunt, illud
planè aliud nihil fuit, niſi eos martyres de-
cernere eſſe ſanctos, & inter deos referre. Ve-
rum poſtremò, vt ne vnuſquiſque arbitratu
ſuo hunc vel illum pro diuo haberet colerétve,
Alexãder tertius ſtatuit, vt nulli mortalium
diuinus honor in terris haberetur publicè, niſi
illi, qui prius ex edicto apoſtolico diuorum

Universidad de Deusto Biblioteca

eſſet catalogo adſcriptus. Hoc decretum inter decretales epiſtolas, in titulo de Reliquijs ſanctorum, ſcriptum leges.

Qui primi apud nos inſtituerint, vt anniuerſaria iuſta mortuis fierent, quarto etiam nonas Nouembris, & ibidem de legitimo tempore lugendi mortuos, deq; lugentium veſtitu, eorundémque corporis habitu, ac quando luctus minueretur, & quare Francorum reginæ, dum ſunt viduæ, albis vtantur veſtibus. CAP. IX.

MOrtuis iuſta facienda Pelagius Romanus pōtifex primus curaſſe fertur: quod Iſidorus apoſtolis adſcribit, qui & ipſe illum modum exequiarum quæ hodie fiunt, adauxit. Ambroſius id ab Hebræis fluxiſſe ad poſteros autumat, qui Iacob demortuum quadraginta dies luxere, & Moſen triginta: ſat eſt enim id tempus ſapienti ad lacrymas. Fuit & Romanis lugendi ratio. ſiquidē Numa dijs manibus ſacra adiecit, cùm Libitinæ ara, ſiue Proſerpina ea fuerit, vt multis perſuaſum eſt, ſiue Venus. Puerum trimo minorem lugeri vetuit: neque natu grandiorē, plures mēſes lugendū cenſuit, quàm vixiſſet annos. Tempus longiſſimi luctus coniugalis in decem menſes extendit, non vt, ſicut inquit Seneca lib. Epiſt. VII. tandiu fœminæ lugerent, ſed ne diutius. Teſtatur idē Ouidius, qui in primo Faſt. ſic ait:

Per



Per totidem menſes à funere cōiugis vxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo,

Si qua verò mulier ante X. menſes, ab obitu mariti nupſiſſet, probro notabatur, vt in lib. Codicis legitur, & ex Decreto Numæ, prout ait Plutar. vaccam prægnantem immolabat. Quod nempe inſtitutū ſi hodie cùm alibi, tum in noſtra Anglia ſeruaretur, raros vtique haberemus de armentis vitulos, cùm bona pars viduarum mulierum non expectet, dum tēpus illud ab obitu virorum prætereat. Itē in luctu fœminæ purpuram atque aurum deponebant, albáſque veſtes, teſte eodē Plutar. in Problematis, induebant, idémque propinquos factitare voluerunt, vt quemadmodum mortui corpus, albis veſtibus velarentur. Alba autem veſte idcirco cadauer exornabant, quia ſolus albus color ſyncerus ac purus miniméque inquinatus eſt, & ob id mortuis aptiſſimus. Sic in euangelio legimus corpus Domini ſindone inuolutum fuiſſe, quo vocabulo lineum velum ſignificatur. Mox eandem purpuram & aurum cùm eluxiſſent, ſumebant autor Liuius. Hinc arbitror natū, vt hodie reginæ Francorū poſt mortem viri, albis tantū induantur veſtibus, & ſi qua vidua ſit, regina alba vulgò vocitetur. Apud Iudæos luctus XXX. diebus finiebatur, id quod apud Anglos quoq; ſeruatur. Præterea lugentes induebant ſaccum: ſic Iacob

fecit

Universidad de Deusto Biblioteca

fleuit Ioſeph, & Dauid operto capite, Abſalon. teſtis eſt Hieron. Itē caput barbámque radebant. Eſaias: In cūctis capitibus eius caluitiū, omnis barba radetur. Contrà noſtris barba promittitur. Cæterùm antiqui vt plurimum nigra veſtimēta in luctu induebāt, amiculum nigellum, dicitur à Varrone veſtitus lugubris, quod anthracinum vocabant, ἄνθραξ enim Græcè carbo appellatur. Vnde Apul. ait in Aſino ſuo, lib. II. vmbroſum demonſtrat cubiculum, matronā flebilem fuſca veſte contectam. Itē capillum ſibi vellere, faciem vnguibus lacerare, cōplodere manus, necnon capillitium, Iudæorū ritu, cinere inſpergere turparéque, dicente eodem Apul. lib. IX. Diſcerptæ comæ ſemicanæ, ſordētes inſperſu cineris. Præter hoc vltimum, reliqua omnia noſtri, cumprimis Itali, in re funerea iuxtà demēter ſeruant, ab ipſis priſcis, vt iam liquidò liquet, proculdubio accepta. Ipſum autē veſtitum lugubrem omnes penè gentes noſtri Chriſtiani orbis annum integrū induunt: interdum tamē ante illud tēpus deponunt, propter publicum gaudiū, vel magiſtratus ineundi honorē, aut nuptias faciendas. Ita olim Romano populo minuebatur luctus, cùm ſuſceptū publicè votū ſoluebatur, ædes dedicabatur, luſtrum cōdebatur: priuatis hominibus, cùm puella deſpōderetur, cū honos in familiā veniret, cùm captiuus aliquis



aliquis liberatus domū rediret, aut cùm natus eſſet propinquior quis cognatione, quàm is, qui lugeretur. Illud itē ex more eorundē eſt, vt apud nos cadauera abluantur, & quādeque vngātur, præſertim nobiliū. De qua re Ennius:

Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit.

Et Anna Vergiliana: -Date vulnera lymphis Abluam.

Atque id officiū, ſicut etiā nunc fit, à propinquioribus præſtabatur. Quòd hodie demortuorum anniuerſaria inſtituunt poſtridie Cal. Nouembrium, eius rei, vt fama eſt, & Petrus Damianus teſtatur, Odilo autor fuit. Is vir præfectus monachorū Cluniacenſium, cum in Sicilia, ſedēte Ioan. XVIII. Roman. pontifice, circa Aetnam montē frequēter audiret gemitus clamoréſq;, qui ibi, teſte Trogo, partim ex fremitu feruentis æſtus maris, partim ex eructatione Aetnei ignis, vbi acrior per ſpiramenta cauernarum ventus incumbit, iugiter fiunt, ratus eſt cacodæmones lamētari, quòd per preces & ſacrificia Chriſtianorum, animæ mortuorum ab illis ſupplicijs liberarentur: nā conſtans vulgi opinio eſt, ad Aetnam montem, vbi perpetuū incēdium tot iam ſeculis flagrauit, aut ad inferos aditum patêre, vel in ea ignea voragine ſontium animas expiari. Itaque protinus egit cum ſuis monachis, vt poſtquam Cal. Nouembris in diuorum omnium

Universidad de Deusto
Biblioteca



*omnium honorẽ ſacrificaſſent, ſequẽti itidem die cunctis vita priuatis iuſta facerẽt. Quod inſtitutum vt pietatis plenum patres demum receperunt. Fuit is annus circiter M. alter humanæ ſalutis. At iampridẽ inoleuerat mos hic apud veteres parentandi ad ſepulcrum, quod indicat M. Tullius in I. Philip. dicens: Vt cuius ſepulcrum nuſquam extet, vbi parẽtetur, ei publicè ſupplicetur. Et in orat. pro Flacco: Litemus igitur, inquit, Lentulo, parentemus Cethego. Sic fiebat annua parentatio, id eſt, ſacrificium quotannis ad honorẽ mortuorum: id quod etiam Macrobius & Cato tradunt, ſcribentes Laurentiam annuæ parentationis honore dignatam. Sic nos illud ipſum inſtitutũ pro ſalute mortuorum ſeruamus. Vnde omnino factum videtur, vt Odiloni in mentem venerit huius religionis celebrandi anniuerſarias demortuorum exequias.*

De origine nouendialis ſeptendialiſque ſacrificij, & de more offerendi pro mortuis, eóſque non lugẽdi, ac de ſapienti Thracum inſtituto, & modo apud priſcos efferendi funeris ad ſepulcrum, atque de initio funebris pompæ, extruendorúmque ſepulcrorum forma, ac eorundem iuris religione.

CAPVT X.

*Fiebat ſacrificium pro mortuis, nono die, quo quis ſepultus fuiſſet, quod dicebatur nouendiale. Horat. in Epodo: Nouendiales diſſipare*

ſpare



*ſpare pulueres. Item ludi qui in honorẽ mortuorum celebrabantur, nouendiales nuncupabantur. Teſtes idem Seruius ſuper quinto Aeneidos, enarrans illud:*

*Præterea ſi nona diem mortalibus almum*
*Aurora extulerit.*

*Vbi ait, apud maiores morem fuiſſe, vt vbicũque quiſpiã extinctus fuiſſet, ad domum ſuam referretur, octauo die incenderetur, nono ſepeliretur. Donatus quoque in comment. Phormionis dicit, in funere nonum diẽ voti habere inſtaurationem. Hinc igitur apud nos hodie mortuorũ iuſta ſeptimo die à funere, demptis ex veterũ inſtituto illis duobus diebus, fiunt: ideóque in canonicis Decret. diſtinct. XLIIII. præcipitur, Nullus presbyter ad ſeptendialia defuncti ſolennia celebrãda vocatus, ſe inebriare vllatenus audeat: quandoquidẽ tunc largiter epulantur. Apud Anglos hoc fit vigeſimonono die, poſtquam mortuus eſt ſepultus. Nos videmur ſeptimo die ſacrificium pro mortuis facere, ſicut in nuptijs apud priſcos ſeptima dies inſtaurationem voti habebat, vt quemadmodũ hoc die initium propagandi generis celebre erat, ſic etiam illo eodẽ die finis cuiuſque ſolẽnis haberetur. Fuit & mos offerendi pro mortuis dicente Tertul. in lib. de Militis corona: Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus. Hinc profectò ſatis liquet, iã vſque*

à princip

Universidad de Deusto Biblioteca



à principio orti propè Euangelij, opinionem perquam ſanctã per animos hominũ perſuaſiſſe, mortuos per piã viuerũ operã iuuari. Cæterum quantũ iſtud charitatis officium vita ſuam priuatis opituletur, docet Auguſt. vt eius teſtatur ἐγχειριδίῳ, ita ſcribens. Neque negandum eſt defunctorũ animas pietate ſuorũ viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium offertur, vel eleemoſynæ in eccleſia fiunt. Sed illis hæc proſunt, qui cùm viuerẽt, vt hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent, meruerunt. Eſt quidã viuendi modus: nemo tam bonus, vt nõ requirat iſta poſt mortem: nec tam malus, vt ei non proſint iſta poſt mortẽ. Et vt rem planiorẽ faciat, pergit: Quibus autẽ proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio, aut certè vt tolerabilior fiat ipſa damnatio. Atque quoniam neſcimus quomodo cũ illis in altera vita agatur, propterea orandum eſt iuxtà pro omnibus quò eis beneficiũ noſtrũ ſuperſit potius, quàm deſit. Contrà nõ lugendũ, dicente Cypriano: Nobis quoque reuelatũ eſt, vt cõſtanter prædicarem fratres noſtros nõ eſſe lugẽdos acceſſione dominica de ſeculo liberatos, cum ſciã nõ eos amitti, ſed præmitti, & recedentes præcedere. Et Hieron. ad Paulam de dormitione Bleſillæ dicit, ſimul admonens, ne quiſquam ad id faciendũ moueatur Hebræorum exemplo, cum illi ideo mortuos lugerent, quia ante





Chriſti aduentum, ad inferos nouerant eſſe deſcenſuros, Vnde ſubdit: Nos verò qui Chriſtum induimus, quibus ſpes certa eſt ad ſuperos remeandi, non debemus ſuper mortuos contriſtari, &c. Quod nauiter olim faciebant Maſſilienſes Galliarum populi, qui ſine lamentatione, ſine planctu, funeris diem domeſtico ſacrificio, neceſſariorũmque cõuiuio finiebant: quod Angli hodie ritè ſeruant, animaduertẽtes, credo, nihil ad rem attinere, humano indulgere dolori, vt ſtultè conquerendo, quòd Deus immortalitatem ſuam noluerit nobiſcum partiri, cùm præſertim moriendo relinquamus labores & pericula, quæ ſtatim naſcendo ſubimus. Quapropter Thraces huius rei memores, natales dies hominum, vti alibi diximus, flebiliter, exequias cum hilaritate, meritò celebrabant. Illud perappoſitè addam: more priſco, præcedebat funus, homines ſequebantur, quaſi poſt ipſum mortuum morituri, ſubſecuturique: à quibus ſupremum verbum dicebatur. Vale, nos te ſequemur. Vergilius:

-Salue æternum mihi maxime Palla,
Aeternũmque vale. Et de Polydoro:
-Animamque ſepulcro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

Hinc exequias dici autumat Donatus, narrans illud Terentianum: Funus interim pro-

cedit, nos ſequimur. Verumenimuero hoc tempore homines ordine præpoſtero præcedunt in pompa funebri, cadauere ſubſequente: id quod ætate Hieronymi fiebat, qui ſcribens ad Paulam de dormitione Bleſillæ, indicat ordinem pompæ funereæ præire ſolitum ante cadauer. Item, teſte Seruio, ad honorem præſertim regum & nobilium, cum facul[is] præcedebat populus. Vergilius de Pallante:

-Lucet via longo
Ordine flammarum, & latè diſcriminat agros.

Vnde haud dubiè ortum eſt, vt apud nos illud idem in cuiuſuis funere ſeruetur. Præterea lectos ponebant. Idem Vergilius in ſexto de Marcello:

-Vel quæ Tyberine videbis
Funera, cùm tumulum præterlabère iacentem.

Ferebantur inſuper mortui ad tubam. Idem:

It cœlo clamórque virûm, clangórque tubarum.

Et Perſius hæc omnia ponit:

Hic tuba, candelæ, tandémq; beatulus alto
Compoſitus lecto. Item cum tubis, in funeribus tibiæ quoque ac tympana adhibebantur, & ea omnia, vt hominum mortuos lugentium animi languentes eiuſmodi ſono excitati, minus dolorem ſentirent, qui iis oblectamen

tis fa



tis facilè diſtrahi ſoleant, autor Alexander Aphrodiſeus in Problemat. Et ad cohoneſtandas exequias, ſimul etiam maiorum imagines deferebantur, ludíque fiebant, ac alia, quibus Cic. pro Milone, teſtatur Clodium caruiſſe. Clodius, inquit, ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine lamentis, ſine funere, ſine laudationibus ambuſtus eſt abiectus. Plato itidem ſuum ponit in XII. de Legibus ordinem pompæ funebris, in funere præfectorum ciuitatis, qui eiuſmodi erat: Indumenta omnia alba, luctus ploratúſque nullus. Chori duo, alter puellarum numero XV. alter verò totidem puerorum, qui feretrum circumſtarent, dum ſacerdotes viciſſim demortuum laudabant, eiúſque felicitatem totum diem decantabant. At poſtero die bene manè, iuniores capulum ad ſepulcrum ferebant, eorúmque cœlibes præcedebāt, equites cum equis, & cum armis pedites: deinde pueri patrios hymnos concinentes, & hos puellæ ſequebantur, cum mulieribus iam effœtis. Sepulchrum verò erat ſub terra, factus ex lapidibus fornix, &c. Iſtiuſmodi ſepulcri genus Itali hodie vt plurimum conficiunt, vt ſit commune familiæ monumentum. Sed illud eſt magis vſitatū, vt humato homini, qui aliquo ſit numero, corpore, terra operiatur menſa lapidea, quæ contineat nomen & laudem mortui inciſam. Veteres pariter Græci atque Romani

 mani

Universidad de Deusto Biblioteca



mani teſte Cicer. lib. de Legi. II. ſuper tumulum menſam quoque vel columellam tribus cubitis non altiorem, ſtatuebant, cum ornamentis laudis, quæ ad mortuos pertinerent, facta nominis mentione honorifica. Lex præterea erat, ne ſepulcrum quis deleret, néve alienum in illud inferret: ac ita multis cærimoniis ius ſepulcrorum religioſum habebant: quod nos quoque tenemus, cum more circa ſepulcrũ ponendi arma & militaria ſigna, tanquam bellicæ laudis atque virtutis trophæa.

### De primo vſu vouendi vota Deo, ac nudipedalia ſacra agendi, & qui primi inuenerint Litanias, & cur ſternuentibus bene precemur, oſcitantéſque ac quiduis inchoantes ſeſe crucis ſigno vallent, & de origine ſupplicationum noſtrarum pompæ. CAP. XI.

Solemus ad opem diuinam implorandam tum maximè incumbere, cùm maximè premimur, vel in re trepida verſamur, noſtriſque malis non poſſumus humanis viribus aut conſiliis mederi: & id quidem votis aut precibus agimus, quibus Deus ipſe præcipuè placatur. Vnde in Numeris legitur: Si quis virorum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne quod promiſit, implebit. Et propheta Aſaph pſalmo LXXV. Vouete & reddite, &c. Hinc faciendi voti vſus manaſſe videtur:



quod fit, cùm tacitè vouemus, aut cum aliquid promittendo, vt puta imaginem argenteam, cereas candelas, Deo nuncupamus vota: id quod veteres etiam factitabant, arbitrantes votis & precibus deos imprimis placatum iri. Sic Helenus apud Vergilium admonet Aeneam:

Iunonis magnæ primũ prece numẽ adora,
Iunoni cane vota libens.

Vtrunque à nobis in periculis ſeruatur. Ea quoque de cauſa, apud Iudæos nudipedalia ſacra inſtituta fuiſſe conſtat, quæ, vt teſtatur Ioſephus lib. de bello Iudaico ſecundo, eiuſmodi erant. Iis enim qui morbo vel aliis calamitatibus implicabantur, mos erat primum orare per triginta dies, & abſtinere vino, atque capillos radere, deinde nudis pedibus adire ad templum, hoſtiáſque immolare. Ad hæc ſacra cùm aliàs ſæpius, tum id temporis præcipuè recurſum eſt, cùm Nerone principe, Florus Iudææ præſes miſerandum in modum gentem opprimeret, quæ ab eius tyrannidem, coacta eſt arma in Romanos ad extremum ſumere, quo demum bello miſera fermè tota deleta eſt. Igitur cùm Iudæi omnia prius humana ſimiliter ac diuina experiri vellent, quàm bellum tentare, poſtquam neque pretio neque precibus potuerunt coërcere ſæuitiam Flori, quippe qui, ne ſua maleficia per accuſationem

Romæ patefierent, Iudæos ſtudio ad bellum ſuſcipiendum ſtimulabat, nudipedalia ſacra vouerunt. Quapropter cùm dies ſacrorum aduenit, Bernice Agrippæ regis ſoror, teſte Egeſippo, eius religionis cauſa etiam Hieroſolyma in templum venit, atque nudipes ante tribunal ſtetit deprecans Florum, quæ tamen tantum abſuit vt à Floro exaudita ſit, vt etiam de ſuo periculo timuerit. Huius religionis Iuuenalis Saty. VI. meminit:

Obſeruant vbi feſta mero pede ſabbata reges.

Item autore Hierony. aduerſus Iouinianum, quemadmodum ſuprà libro IIII. diximus, apoſtolus Paulus in Cenchreis (eſt Corinthiorum portus, vti antè diximus, in Achaia) nudipedalia ſacra egit. Ita nos calamitate aliqua affecti vouere ſolemus, nudíſque pedibus more Iudæorum ea perſoluere, interim ſuppliciter orando: nam precibus ante omnia inſtandum: quod cùm populus aſſiduè faciat, multò magis ſacerdotes, qui eius curam habent, prò precando præſtare debent. Sic Moſes, ſic Aaron, ſic apoſtoli, ſic ſancti denique patres iuſtam Dei iram orando mitigandam, dignúmque ſupplicium à populo ſibi commiſſo auertendum curabant. Cuius rei rectè memor Mamercus Viennenſis epiſcopus, in frequenti motu terrarum, pontifice Leone primo,



mo, ſupplicationes ſiue rogationes primus inſtituit, quas noſtri Græcam ſecuti vocem, Litanias, & vulgò proceſſiones vocant, quòd binos præcedendo bini longo ordine ſequantur, à loco ad locum progrediendo, ac magna voce orando. Eæ minores nuncupantur, quas haud multo poſt Agapetus pontifex dicitur primus cõſtituiſſe in ſingulos dominicos dies, in templis, vel circa templa habendas, quod hodie ferè vbique gentium ſeruatur. Quidam tamen malunt proceſſiones appellare, quia ea ſacrificalis pompa publicè procedit. At eiuſmodi litaniarum vſum iam inde à principio apud noſtros fuiſſe teſtimonio eſt Tertul. lib. ad vxorem altero, quem fortè intermiſſum Mamercus renouauit. Poſt hæc Grego. maiores inſtituit, quas omnis ordinis populus ſepteno ordine incedens alternis caneret, cùm per id tempus quodã morbi genere laboraretur, quo inguinibus ſtatim tumeſcentibus multi mortales interirent. Cuius peſtis Paulus Montiſcaſini monachus, qui Longobardorum hiſtoriam ſcripſit, cauſam fuiſſe prodit, prodigioſum Tyberis incrementum, quòd recedentibus inde vndis ingens ſerpentum numerus in vrbem inuaſerat, ac vſque eò aërem tabefecerat, vt inguinibus ſubitò tumefactis paſſim homines perirent. Quod malum Pelagius, in cuius locum Gregorius ſurrogatus poſtea fuit, pre-

cibus auertere conatus, ieiunium ac litanias indixit, ſed & ipſe inter alios interiit. Subiit aliud peſtis genus, vt cùm quis ſternuiſſet aliquoties, cõtinuò occideret. vnde mos, ſicut quidam tradunt, inoleuit, vt audiẽtes quempiam ſternutãtem illicò dicerent, Te Deus adiuuet: quod hodie ſeruatur. Item & oſcitare ſimul letale fuit, propter quod ſeſe crucis ſigno repentè communire conſueuerant, & hoc etiam nũc ab oſcitantibus fit. Hæc tamen videmur phyſica quadã ratione potius obſeruare: nam tres noſtri corporis partes principales ſunt, caput, thorax, et aluus: ac vt flatus alui expiratio, & ructus ventriculi, ita ſternutamentũ eſt capitis, quo totũ ferè corpus extenditur, ideoq; non modò caput, ſed reliquas etiã partes bene valere indicio eſt. Quapropter moribũdos interdum ſternutatorio excitare ſolemus, tanquam ſi hoc effici nequeat, nulla amplius ſit ſpes ſalutis. Ex quo videtur Ariſt. lib. I. de Natura animalium, de ea re ita ſcribere: Sternutamentum quoq; eadẽ agitur parte, quod flatus vniuerſi eruptio eſt, ſignũ augurale, & vnum ex ſpirituum omniũ generibus ſanctum & ſacrũ. Vnde mos, vt ſternutatio veluti bonæ valetudinis index, ſacra habeatur, & ſternutãtes ſalutemus, ac eis bene precemur: quod Tiberiũ Cæſarem pleniũ ſemper triſtitia hominẽ, etiam in curru exegiſſe produnt. Itẽ oſcitantes ſibi ti-





mere ex quadam religione conſtat, quòd oſcitatio ex ſomno aut tædio ſequatur, ac in iis qui febrem habent, ſit aduentantis, ſeu potius augeſcentis febris indicium. Cæterum à principio ita vſu venit, vt noſtri Chriſtiani initium cuiuſcunq; rei agendæ à ſigno crucis facerent: quod Tertul. in lib. de Militis corona, perſpicuè demõſtrat, ita ſcribẽs: Ad omnẽ progreſſum atq; promotũ, ad omnẽ aditum, & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos cõuerſatio exercet, frontem ſignaculo terimus. Harum & aliarũ eiuſmodi diſciplinarũ ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam leges, traditio tibi prætendetur, auctrix conſuetudo, cõfirmatrix, & fides obſeruatrix, &c. Sed domum repedemus. Tũ Gregorius mãdauit, vt vbiq; gentium eiuſmodi litaniarum modus ſeruaretur: hodie à ſacerdotibus ob metũ impendentium malorũ canuntur, magna populi ſequente caterua ſimul rogantis. At in re quoque læta ſæpe publicè ſupplicamus, vt qui metu malorum antea voueramus ſupplicando, poſtea optati compotes, & ſecuri gaudentes, ſit Deo gratias agamus. Quod vel Ethnici faciebant, dicente Verg. de Didone, ob inopinatum Troianorum aduentum gaudente:

Sic memorat, ſimul Aeneam in regia ducit
Tecta, ſimul diuûm tẽplis indicit honorem.

Universidad de Deusto Biblioteca



Id eſt, vt ait Seruius, iuſsit fieri ſupplicationes. Ita Romani factitabant, & aliæ pleræq; gentes, à quibus ad nos ritus eiuſmodi dubio procul manauit: nam in ſupplicationũ noſtrarum põpa ſolent ludicra quædã præcedere, hoc eſt, ordo militaris equitum peditumq́; vel effigies aliqua argutæ loquax, ridicula, aut magnis malis latè dehiſcens, dentibusq́; ſonitũ faciẽs valde formidoloſa, ac aliæ oblectationes ludicræ vagari, in quibus prophetæ repræſentantur, alati pueri concinunt, chorus inducitur fœminarum, hic agit Dauid, ille Salomonem gerit, alij reginas fingunt, alij venatores ludunt, ſimiã vel iumenta ſimul inducentes, vt denique in hoc ludicro apparatu multiiuges recitentur hiſtoriæ antiquæ. Item cereæ tedæ, & ſymphoniæ adhibentur, loca velantur, quà pompa vehitur. Item pueri & puellæ ex feneſtris vetantur deſpicere, hoc eſt, ex feneſtris deorſum verſum ſpectare. Præterea ſacerdotes vel alij diuorum perſonas agunt, eorũ imagines aut reliquias ferentes, viæ & plateæ variis odoribus conſperguntur, floribusq́; ſternuntur, ac demum aliquot præficiuntur, qui iubeant viam dari, vt pompa ſine impedimento procedat. Sic ſacrificalis pompa apud priſcos ducebatur, teſte Dionyſio libr. 7. Verùm ex illis figuris quæ præferebãtur, aliã ridiculã Cato in M. Cæcilium vocat citeriã, dicens: Quid





ego cum illo diſſertem amplius, quem ego denique credo in pompa vectitatum ire ludis pro citeria? Plautus verò aliam formidoloſam effigiem appellat manducem, in Rudente ſic ſcribens: Quid ſi ad ludos me pro manduce locem, quapropter clarè crepito dentibus? Sed eius rei teſtimoniũ Apuleius imprimis perhibet, qui li. 11. ſummatim ſingula exponit: ait enim: Ecce, pompæ magnæ paulatim procedunt anteludia, vocibus cuiuſq; ſtudijs exornata pulcherrimè. Hic incinctus baltheo militem gerebat, illum ſuccinctum chlamide copides (ſunt enim copides cultri recurui) & venabula venatorem fecerant. Nec ille deerat, qui magiſtratum faſcibus purpuraque luderet. Vidi & vrſam manſuem, cultu matronali ſella vehebatur, & ſimiam pileo textili. Et ſequitur: Iam ſoſpitatricis deæ (Lunam intelligit) peculiaris pompa moliebatur. Mulieres candido ſplendẽtes amicimine, vario lætantes geſtamine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, qua ſacer incedebat comitatus, ſolum ſternebant floſculis. Et pergit: Illæ etiam quæ cæteris vnguentis & geniali balſamo guttatim excuſſo, conſpergebãt plateas. Magnus præterea ſexus vtriuſque numerus lucernis, tedis, cereis, & alio genere facti luminis ſyderum cœleſtium ſtirpem propitiantes. Symphoniæ dehinc ſuaues fiſtulæ, tibiæq; modulis dulciſſimis perſonabãt.

cas amœnus lætiſſima iuuentutis veſte niuea & cataliſta (colobium intelligit) prænitens ſequebatur chorus. Et paulo poſt ſubdit: Et plerique qui facilẽ ſacris viã dari prædicarẽt, &c. Ij præcones erant qui proclamare ſolebãt: Hoc agite: quibus verbis admonebant, reliquis rebus poſthabitis, ſola ſacrificia curãda eſſe. Velabant loca, quà veheretur pompa, ſicut etiã fit apud nos. Cauſam tradit Verrius Flaccus, qui ſcribit, cum populus Rom. peſtilẽtia laboraret, eſſetq́; reſponſum, id accidere, quòd dij deſpicerentur, anxiam vrbem fuiſſe, quia non intelligeretur oraculum, eueniſſetq́;, vt Circenſium die puer de cœnaculo pompã supernè deſpexerit, & matri narrarit quo ordine arcana pilenti, quod vehiculi genus eſt, compoſita vidiſſet. Qua re ſenatui nuntiata, tunc placuit loca velis contegi, quà pompa veheretur. Ac ita ex illo peſte ſedata, puer qui ambiguitatem ſortis abſoluerat, prætextæ geſtandæ munus impetrauit. Ambiguitas autem oraculi fuit in verbo, Deſpicerẽtur: nã interpretabãtur deos, et cærimonias negligi, cùm tamen oraculum intelligi vellet, deos deorſum verſum aſpici, quod nefas erat, & ad pollutionem ſacrorum pertinebat. Vnde & noſtri hodie in ſupplicationibus pueros & puellas ex feneſtris vetant deſpicere. Item eoſdem priſcos deorum imagines geſtaſſe, teſtatur idem Apuleius, qui inquit: Secun-

dus



dus veſtitu quidem ſimilis, ſed manibus ambabus geſtabat altaria, id eſt, auxilia quibus nomen dedit proprium deæ ſummatis auxiliaris prouidentia. Hinc quoque in pompa ſacrificali noſtri diuorum imagines vel reliquias geſtitant. Item & teſtimonio eiuſdẽ conſtat, priſcos cõſueuiſſe agere deorum perſonas, ita ſcribentis: Nec mora, cum Dei dignati pedibus humanis incedere prodeunt. Sic argutè facetéque iocatus Apuleius: dicimus enim deos incedere humanis pedibus, quãdo homines in huiuſmodi ſacrorum pompa ſuſtinent perſonas & deorum nomina: de quibus Tertul. ait: Ipſos deos noſtros ſæpe noxij induunt. Hunc & nos ritũ pariter ſeruamus, ſed haud ſcio an tam rectè quàm bellè illud fiat: vereor, inquam, vereor, ne ijs in rebus dijs potius gentium quàm Chriſto non gratum faciamus: nam illi ſuos cultores in ſupplicijs, vt Salluſtius ait, magnificos eſſe volunt, hic verò nihil magis quàm illud horret, qui inquit: Tu autem cum oraueris, introito in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora. Ecquid igitur fiet nobis, ſi contra præceptum venerimus? Imò fiat quiduis, nos tamen venimus contrà: cuius rei vt magis pudeat, vnum ex ſexcẽtis Ethnicorum exẽplum valde mehercule memorandum ponam. Athenienſes enim, vt Plato in ſuo Alcibiade ſecũdo prodit, ſolebant quotannis multò ſumptuoſiſſimas ſa-

cror

crorum pompas celebrare, ac magno facere ſacrificia apparatu: cōtrà Lacedæmonij ea omnia perparcè, vt qui plus hærerēt in precibus. Quapropter quoties res vlla inter eos erat populos, Atheniēſium ſemper longè exiſtebat inferior: qui tantæ calamitatis cauſam ſcire auentes, Iouem Ammonem per prophetam conſuluere. Propheta ad ea reſpondit, id accidere, quòd Deus pluris Lacedæmoniorum caſtas preces, quàm Athenienſium magnifica faceret ſacra.

### De origine vaſorum indumentorumque ſacerdotalium, ac de primo eorundem ſacrandorum inſtituto, & vnde vſus tintinabulorum, item velorum, cortinarum, candelabrorum & vexillorum.

### CAPVT XII.

Calices in quibus conſecratio diuini ſanguinis fit, principio ligneos fuiſſe ſatis conſtat: atque id pauperum apoſtolorum inſtitutum dixerim, qui ſic voluerunt modis omnibus materiam auferre ſacerdotibus inhiandi opibus, quas ipſi in primis neglexiſſent. Zepherinus poſtea mandauit, vt in vitreo vaſe, non in ligneo, vt antea, ſacrificaretur. Antiquatum eſt id decretum paulatim, cautumque, ne in ligneo vaſe ſacerdos rem diuinam faceret propter materiæ raritatem, qua liquor imbibitur: neque vitreo, quia fragile: neque ex metallo, ob terrum ſaporē, quem inde concipit: ſed





in auro, aut argento, aut ſi vtrunque deſit, in ſtanno, autor Gratianus. Sunt tamen qui hoc primùm Vrbano primo aſsignent. Linteolum ſuper quo inter ſacra corpus Chriſti ponitur, Sixtus primus pontifex iuſsit, ne ex alio quàm ex lineo panno, & quidem puriſsimo fieret: id corporale vocant. Eiuſdem quoque ſanctio ne ſacra vaſa profanæ attrectarent manus, præſertim fœminarum. Item ab Hebræis ſumptum eſt, vt veſtes ſacerdotales, cum altarium tegumentis ac reliquis rebus ad vſum templi neceſſarijs ſacrarentur, & veſtimenta ipſa ſacerdotibus aliiſque initiatis aſsignarentur, qui ea induerent, cùm ſacris eſſent operam daturi. Quod Stephanus pontifex primus, apud noſtros primò faciendum ſtatuit iam in exordio ſurgentis religionis, ſacerdotes rem diuinam facturi nihil ſuperinducere conſueuerūt, cùm potius ſeſe intrinſecus animi virtutibus veſtire, ac vitijs corporis exuere ſtuderent, quā nouos ſumere apparatus, qui apud ipſos Hebræos magnæ habebātur venerationi, teſte Origene ſuper Leuiticū, vbi ait: Inuenimus & vaſa miniſterij ſancta vocitata, & veſtimēta ſancta dies, & loca nihilominus ſacerdotibus aſsignata. Quòd tintinabulorū ſono populus inuitatur, vocaturq; ad ſacra audienda ſtatis diei horis, Sabiniani qui Gregorio ſucceſsit, hoc decretum eſt. Aliud inde Ioannis XXII. romani pontificis

Universidad de Deusto Biblioteca

tificis præſcriptū manauit ad poſteros: is enim inſtituit, vt ter in ſingulos dies, tintinabula ad veſperū pulſarētur, ac tū vnuſquiſq; ter ſalutationē angelicā diuæ virgini ſacrā recitaret. Inſtitutū ita mãſit, vt hodie vbiq; gentiū ſit in vſu, atq; audito tintinabuli ſono, cuncti cōfeſtim in veſtigio genua flectãt, atq; orent. Ipſorū autem tintinabulorū vſus ab Hebræis itidem manauit: princeps enim ſacerdotū, vti eſt apud Ioſephū, lib. Antiq. III. ſuperinduebatur tunica hyacinthina, ex cuius fimbrĳs tintinabula pendebãt, quæ ſonitū ederent, cùm ille eſſet ſancta ſanctorū ingreſſurus. Sed Origenes rem cōmodè ſuper Exod. exponit, inquiēs: Habeat etiã pōtifex per indumēti circuitum, tintinabula, vt ingrediēs ſancta det ſonitū, et non intret cū ſilentio. Et hæc tintinabula quæ ſemper ſonare, debent in extremo veſtimenta ſunt poſita, idcirco, credo, vt de extremis tēporibus & fine mundi nunquam ſileas, ſed inde ſemper ſones, inde diſputes, & loquaris, ſecundum eū, qui dixit, Memor eſto nouiſſimorū tuorum, & non peccabis. Ad hunc ergo modum, homo noſter interior Deo pontifex adornetur, vt intreire poſſit, non ſolū in ſancta, ſed in ſancta ſanctorū, & reliqua. Sunt ſexcēti præterea tintinabulorum vſus præterquam in domo Dei, quod ſilentio prætereūdum duxi, cùm tale quid perſequi, longè à noſtro abeſſet inſtituto.

Item



Item & ab illis accepimus velum, quo apud eos ſancta à ſanctis ſanctorum diuidebantur, & apud nos itidem altare princeps ab ea templi parte, in qua inſidet chorus, ſeparatur, tempore quadrageſimali: item cortinas, candelabra, vaſa, quibus vtimur. Quæ omnia atque id genus multa cùm Moſes tum Solomon ad vſum templi primum inuenere, vt in Exodo & in Regū libris patet. Quòd vexilla circa dies Paſchales in templis eriguntur, id ea de cauſa fit, vt triumphus Chriſti, qui à morte inſigniter reſurrexit, ſolenniter repreſentetur: & illud vel ab Ethnicis ſumptum: nam quemadmodum illi ſigna militaria quæ deuicto hoſte cepiſſent, vt certa victoriæ ſigna in triumphis portabant, referebántque inter cætera bonorum monumenta: ſic nos paſchali tempore, vexilla in ſacrorum pompa deferimus, in templiſque ſuſpēdimus. Quo quidem tempore Rex ille noſter fortiſſimus, mortis confractis viribus, pede conculcans tartara, ſoluit à pœna miſeros, victórque de funere ſurgens triumphauit pompa nobili.

### De primo apud Chriſtianos imaginum cultu, deq; modo eas venerandi à patribus conſtituto, atque de prauo earundem abuſu ad quæſtum. CAPVT XIII.

DE ſimulacrorum origine, ſuprà in ſecundo eſt à nobis libro proditum: hic de illorum



rum

Universidad de Deusto Biblioteca

rum cultu iam agamus, quem nō modò noſtræ religionis expertes, ſed, teſte Hierony. omnes fermè veteres ſancti patres damnabāt ob metum idololatriæ, qua nullum execrabilius ſcelus eſſe poteſt: nam cum Deum, vt perhibet Ioannes, vidiſſet nemo vnquam, quā ei formam dabimus? etſi Moſes dicit: Deus fecit hominē, ad imaginem Dei fecit eum, quod ad animam Euſebius de prepara. euangelica, lib. x i. ſcienter refert: id quod Ioannes Damaſcenus ad corporis formam detorquere nititur, cum de huiuſmodi imaginibus colendis cauſam agit. At Moſes nihil magis inculcat, ſicut ex compluribus tam Exodi quàm Leuitici conſtat locis, quàm ne populus aliquid manu factum veneretur. Et propheta: Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Diuus quoque Gregorius Serenum epiſcopum Maſſilienſem, quemadmodum in canonicis Decretis legitur, & ipſe epiſtola nona, lib. epiſtolarum I X. atteſtatur, reprehendit, quod imagines fregiſſet, & laudat, quòd coli inhibuiſſet. Cæterum quia lex per præſentem vmbram, vt ſuper Numeros paſſim docet Origenes, futura bona ſignificabat, idcò legimus in eodem libro, Moſen iuſſu Domini, feciſſe æneum ſerpentem, erexiſſeque in eremo, vt ex populo, qui à ſerpentibus læſi eſſent, illum intuerentur, & ſanarentur. Hunc ſerpentem ait

diuus



diuus Auguſtinus typum fuiſſe Chriſti crucifixi, quòd perinde ſanentur, qui hunc pendentem in cruce contemplantur, atque qui illum aſpiciebant. Sed illud ipſum Seruator ipſe manifeſtius teſtatur: Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Hebræi ſerpentem tam ſalutarem nō potuerunt non venerari, quippe quem, vt rem ſanctam religioſè ſeruarunt vſque ad tempora Ezechiæ regis, qui eum poſtremò confregit, quò ſic populum in idololatriam turpiter lapſum, ad priſtinum cultum reduceret. Fuit æneus ſerpens datus, vt ſignum diuinæ potentiæ: nam longo poſt tempore Chriſtus Seruator, qui, vt Apoſtolus ait, Dei imago erat, & loco Moſaici ſerpentis in crucem leuandus, nobis intuentibus ſalutem parere, formámque humanam induere voluit, & factus homo viſus cognitúſque eſt à mortalibus, id quod nunquam antea patuit, ſicut ipſe affirmat diſcipulis ſuis, ita loquens: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt, &c. Illi haud dubiè felices fuere, dicente Ouidio:

Felices illi, qui non ſimulacra, ſed ipſos,

pp 2 Qui

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Quiq; deûm coràm corpora vera vident.*
*Et quia in ea humili forma, propria virtute*
*miracula ſupra fidẽ edebat, idcirco vt Deus ha*
*bitus eſt. Cuius quidem rei fama efficiebat, vt*
*vndique populorũ concurſus ad eũ fieret, qui*
*illius faciẽ diuinæ lucis fulgore nitentẽ haud*
*dubie ſic contẽplabantur, & venerabantur, vt*
*eius effigiẽ iamiam mentibus infixã aut pinge*
*re vel ſculpere tum primùm cœperint: quod cũ*
*primis fecerunt idolorũ cultores, qui in rem*
*publicam Chriſtianã venerunt: quod teſtatur*
*Euſebius, qui circiter annũ ſalutis* CCCXX.
*claruit. Is hiſtoria eccleſiaſtica lib.* VII. *de*
*monſtrans Cæſareã cognomẽto Philippi eam*
*eſſe vrbem, quam Phœnices Paneadam vocant,*
*ita ſcribit: Mulierem quam ſanguinis profiu*
*uio laborantem à Seruatore curatã euangelia*
*tradiderunt, huius vrbis ciuem cõſtat fuiſſe,*
*domuſq; eius in ea etiã nunc oſtenditur: pro fo*
*ribus verò domus ipſius, baſis quædam in loco*
*editiore collocata monſtratur, in qua mulieris*
*ipſius velut genibus prouolutæ, palmáſq; ſup*
*pliciter tendentis imago ære videtur expreſſa.*
*Adſtat verò altera ære nihilominus fuſa ſta*
*tua, habitu viri ſtola cõptè circundati, & dex*
*teram mulieri porrigentis. Huius ad pedes ſta*
*tuæ è baſi herba quædam noua ſpecie naſcitur,*
*quæ cùm exorta fuerit, excreſcere vſq; ad ſto*
*læ illius ærei veſtimenti fimbriam ſolet, quam*





*cùm ſummo vertice creſcens herba contigerit,*
*vires inde ad depellendos omnes morbos lan*
*goréſque cõquirit, ita vt quæcunq; illa valetu*
*do fuerit corporis, hauſtu exiguo madefacti ſa*
*lutaris graminis depellatur, nihil omnino vi*
*rium gerens, ſi antequam æreæ fimbriæ ſummi*
*tatem creſcendo contigerit, decerpatur. Hanc*
*ſtatuam ad ſimilitudinem vultus Ieſu forma*
*tam tradebant, quæ permanſit ad noſtra vſq;*
*tempora, ſicut ipſi oculis noſtris inſpeximus.*
*Et nihil mirũ, ſi ij qui ex gẽtibus crediderant,*
*pro beneficijs, quæ à Seruatore fuerãt cõſecuti,*
*huiuſmodi velut munus videbantur offerre,*
*cùm videamus etiã nunc apoſt. Petri vel Pauli*
*& ipſius Seruatoris imagines deſignari, tabu*
*liſque depingi. Hucuſq; Euſebij verba reddidi*
*mus. Iam apparet à Chriſtianis poſitam fuiſ*
*ſe ſtatuam Chriſto, cùm aut in humanis vitam*
*ageret, vel ſtatim poſt eius aſcẽſum in cœlum.*
*Sed ſi Ioanni Damaſceno credimus, ipſe ſuam*
*effigiẽ, vt ſui præſentem memoriam, Abagaro*
*Ediſſeniorũ toparchæ (erat ea gens vltra Eu*
*phratem) dono miſit. Abagarus enim, autore*
*eodem Euſeb. cùm audiſſet Ieſum innumerabi*
*lia edere miracula, quia morbo tẽtabatur, ſcri*
*pſit ad eum ſuppliciter rogitãs, vt ſe ſanatum*
*veniret: cui Seruator per Ananiã tabellariũ,*
*qui Abagari literas tulerat, reſpondit ſe poſt*
*quàm aſſumptus eſſet, miſſurum vnum ex ſuis*

diſcipulis, qui eius valetudinem curaret. Fuit
ille Thatheus vnus ex ſeptuaginta, qui poſtea
id officium erga Abagarum preſtitit. Interim
dum toparcha expectando nuntiũ ſalutis, iam
moræ haud ſatis patiẽs animi pẽdebat, dicitur,
vt Damaſceno placet, miſiſſe pictorẽ, qui for-
mam eius fingeret: ſed pictor cũ ob vultus ſplẽ
dorem id efficere nequiuiſſet, fama eſt dominũ
admouiſſe ad faciem veſtimẽtum ſeu ſudariũ,
& illi ſuã effigiem impreſſiſſe diuinitus, atq;
mox miſiſſe ad Abagarum, vt ſic pium regem
cõſolaretur. Alterum id genus ſudarium, dum
ad mortem ſubeundam ducebatur, dediſſe fer-
tur mulieri, quam profluuio ſanguinis, vt ſu-
prà oſtendimus, liberauerat, cui, ſi recentiori-
bus credere volumus, Veronicã nomẽ fuit: quod
vndecunq; acceptum fuerit, hodie Romæ per-
ſanctè ſeruatur in æde principis apoſtolorum.
Item conſtans opinio eſt Lucam euangeliſtam
pinxiſſe in tabellis aliquot figuram Deiparæ
virginis, qua illa erat, quæ hodie in quibuſdã
locis tum ſanctiſſimè cuſtodiuntur, quàm re-
ligioſiſſimè coluntur. Apoſtolorum quoque
imagines ad eorum corporum exemplum olim
formatas à Chriſtianis, idem Euſebius in eo
loco atteſtatur, quem ſuprà citauimus, qui in-
quit: Sed antiquas ipſorum imagines à qui-
buſdam conſeruatas nos vidimus. Quod mi-
hi videtur ex gentili conſuetudine indifferen-
ter



ter obſeruatũ, quòd ita ſoleant honorare quos
honore dignos duxerint: inſignia etenim ve-
terum reſeruari ad poſterorum memoriã, illo-
rum honorũ: horum verò amoris indicium eſt.
hæc ille. Hinc igitur natũ, vt meritò tam ipſi
Seruatori, quàm eius diuis ſtatuas & in tem-
plis poni, & venerationi haberi conſueuerit.
Ac quoniam eiuſmodi diuorum memoria vt
certo exemplari præ oculis poſito, quàm nobis
imagines iugiter repræſentãt, ad virtutẽ &
imitationem excitãtur homines: atque imagi-
nis honor, vt Baſilius inquit, ad exemplaris
transfertur honorẽ. Idcirco patres eam cõſue-
tudinem nõ modò admiſerunt, ſed autoritate
ſextæ ſynodi, quæ Cõſtantinopoli habita eſt,
imperantibus Cõſtantino & Iuſtiniano II.
ipſius Conſtantini filio, vt in Decretis cano.
patet, ſtatutum fuit, vt imagines ſacræ diuo-
rum in tẽplis haberentur, magnáque venera-
tione colerentur, vtpote quæ imperitioribus
loco ſacrarum literarũ forent, ad quas etiam
Romanorum ritu, de quo ſuprà libro II. cap.
XXIII. meminimus, thus & cerei incenduntur.
Fuit is annus ſalutis LXXX. alter ſuprà
DC. vel, vt non nemo ſentit, DCCIII. quo
Agatho Romanã tenebat ſedẽ. Deinde Con-
ſtantinus pontifex habita ſynodo, id decretũ
corroborauit, iuſſitque vt imagines in porticu
diui Petri depingerentur, quòd intellexerat à

Philippo Imperatore eas è parietibus diuæ Sophiæ ignominiæ cauſa abraſas fuiſſe, propterea illum hæreticum pronunciauit. Leo deinde III. fanatico ſpiritu percitus iiſdem fecit, quem Gregorius II. pontifex per literas admonuit, vt omiſsis quorundã improborũ erroribus, verã tandẽ amplexus religionẽ abolere diuorum imagines deſineret. Poſtremò Leone IIII. Imperatore mortuo, Hirene eius vxor cum Conſtantino filio ſexto, imperium obtinuit, mulier viro multò prudentior, forma pariter atque ſanctitate inſignis. Huius itaque opera, conuentus CCCL. epiſcoporum eſt Niceæ factus, vt ſemel decerneretur, eſsétne diuorũ imagines templis reſtituendæ, an res in omne tempus abolẽda: tum quia inter cunctos ſatis cõſtabat Deum ab initio ſimulacrorũ fingendorum præmonſtratorẽ fuiſſe, ac poſtea ſtatuas ipſas tam dijs quàm hominibus præclaris poſitas eſſe, partim memoriæ eorũ retinẽdæ cauſa, partim ſtudio incendendi ad virtutem animum illorũ qui imagines intuerentur, vti ſuprà lib. II. cap. XXII. non vtique obſcurè demonſtratur. Magno omniũ conſenſu eſt decretum, vt Romanorũ ritu vbique gentium in templis haberẽtur, additáque eſt colendi forma duobus carminibus expreſſa, vt res ab omni idolatriæ ſuſpicione abeſſet, quæ ex Græco in Latinum ita verſa fuerunt.





Nam Deus eſt quod imago docet, ſed non
Deus ipſa.
Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis
in ipſa.

Ecquis igitur tam diſſolutus, tantáque audacia præditus eſt, qui velit poſsitve dubitare, ſeu aliter ſomniare, ne dicã ſentire, vel cogitare de imaginum cultu, ac demũ ſit tot longè ſanctiſsimorum patrũ decreto cõſtitutũ? Cæterùm illud atque adeò deſiderari poſſet, vt ſacerdotes frequentius populũ docerẽt, quonam pacto deberet & venerari eiuſmodi imagines & apud eas ſua offerre donaria: quod quia illi tacent, & vulgò ex ſuo vſu tacere putantur, idcirco eò inſaniæ deuentum eſt, vt hæc pietatis pars parum differat ab impietate: ſunt enim bene multi rudiores, ſtupidioresque, qui ſaxeas, vel ligneas, marmoreas, æneas, ſeu in parietibus pictas, variiſque coloribus litas imagines colant, nõ vt ſigna, ſed perinde quaſi ipſa ſenſum aliquem habeãt, & ijs magis fidant, quàm Chriſto, vel alijs diuis, quibus dicatæ ſint. Quo fit, vt ſtultitiam ſtultitia cumulantes, illis offerant aurum, argentum, annulos gemmatos, omnifariáſque gemmas ibidẽ ſenio perituras. Et, vt ad id faciendum cõplures inueſcentur, illi qui talẽ ſegetem metunt, numos perforant, filoque pendẽtes in collo aut manibus ipſarum imaginũ ſuſpen-

Universidad de Deusto Biblioteca

dant, donaria in locis cõſpicuis egregiè collocant, titulóſque apponũt, quò nomina offerentium & dijs & hominibus notiora fiãt. Sic bona pars hominũ per hæc magis delirare inducitur, ac inſuper longa aliquoties itinera cõficere, vt vnam imagunculã adeat, ibique donaria ſua relinquat, prætermiſſo cuncto alio aut pietatis, aut charitatis officio, rata ſe omnino ſat largitionis feciſſe, ſat pœnituiſſe, ſi inter iter lautius victitando aurum obtuliſſet, in cuiuſuis thecam numariã inde iturum. Quàm igitur ſapientius, quàmque religioſius eſt ea ratione peregrinari, vt labore corpus dometur, ſic, vt cogatur rationi ſeruire, & imagines venerari, vt mens ad Deum protinus dirigatur, ac dona dare, quæ pauperibus vſui eſſe poſſint, quandoquidẽ ea dubio procul eſſe conſtat munera grata Deo, qui, vt Socrates apud Platonẽ in Alcibiade II. ait, animũ iuſtum reſpicit, nõ item munera. Atqui Lactantius manifeſtè demonſtrat, quàm maximè aberrent illi, qui aliter ſeu faciũt, vel ſentiunt, ſcribẽs: Veſtes igitur, gemmas, & cætera quæ habentur in pretio, ſi quis putat Deo chara, is planè quis ſit Deus neſcit: cui putat voluptati eſſe eas res, quas etiam homo ſi quis cõtempſerit, iure laudabitur. hæc ille. Et diuus Hierony. illum diſſerens locum apud Hieremiam, Et argento & auro decorauit illud (de

ſimulacro



ſimulacro loquitur propheta) ait: Qui quidem error ad nos vſque tranſiuit, vt religionem in diuitijs arbitremur. Eò etiam pertinet, quod Plato lege vetuit, ne deorũ imagines ex auro vel argẽto, ferróve aut ære fierent, ſed tantum ex ligno vel lapide factas voluit, vt ne criminoſi ex occaſione rei pretioſæ, exiſtimarent ſe propterea deos placare aut decipere poſſe.

### De decimarum, & primitiarum, ac primogenitorũ redemptionis origine: & quis primus decreuerit, vt liceret ſacerdotum collegijs fundos & prædia oblata recipere poſſidenda. CAP. XIIII.

SVmmus propheta Moſes, teſte Ioſepho, diſtribuit Hebræis poſſeſſiones, diſtribuit & Ioſue eius ſucceſſor. Leuitis verò qui vacationem militiæ habebãt, nulla terræ portio data, præter habitationẽ in ſingulis tribubus, & in ſuburbanis cuiuſque ciuitatis tantum agelli, quod ſatis eſſet ad iumenta & pecora alenda. Iſte enim ordo Leuiticus vel ſacerdotalis, ſapientiæ ac ſcientiæ Dei operã impẽdebat, huic lex Dei cõmiſſa erat, cui vt aſſiduè abſq; vlla ſollicitudine ſtuderet, ac ne ob victus inopiam cultus diuinus ab eo vel negligeretur, vel deſereretur, neceſſum erat vt eũ populus cõmuniter iuuaret, qui ſi, vt probè ait Origenes, quæ neceſſaria ſunt, nõ præbuerit ſacerdotib. & leuitis occupati illi in talibus, id eſt, familiaris

rei

rei curis minus legi Dei vacabunt. Illis autẽ
non vacãtibus, neque operã dantibus legi Dei,
tu periclitaris: obſcurabitur enim lux ſcien-
tiæ quæ in illis eſt, te non ſubminiſtrãte oleum
lucernæ. Quod tantum nefas ne vllo vnquam
tempore accideret, Moſes prudẽtiſſimus prin-
ceps legem tulit, quæ, vti in Exodo, Numeris,
Deut. extat, & à Ioſepho ſimul exponitur,
primitias & decimas omniũ frugũ omniũmq́;
pecudum ſacerdotibus & leuitis offerri man-
dauit, ſic vt omnis qui poſſideret agrum, vel
vineam, vel oliuetũ, vel etiã hortũ, & ſi quid
eſſet quod exerceretur in terris, ſed & ſi quis
pecuaria haberet, is offerret ex illis Deo omne,
quod primum eſſet, & decimas quoque id eſt,
ad ſacerdotes deferret: Deo enim offerri dicit
lex, quod ſacerdotibus datur. Et hoc eſt, quod
docemur ex lege, vt nemo homo licitè nec le-
gitimè vtatur fructibus, quos terra produ-
xit, nec animantibus, quæ pecudum protulit
partus, niſi ex ſingulis Deo primitiæ & deci-
mæ, id eſt, ſacerdotibus dentur. Atque ſic Mo-
ſes, imò Deus ipſe, cuius iuſſu ille cuncta geſ-
ſerat, autor fuit, vt primitiæ & decimæ Leui-
tis ac ſacerdotibus offerrentur. Hanc legẽ vt-
pote apoſtolica & euangelica autoritate cor-
roboratam, Origenes ſuper Numeros, ſeruari
etiam ſecundũ literam, ſicut & alia nõnulla,
neceſſarium probat aduerſus eos, qui ex titulo
legis

Universidad de Deusto Biblioteca



legis omnia ſacra ſcripta interpretari vole-
bunt: quod noſtro quoque tẽpore plerique tam
ſtultiſſimè quam audaciſſimè faciunt, dicen-
tes: Si aliquid omnino ſeruandũ eſt ſecũdum
literam, vt dicimus, hoc eſt, ſine allegoria, ſine
arguta interpretatione, cur nõ & cuncta ſer-
uentur? Sed illi quidem non animaduerterunt
aliud eſſe legẽ, aliud eſſe mandatum, aliud te-
ſtimonium, aliudque iudicium, quæ præcepit
Dominus Moſi. Non eſt ſcriptum, vt inibi ait
Origenes, Hoc eſt mãdatum Paſchæ, ſed, Hæc
eſt lex Paſchæ, quia lex vmbra eſt futurorum
bonorũ. Cùm ergo ſit mẽtio Paſchæ, vt de agno
illo corporeo, debemus ſentire ſpiritualiter,
quia paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.
Simili modo de azymis & cæteris feſtorũ die-
rum obſeruationibus intelligere debemus, quæ
ſub legis titulo denotantur. Sunt autẽ manda-
ta legis, quæ ſecundũ literã ſtant: & ita Ser-
uator noſter recipi atque obſeruari à nobis
voluit, cùm dixit, Serua mandata, cuiuſmodi
ſunt, Ne occidas, Ne furtum facias. De nuptijs
idem præcepit, ita dicẽs: Scriptum eſt, propter
hoc relinquet homo patrem & matrẽ, & ad-
hærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnẽ vnã.
Quod ergo Deus coniunxit, homo nõ ſeparet.
De primitijs & decimis mandatum ſimiliter
ſeruandum ſecundũ literam, Domini vocibus
docemur, qui in euangelio inquit: Væ vobis
Scribæ

Universidad de Deusto Biblioteca

Scribæ & phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, hoc eſt, decimã datis mẽthæ, & cymini, & anethi, & præteritis quæ maiora ſunt legis. Hypocritæ, hæc oportet fieri, & illa non omitti. Vide, ſermo Domini vult quidem vt omnino fiant, quæ maiora ſunt legis, nõ tamen minora hæc omittantur quæ ſecundũ literam ſignificãtur. Quod à phariſæis vult factum, multò magis vult à diſcipulis præſtitũ, quibus dicit: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm phariſæorum & Scribarũ, non intrabitis in regnum cœlorũ. Quomodo autem plus velit vt fiat à diſcipulis, quàm à Phariſæis in eo declarat vbi dicit: Dictum eſt antiquis, Nõ occides. Hoc ſeruabant & phariſæi. Diſcipulis autem dicit: Ego autem dico vobis, quia ſi quis iratus fuerit fratri ſuo, reus erit iudicio. Igitur ex his ſatis patet, oportere nos & primitias & decimas ſoluere, ſi volimus nõ modò iuſtitiam noſtram abundare plus quàm Scribarum & Phariſæorũ, ſed eos officio tantum æquare qui de fructibus terræ ſuæ guſtare non prius audebant, quàm primitias ſacerdotibus obtuliſſent, & Leuitis decimas ſeparaſſent. Et quia munus primitiarũ Domino offerebatur, ideo Eutychianus pontifex Romanus voluit, vt ipſæ fruges ſic in altari conſecrarentur, velut apud Hebræos oleo & thure adolebantur. Seruatur hodie Eutychiani decretum

cretum

cretum nonnullis in locis. Verùm adeò ſanctitas ſacerdotum cõſenuit, & populi pietas refrixit, vt primitiarum nomẽ vnà cũ prouentu penè extinctum ſit, cùm hodie loco primitiarum dominicis tantum diebus panes aliquot ſua ſponte alibi offerãt, alibi verò ſolum duos tréſve dent, quos ſacerdos prius conſecret, ac eos inde fruſtatim diuiſos populo diſtribuat, vt qui quondã illis diebus euchariſtiam ſumere conſueuerat, ob eius rei memoriam, panem iſtum ante omnia cibaria prægustet. Atque illud fit ad imitationẽ Christi, qui ita panẽ ſacrare prius ſolebat, quam illum ſuis diſcipulis vel alijs porrigeret, vt veſcerentur. Decimæ verò adeò etiam grauatè à multis dantur, vt non niſi coacti id faciãt, argumentãtes magis egère qui eas dant, quam qui recipiunt. Eſt aliud decimarum genus, quas ſacerdotes ſibi deberi cõtendunt ab opificibus qui manibus laborant, aut ab ijs qui mercaturam exercent, vel ſtipendium faciũt, quales autore Ioſepho, conſtat Abraham dediſſe Melchiſedech Solymorum regi, à quo hoſpitio acceptus, ex præda quam profligatis Aſſyrijs ſecum tulerat. Quæ autẽ decimarum genera apud Hebræos eſſent, & quomodo Leuitæ & ſacerdotes eas inter ſe partirentur, quiſve modus foret primitias offerendi, Hierony. ſuper Ezech. cap. v. & xl. facilè declarat, cuius verba

idcirco

Universidad de Deusto Biblioteca

idcirco ponere haud ſuperuacaneum duximus.
Dicamus igitur, inquit, primùm iuxta lite-
ram, δεκάδα, hoc eſt, decimam partē omnium
frugum Leuiticæ tribui populi ex lege debe-
bat. Rurſum ex ipſis decimus, Leuitæ, hoc eſt,
inferior miniſtrorum gradus, decimas dabant
ſacerdotibus. Erant quoque & aliæ decimæ,
quas vnuſquiſque de populo Iſraël in ſuis
horreis ſeparabat, vt comederet eas, cùm iret
in tēplum in vrbe Hieruſalem, & in veſtibulo
templi ſacerdotes & leuitas ad cōuiuium in-
uitaret. Erāt autē & aliæ decimæ, quas pau-
peribus recōdebant. At verò primitiua quæ de
frugibus offerebāt, non erant ſpeciali numero
definita, ſed offerētium arbitrio derelicta. Et
in libello ad Fabiolam, de cibis & primitijs ſa
cerdotum rē hanc luculentius differens, dicit:
Primitiæ ciborū & omniū frugum atque po-
morum offeruntur antiſtiti, vt habēs victum
atque veſtitū, abſque vllo impedimēto ſecurus
& liber ſeruiat Domino. Primogenita mundo
rum animaliū accipiūt ſacerdotes, & immun
dorum pretia, hominum quoque primi partus
redimuntur. Et quia cōditio humana naſcēdi
eſt communis, prætium æqualiter offertur, ſic
moderatum & leue, vt nec diues intumeſcat,
nec tenuis prægrauetur. Æditui & ianitores
accipiūt decimas, & rurſum decimas decima-
rum offerunt ſacerdotibus, tātò illis minores,
quantò



quantò ipſi maiores populo, &c. Quod primi-
tiarum ſuo quiſ ꝗ arbitratu, ſicut Hierony. ait,
plus minùs ve dabat, illud tamen ter quotānis
facere debebant: primùm enim circiter paſcha
cùm fruges maturescere inciperēt, vt eſt in Le-
uit. ca. II. Si autem obtuleris munus primitia-
rum frugum tuarum Domino, de ſpicis adhuc
virentibus, torrebis eas igni, & cōfringens in
morem farris, offeres primitias tuas Domino.
Deinde ad feſtum diē pentecoſtes, panes ex no
uis frugibus confectos: poſtremò circa feſtū diē
tabernaculorum, fruges ipſas iam collectas offe
rebant. Sed & vnde ortum ſit, vt primi homi-
num æquè ac aliorum animalium partus Deo
conſecrati eſſent, iā appoſitè dicamus. Cur pri
mogenita offerrentur Deo, cauſa ponitur in
Num. ca. III. vbi legimus: Locutus eſt Dominus
ad Moſen, dicēs: Ego tuli Leuitas à filiis Iſraël,
pro omni primogenito, qui aperit vuluam à fi-
liis Iſraël, eruntque Leuitæ mei. Meum eſt enim
omne primogenitum: ex quo percuſsi primoge-
nita in terra Aegypti, ſanctificaui mihi quic-
quid primum naſcitur in Iſraël, ab homine vſ
que ad pecus. De interitu primogenitorū Aegy
pti mentio fit in Exo. ca. XII. Sanè ſinguli pri
mogeniti XI. tribuum, quando primi qui naſce
bantur in tribu Leuitica, ad tēpli miniſterium
applicabantur, de ſacerdotibus redimebantur
quinis ſiclis. Siclus autem quantum valeat ſu


prà

Universidad de Deusto
Biblioteca



prà li. x 1. ca. 1 1 1. docuimus. Primogenitum ve
rò animalis nō mundi, aut mundo commutari,
vel occidi ſolebat: etenim animal aliud mun-
dum habebatur, quod edebatur: aliud nō mun-
dum, quod nō licebat offerre, ſed velut natura
mundum cōmutabatur, vt aſinus, qui oue redi
mebatur: aliud item nō mundum, vt canis, quē
neq; offerri neq; cōmutari fas erat, propterea
occidebatur. Verùm ad propoſitum iam redeat
oratio. Nō abs re igitur ſeruator noſter haſce
de decimis ſanctiones approbauit, quippe qui
voluit, vt qui euāgeliū annūciarent, ex euāge
lio viuerēt ac propterea, patres lege ſanxerūt
decimas eſſe ſoluēdas, ſicuti latè patet ex cōplu
ribus Decretalibus pōtificū epiſt. Quid quòd
Romanos Moſaicā legem in hoc nō aſpernatos
iſtud inſtitutū ſeruaſſe cōſtat? nā Herculi de-
cimas dare locupletibus ac nobilibus antiquus
mos fuit. & Lucullus, quia hūc ritū ſeruaſſet,
auctior factus eſt poſtea, autor Feſtus. Quin
& primitias dari cōſuetudo erat. Sanè Liberū
patrem, qui & Bacchus dicitur, poſt deuictos
Scythas, aliosq; populos, magno Ioui rerum pri
mitias obtuliſſe, autor eſt Ouid. in 111. Faſt. Et
Cyrum regem Perſarum victis Lydis, decimā
quoq; prædæ Ioui dediſſe teſtatur Herod. Sed
iam ad rem familiarē veniamus. Vt enim Chri
ſtus ſeruator decimas nō repudiauit, ſic nec ex
decimis opes priuatim cōgeri voluit: quare vt





vitium auaritiæ, quod, vt ait Apoſtolus, idolo-
rum ſeruitus eſt, à ſuorum præſertim ſacerdo-
tum cœtu eiiceret, repelleret, exterminaret, pau
pertatem elegit, eamq; ſuis diſcipulis maximè
cōmendauit, cum dixit: Qui nō renuntiauerit
omnibus quæ poſſidet, nō poteſt eſſe meus diſci
pulus. Et alibi: Vade, vende omnia tua quæ ha-
bes, & da pauperibus, et habebis theſaurum in
cœlo, & veni ſequere me. Sed vt Chriſto pau-
pertatem, quæ habet ſuū cōmodū, ſuamq; mū-
ditiam, tribuimus, ita ſordes ac mendicitatem
minus aſſignemus neceſſe eſt: ſiquidē ille dum
inter mortales verſatus eſt, nō oſtiatim cibum
petiit, quippe quē ſecū loculos detuliſſe, & ſuis
diſcipulis abundè victum ſuppeditaſſe, ac ege-
nos ſimul iuuiſſe ſatis cōſtat. Item ipſi apoſtoli
poſtea nec in cibariis petendis operam poſuiſ-
ſe dicuntur, quādo in Actis legimus pios Chri
ſtianos certatim poſſeſſiones vēdidiſſe, & pre-
tia earum afferētes poſuiſſe ante eorum pedes,
quæ diſtribuerentur ſingulis, prout cuiq; opus
eſſet: & ſic nemo inter credētes egēs erat, quo-
niam omnia cōmunia habebant. Ecce magnas
in cōmunitate diuitias, quæ in priuato pauper
tas habebantur: haſce diuitias nō vetuit Chri
ſtus à ſuis miniſtris poſſideri, quæ cunctis egen
tibus vſui eſſe poſſent. Quapropter Vrbanus
vir ſanctitate vitæ & doctrina ſingulari, qui
ſedere cœpit anno C C X X V I I. ab eo, qui fuit

humanæ ſalutis primus, decreuit primus vt ſacerdotibus liceret prædia ac fundos à cultoribus religionis oblatos recipere, nihilq; cuipiam priuatũ eſſet, ſed ad cõmune bonũ. Prædia recepta ſunt, vel ad ipſum cõmune bonũ omnino, quandoquidẽ poſtea omni tẽpore fuerunt atq; ſunt ſacerdotum domus, collegia, ac monachorum cœnobia omnibus, & ipſis ſacerdotibus cõmunia, & aliis perhoſpitalia & apertiſſima. Et ſi paulatim hominum rapacitas & libido fecit, vt maiore ex parte obliterata fuerint extrema decreti verba, id eſt, Ad cõmune bonũ: et loco illorum, illæ duæ ſemper religioni peſtiferæ voces, Meũ & tuum, inſcriptæ fuerint, quæ ita multos tranſuerſos agunt, vt ſacerdotium nihil aliud niſi quæſtũ, niſi hæreditatẽ ac dominatũ eſſe putẽt, & quãtò veteres patres abſtinentiã arctius cõſtrinxerant, tantò iſti intemperãtiæ fræna inſolentius laxent. Quod poſtremum effecit, vt priuata cõmoda longè potiora publicis haberentur, vnde maleuolentiæ, ſimultates & odia orta: namq; ex cõmuni priuatum facere, ſemper diſcordiarũ cauſa fuit. Cœpit deinde Romanus põtifex diues fieri: quẽ Lucina virgo ſanctiſſima, Marcello ſedẽte, moriens prima omnium fecit hæredem. Hæc multis egit precibus cum Cornelio põtifice, vt apoſtoli Pauli corpus extra Capenam portam, via Oſtienſi, vbi capitis fuerat ſupplicio affectus,

in ſu



in ſuum prædiũ trãsferret, & Petrum in Vaticanum, quæ & ipſius Cornelij corpus in prædio quoque ſuo ſepeliuit. Deinde Conſtantinus eundem põtificẽ, vt apud vulgus fama eſt, locupletauit affatim. Sic alij alia dedere loca, vnde tam latè nunc patent opes. Cæterum Vrbanus in hoc ſecutus eſſe videtur Hæbræos, apud quos ſacerdotium opulentiſſimum fuerat, quoniam ſacerdotes in honore haberi debẽt, quos in primis paupertas in vulgus deſpicatiores reddere ſolet, atque inde fieri, vt eis minus credatur, id quod religionem maximè offendit.

LIBRI SEXTI FINIS.

# POLYDORI VERGIL. VRBINATIS DE INVENTORIBVS RERVM

## LIBER VII.

### De monaſticæ vitæ principio. CAP. I.

DE Euangelicæ & apoſtolicæ vitæ initia hactenus diximus. in hoc verò volumine nouus ac varius viuendi modus demõſtrabitur. Cùm enim à maioribus tan



tope

topere degeneratum, ab eorúmq; diſciplina ac
vitæ ſanctimonia ſic longè diſceſſum foret, vt
ſuprà eſt ſparſim demonſtratum, tam Romani
deinde pontifices, quàm vbique gentium antiſ
ſtites nihil prius habuere, quàm ordinis ſacer-
dotalis ſic labentis reuocare gradum, ſic peccan
tis coërcere inſolentiam, promulgatis ab ſe no-
uis quotidie legibus, ad melioris vitæ inſtitu-
tionem. Ad hæc indixere graues pœnas, qui de-
inde contrà ac liceret, feciſſent, vt quò minus
odiſſent peccare virtutis amore, hoc formidine
pœnæ faciliùs à malefactis manus abſtinerēt.
Nec eo quidem pacto perinde profecere, quo-
niam à deguſtatis voluptatibus haud facilè
animus auocatur: quare nonnulli poſtea exti-
tere bonæ frugi patres, qui viam ſecuturis fa-
cerent, qua à deuio ad rectum iretur. Porrò q
omnibus quæ in terris miramur, contemptis,
Chriſtum cōplexi, id eſt, veritatem, pietatem,
innocentiam, manſuetudinem, ſolum diuinis re
bus operam dederunt, quorum principes fuere
Paulus, Antonius, Hilarion, Baſilius, Hierony
mus, ac plerique alij qui ab initio ſanctitate pol
lentes, veluti noua religionis plantæ, in Aegy-
pti Syriæq; ſola quamuis ſterili feliciter incre-
uere, nullo tamen adhuc certo viuendi ritu: nā
id temporis huiuſce vitæ genus ſimplex ac libe
rum erat, vt iſtis omnino cærimoniis minimè
abſtrictū, quas hodie monachi obſeruāt. Veſti-
tum



tum honeſtū pro iure ſuo quiſq; ſumebat: item
nullum votorū vinculum, ita vt integrū vni-
cuique foret manere, aut proficiſci, quò terra-
rum vellet: vel ſi quem eiuſmodi ſui inſtituti
pœnituiſſet, etiam poteſtas eſſet ad priſtinā re
deundi vitam, nō abſq; tamen inconſtantiæ no-
ta. Quòd ſi deinceps per nouas hominum leges,
inuiolatum permanere licuiſſet, lōgè ſanctiſſi
mos omni tempore monachos habuiſſemus, quā
do improbi haud diu monachi fuiſſent. Pete-
bant loca vt plurimū deſerta, hoc eſt, eremum,
vnde eremitæ dicti, quaſi eremū colētes, quos
Græci anachoretas vocant: & quia ſoli viue-
bant, ideo noſtri monachos nuncuparunt, id
eſt, ſolitarios: verùm paulatim deinceps cœpe-
runt gregatim agere, vti infrà dicetur. Atque
ita à principio monachi precibus, ieiuniis, vi-
giliis, literarūq; ſtudiis dediti, procul ab omni
hominū cœtu, tantum duriter victitādo, ac ſe-
ſe manibus exercendo, exemplum bene viuēdi
poſteris ediderunt. At iſti dein ſuperiorū eiuſ
modi veſtigia ſecuti, familias ſinguli ſuas, vt
per appoſite infrà dicetur, inſtituere, illiſq; vi-
uendi normā præſcripſerūt, vt & verbo & fa
cto, quemadmodum ipſæ familiæ prædicāt, vi
tam planè apoſtolicam mortalibus referrent.
Ad hunc denique modum, Chriſtianus popu-
lus vnam legem, vnam religionem cōplexus, in
varias ſectas eſt diuiſus. Sed de monaſtici in-
ſtitu

ſtituti initio lõgè poſt homines nati, nunc cé-
leberrimi, iam dicamus. Itaq; olim inter mul-
tos, teſte Hierony. quæſitum eſt, à quo potiſſi-
mum eremus ſit primum habitari cœpta: qui-
dam enim altius repetentes, Heliã & Ioannẽ
Baptiſtam eius rei autores faciunt: ſed vt is
plus quam propheta, ita ille plus quàm mona-
chus cenſeri debet. Alij Antonio aſſignant, alij
cuidã Paulo Thebæo, ob id ipſum primo eremi-
tæ nuncupato, quòd Anachoreticæ vitæ pri-
mus fundamenta iecisſet: id quod vel Hier. cõ-
probat. Hunc igitur veluti exemplar, illum vt
exemplũ ad imitandũ, fuiſſe dicunt. Ego verò,
quãdo in re ambigua vnicuiq; liberũ eſt cõie-
ctare, crediderim inſtitutum monaſticæ vitæ
ab Eſſæis ſiue Eſſenis, ita appellat Plinius, quo
rum ſecta apud Iudæos admodũ celebris habi-
ta eſt, ad poſteros manaſſe, quoniã illi ferè per
omnia eã ducebant vitã, quã inter nos mona-
chi ex præſcripto legis agere ſolẽt, & vt legen
tibus id perſpicuè pateat, non otioſum erit hîc
Philonis verba ſubiicere, quæ Euſeb. li. VIII.
Euang. prep. repetit, ita ſcribẽs: Palæſtinã ma-
xima gens Iudæorũ habitat, inter quos, qui di
cuntur Eſſæi, comperiuntur plures numero, vt
opinor, quã quatuor millia. Eſſæi dicti, quaſi
ſancti Græce, quoniam Dei cultores præcipuè
ſunt, nõ animalia ſacrificãtes, ſed mentes ſuas
virtute munitas, offerendas Deo putãtes. Ne-





mo inter eos puer, nemo adoleſcens, propter in-
ſtabilitatem ætatis, ſed viri omnes, aut ſenes
ſunt. In ciuitatibus nõ habitant, exiſtimantes
vt cõtagionem aëris corporibus, ſic cõuerſatio
nem vulgi animo nocere. Horum alij agros co
lũt, alij pacificas artes ad vtilitatẽ ſuã & pro
ximorũ exercẽt, nec aurum, nec argentũ repo-
nunt, nec ingentes agros laudant, ſed tantum
colunt, quantum neceſſitati poſſit ſufficere. Ij
enim ex omnibus penè hominibus, ſoli pecuniã
& fundos negligentes, virtute ditiſſimi putã
tur, facilitatem viuendi & paucorum indigen
tiam, rectè magnas eſſe diuitias iudicãtes. Ne
mo eorũ tela, enſes, galeas, ſcuta, cæteraq; bel-
li inſtrumenta factitat: ſed nec eas artes exer
cent, quibus facilè omnes in improbitatẽ labũ
tur. Nulla mercatura, nullus cauponatus, nulla
eis cognoſcitur nauigatio, omnes rapinæ occa
ſiones depellunt. Nemo ſeruus apud eos, ſed cũ
vniuerſi liberi ſint, alteri alteri ſeruiũt, omnes
enim, aiunt, quaſi mater, eadẽ natura genuit:
quare quãuis nõ vocemur, ſumus tamen re ip-
ſa fratres. Illã philoſophiæ partem ſolummodo
approbant, quæ de Deo & de creatione omniũ
ſcrutamur: morali maximè inuigilant, ad quã
abſolutè cõſequendã paternis legibus ad iuuã
tur, quas rectè intelligere nemo ſine diuino au
xilio. Has ſemper quidẽ, ſed maximè ſeptimis
quiſque diebus docentur: dedicata enim ſepti-

Universidad de Deusto Biblioteca

ma dies deputatur, in qua cæteris omnibus
neglectis, ad ſacra loca cõcurrentes, quæ ſyna-
gogæ appellantur, ordine ſub ſenioribus iunio-
res conſidere ſolent, leguntur’q; ſcripturæ dili-
genter, & exponuntur à peritiſſimis. Diſcunt
igitur piè, ſanctè iuſteq; viuere, triplici regula
vtẽtes, amore Dei ardentiſſimo, virtutis cultu
diligentiſſimo, charitate proximi feruentiſſi-
ma. Quòd igitur ſummè Deum diligant, mul-
ta nobis argumento ſunt, caſtitas perpetua, iu-
riſiurãdi nulla mentio, mendacij odiũ, & præ-
cipuè quòd bonorum omniũ, nullius mali cau-
ſam Deum opinãtur. Quòd virtuti ſtudeãt, pa-
tet, quia pecuniã negligunt, gloriã ſpernunt,
voluptatẽ oderunt. Charitatis autem argumẽ-
ta ſunt, beneuolẽtia, ſocietas, æqualitas: nullus
enim domũ habitat quæ omniũ cõmunis nõ ſit,
vnũ ærariũ, vnus ſumptus omnibus eſt. Præ-
terea veſtis cõmuniter omnibus propoſita, cõ-
munis cibus & potus, cõmunis mẽſa, omnis de-
niq; vita cõmunis eſt, hactenus Philo apud Eu-
ſebium. Si quiſpiã ex noſtris monachis qui re-
gifico menſarum apparatu viuũt, qui volupta-
tes libare peritè norũt, qui honores nauiter am-
biunt, qui pecuniæ ſtudiũ ſemper immodicũ ha-
bent, hæc aliquando legerit, ſecúmve reputaue-
rit, nónve eum pudebit, quòd iuſtitia ſua non
modò plus quã Eſſenorum nõ abundet, ſed lõgè
magis flacceſcat, lãgueatq;? Ab Eſſenorũ igi-
tur re-



tur religione profectũ meritò credere æquum
eſt, vt apud nos monaſtica vitæ inſtitutũ coa-
luerit, quo ſimiliter Paulus Thebæus vt Anto-
nius, ambo Aegyptij homines à primo olim im-
buti, ac illud poſtea inſigniter æmulati in pri-
mis eſſe videntur. Sed Antonio initium rei hu-
ius iure optimo acceptũ referri decet, qui, etſi
nõ ante omnes fuit, primus tamen mirè omniũ
ſtudia ad eam vitã degendã incitauit, mona-
cherumq; dogma inſtituit, ſicuti deinde Baſi-
lius in Græcia fecit. Adauxit & id temporis
pium inſtitutũ Hilariõ in Syria, qui cum ſan-
ctitate iam clareſceret, Gazæ tres cuiuſdã no-
bilis matronæ filios ſimul repentè morbo affe-
ctos inuocato nomine IESV, extẽplo ſanauit.
Quod poſtquã auditum eſt, & lõgè lateq; per-
crebuit, certatim ad eum ex Syria & Aegypto
confluebãt, ita vt multi crederent Chriſtum eſ-
ſe verè Dei filiũ, & ſe monachos profiterentur.
Nondum enim cœnobia erãt in Palæſtina, nec
quiſquã monachos ante diuũ Hilarionẽ in Sy-
ria nouerat, ille fundator et eruditor huius in-
ſtituti ac ſtudij in hac prouincia fuit. Habebat
Dominus Ieſus in Aegypto ſenem Antonium,
habebat in Palæſtina Hilarionẽ iuniorem, hæc
ex Hierony. Ad Antonium redeo. Vixit Anto-
nius in ſolitudine in Thebaica regione Aegy-
pti, cõdiditque ibi cœnobiũ, vbi cum Sarmata,
Amata & Machario ſuis diſcipulis, precibus
tantum

Universidad de Deusto Biblioteca

tantum deditus erat: in pane & aqua omnis eius victus conſiſtebat, cuius ſanctitas ita celebris erat, vt Helena Conſtantini mater ſe & filium per literas illi commendarit. Obiit mortem in eremo, annos C V. natus, qui fuit annus ſalutis humanæ CCCLXI. Diſcipuli eius Amatas & Macharius (nam Sarmatam Saraceni impetu in Antonij cœnobiũ facto, interfecerant) monaſticum ordinem poſtea tam vitæ ſanctimonia, quàm inſtitutis, mirum in modum propagarunt, ac eiuſmodi vitæ monaſticæ principium tale fuit.

### Quando primùm ordo monaſticus tribus votis aſtrictus fuerit, & quis primus ea vota introduxerit, veſtitúmque religioſum, cũ nouo vitæ modo, ac ordo ipſe abiuerit in plures familias. CAP. II.

POſt annum quam Antonius, de quo ſuprà eſt mentio facta, erat mortuus, circiter CLXVI. claruit Benedictus Nurſinus in Vmbria Italiæ regione natus. Is in ſolitudine perdiu verſatus, ſe demum Sublacum ſeu Sublaquerum contulit, quod eſt Latinorum præclarum oppidum, lacui eodem & tamen priſco nomine proximum, diſtátque ab vrbe Roma circiter millia paſſuum quadraginta. Hic cum à multitudine ob ſanctitatis famam adiretur, & ei ſecundum religionem nihil ſolitudine gratius eſſet, poſtremò eius cele-

britatis



britatis vitandæ cauſa, Caſinum in ea regione peruetuſtum oppidum venit, ibiq; ſibi ſedem poſuit, ſparſoſq; & & ſoliuagos ad idem tempus monachos in vnum contraxit cœnobium, mores & vitã, tribus munitã votis, quæ prius non fuerant, quàm Baſilius cum certa viuendi formula, cõſtituiſſet in Oriente, inſtituit parum vulgatæ obſeruationis. Sanè Baſilius Cæſareæ Cappadocum præſul, qui circiter annũ ſalutis humanæ CCCLXXXIII doctrinæ pariter atque ſanctitatis ſummis floruit laudibus, primus omniũ obligauit monachos nouis legibus, vt poſt annum, quàm quis in collegium veniſſet, ſi in eo vellet vitæ inſtituto permanere, voueret ſe caſtè victurum, nihil poſſeſſurum, ac dicto præfectorũ fore audientem, quò ſe in perpetuũ omni ſua abdicaret voluntate. Fuit poſtea Baſilij decretum iuxtà ab omnibus receptũ. Quanquã paupertatis votũ multò antiquius eſſe videtur, ſi Vrbano pontifici Romano credimus, qui amplius CXL. annis Baſilium anteceſſit: quãdo in epiſtola, quæ eius nomine legitur, inuenimus, ita vſu veniſſe, vt qui apoſtolorũ imitatores exiſterent, paulatim vota facerent ſe nihil proprium habituros, quò æquè rerum cõmunitas, ac apoſtolicæ vitæ inſtitutum omni tempore vigeret: ſiquidem ipſi apoſtoli ad docendum euangelicum dogma quoquouerſum à Chriſto miſſi, in mãdatũ, quẽadmodum diuus

Petrus

Universidad de Deusto Biblioteca



Petrus apud diuum Clementem lib. recognitio
num II. teſtatur, non habuerunt proprium ali
quid dicere. Cæterum iſtæc tria vota iam inde
à principio tanti eſſe cœperunt patribus, vt illi
poſthac lege ſanxerint, etiã presbyteros quos
ſeculares dicunt, debere votũ caſtitatis, id eſt,
pudicitiæ ſeruandæ perpetuò ſaltem tacitè fa-
cere, ac per id, haud licere cuiquã eiuſmodi vo-
tis obligato, aſtrictoq́; deinceps matrimonium
contrahere, & ſi quis cõtraheret, illud omnino
minimè valere. Vnde breui pòſt quæſtio inci-
dit, an tale coniugium deberet ſtare necne. Et
D. Auguſtinus, qui Baſilio æqualis fuit, in
primis permultis rationibus probauit cõnubia
poſt votum cõtracta non debere dirimi, veluti
in Decretis, XXVII. q. I. ca. Nuptiarũ. planè ex-
tat. Item Benedictus dedit ſuis monachis nouũ
veſtitus genus, cõſtituit modum orandi, & te
nue victus alimentum ac nouam abſtinentiæ
normã. Et vt appareret eũ cœtũ fuiſſe ex ſum-
mo mortalium vſu, res mirandum in modum
poſtea paulatim creuit, abijtq́; in plures fami-
lias, Cluniacenſes, Camalduenſes, Valliſum-
brenſes, Mõtolinetenſes, Grandimõtenſes. Ci-
ſtercienſes, Syluestrienſes, qui Humiliatorum
cognomen ferunt, Cœleſtinos, diuæ Iuſtinæ,
& Ermitanos D. Hieronymi, poſtremò per
Martinum quintum, in familiam D. Benedicti
adſcitos. Quem ordinem à patrum norma iam
colla



collapſum, Lupus Hiſpalẽſis eius familiæ præ
poſitus, nouis inſtitutis inſtaurauit, de cuius
exordio in capite inſequenti prodetur. At ij
quidem monachi, & ſi qui alij ſint (quotidie e-
nim ſunt, qui vt ignauiæ ſuæ potius quam reli
gioni cõſulãt, nouas introducere ſectas conen
tur) ex vno velut fonte manaſſe dicuntur. Cæ-
terum qui tum primum inſtituti fuerunt, Be-
nedictinos fuiſſe tradunt, qui nigro hodie a-
miciuntur colore, tunica laxiore, ac diſcincta,
& ad pedes vſq; demiſſa, amictu capitis, quem
cucullum vocant, in humeros & ſcapulas bre-
uius reiecto, quã cæterũ ſubter cãdida tunicu
la, & ea quidẽ lanea, cum cilicio, ocreati genu
tenus incedunt, tõdentur nouacula à vertice
infrà dimidium caluæ: capillus inferiùs reciſus
in parui circuli ſpeciem, circa aures & tẽpora,
totum ambit caput inſtar coronæ, vnde ipſe
vertex deraſus corona nũcupatur. Itẽ à carni-
bus perpetuò ſe abſtinẽt, niſi cum ægrotare cœ
perint. Vnde monachi qui hodie cõtinẽter car
nibus veſcuntur, quorũ numerus vbiq; gentiũ
extra Italiã ingentiſſimus eſt perpetuò ægro-
tent, neceſſe eſt, niſi velint impudẽter fateri, ſe
cõtra ſuas leges facere. Atq; ita monaſtica in-
ſtituta vt humana, haud diu inuiolata ſtetêre,
hominũ moribus ſemper in deteriora inclinan
tibus, ac diuitijs pietatem, quæ vt mater illas
à principio ordini pepererat, cõtaminantibus.
Quo

Quo factum eſt, vt monaſticum nomen ſæpius varieq́; inſtauratum in plures abiuerit familias. Itaq; Cluniacẽſium ordo ex Benedicti obſeruatione, apud Maſtiſcenſem ſeu Maſticocenſem, vtrunque ſcriptũ reperio, Burgundiæ pagum ab Odone abbate quẽ dicunt, inſtituitur, quibus locũ dedit, & extruxit Gulielmus pius Aquitaniæ dux. Qui fuit annus ſalutis DCCCXVI. Haud ita multò pòſt Camalduenſium religio orta eſt, autore eius congregationis Romoaldo Rauennate: fuit is monachus Claſſenſis cœnobij: eſt locus iſte haud procul Rauenna, qui celebritatis fugiens in Hetruriam peruenit, ibique in ſummo Apennini iugo, locum à quodam Madulo incola conſecutus, vnde nomen ordini inditum, nouæ familiæ fundamenta iecit, candido ſumpto amictu. Sunt hodie in eminentiſsimo iugo montis duodeuiginti ſacella, vbi perpetuum ſilentium, quarto & ſexto hebdomadæ die pane & aqua tranſigunt ieiunia, nudis pedibus, humi accubantes: verùm in alijs locis vita eorum remiſsior eſt. Item in ea Apennini parte, quæ Vallis vmbroſa vulgò dicitur, circiter annum ſalutis MLX. Ioannes Gualbertus nouam monachorum familiam inſtituit, eámque à loco appellauit Valliſumbrẽſem. Is Florentia oriundus, ac claro loco natus, cùm fratris percuſſorem fortè obuiam habuerit, quia illi veniam petenti





non negaſſet, imago crucifixi, quæ in proximo fano diui Miniatis erat, viſa ei eſt: poſthæc inibi oranti inclinaſſe parũ caput perinde quaſi id pietatis facinus cõprobaſſet. Ea imago hodie viſitur in eodẽ diui Miniatis tẽplo, quod in colle prope Florentiã extat. Ioannes eo motus miraculo, in ſolitudinem cõceſsit, autórq; nouæ religionis fuit, amictúmq; ſibi induit cœruleũ, quo nunc vtuntur. Mõtoliuetenſes eo anno, qui fuit MCCCCVII. ſalutis, eſſe cœperunt, quo trium pontificum peſtilens diſcordia orta eſt. Ij Senenſes primùm fuere, quorũ princeps Bernardus Ptolemæus, qui pro tẽporum conditione, capto mutandæ vitæ conſilio, in proximum vrbi collẽ egreſsi ſunt, cumq; ex nomine illius Hieroſolymitani dominicũ frequentati veſtigij appellantes, ſeſe candido induerunt amictu, Gregorio XII probante. Grandimõtenſem ordinem Stephanus in Auernũ ampliſsima familia ortus, in Aquitania primus inſtituit, cui mõs, in quo mox ſedes illius familiæ locata eſt, nomen dedit, multis viuẽdi mutatis, aut ex integro conditis legibus. Iiſdem ferè temporibus Robertus Moliſmenſis abbas cùm priſcam diſciplinam iam minimè retineri animaduerteret, viginti & amplius comitatus monachis, Ciſtertium locum in Burgundia Cabilonenſis diœceſeos, vaſtæ ſolitudinis, ac horrendi aſpectus petijt, ibiq; immoratus celeberrimi ordi-



Universidad de Deusto Biblioteca

nu autor fuit, quem à loco Ciſtercienſem nuncupare voluit. Sunt qui hoc cuidam Ardingo monacho aſsignẽt, quòd ille Robertũ impuliſſet ad cõmigrãdum in eum locũ, perinde quaſi qui hortatur, non qui facit primas iure ferre debeat. Fuit is annus ſalutis M XCVIII. Claruit in hoc Bernardus Caſtilionenſis, homo Burgundus nobili loco ortus, qui Ciſtercienſi cœnobio prius inchoato, monaſticũ induit habitum, tantam inde nomẽ eruditionis & ſanctitatis eſt adeptus, vt Clarauallẽſis ſit abbas factus, quem locum Robertus vir illuſtris non multò prius ſumptuoſè extruxerat. Centeſimo deinde anno, Humiliatorum ordo in Germania oritur: exordium rei triſte, ſed læti ſucceſſus: multi enim mortales aut bello capti, aut quia fides eorum ſuſpecta eſſet, fuerãt ex Ciſalpina Gallia, iuſſu Federici, cui Barbarubræ cognomẽ fuit, qui tum Italiã armis diuexabat, in Germaniã cum liberis & vxoribus traducti. Sunt tamẽ qui ab Henrico id factum tradant. Ii longiorem morã pertæſi, aliquando albis veſtibus induti, viri fœminæq; humiliter Federico ad pedes proſtrati iacuere, veniã implorantes. Iſtorũ lachrymis veſtituque motus Imperator, poteſtatem fecit omnibus in patriã abeundi: qui poſtliminio reuerſi, voto, vt veriſimile eſt, in eo ritu perſeueraſſe dicuntur, lanificio et precibus dediti. Inde vt fit res à modico

princip



principio orta adeò creuit, vt eam piè inchoatam auctamque Innocentius tertius primum, deinde pleriq; alij Romani põtifices approbarint. Cœleſtinorum religio octogeſimoquarto circiter anno pòſt orta eſt: Cœleſtinus quintus Roma. pontifex fuit autor, prius quàm ad pontificatum vocaretur, anachoreta: idcirco voluit ad eremi decus, ex ſe hãc familiã parere, quæ breui vſque eò creuit, vt non potuerit autorem incœpti vt vani pœnitere. Item in Anglia diuus Gilbertus ſuam inſtituit religionem, ſicutì in Germania Mellicenſes, Caſtellenſes, & Burſfeldenſes, alij ab alijs diuerſo tempore inſtituti fuerunt. Sic quotidie à nouis hominibus nouæ introducuntur religiones inter ſe tam veſtitu, quàm ratione vitæ minimè cõuenientes, perinde quaſi vitia animi, cuius ductu ad bona ſeu mala nos applicemus neceſſe eſt, tantummodo extrinſecus per eiuſmodi ſtudium poſſint penitus euelli. Quid, quòd pœnè totidem monacharum familiæ inſtitutæ ſunt? Sed, vt iam inſtum iter conficiamus, haud prætereundam ducimus congregationem diuæ Iuſtinæ, quæ poſtremò ad priſtinam diui Benedicti dogmatis diſciplinam inſtaurata, hodie vt religionis caput, ſupereminet omnes. Eius rei autor fuit Ludouicus Barbus Venetus, vir religioſiſsimus, Patauij in cœnobio ipſius diuæ Iuſtinæ, vnde nominata eſt: hãc Eugenius quartus

rr 2 plur

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



*plurimum auxit. Atq; monachi primi omnium
introduxerunt in Eccleſiã Dei vota ſacra, & 
veſtimentorũ profanorum religionẽ. Nam illi
monachi ſuperiores, vt proximo capite oſtẽdi,
pro ſuo arbitratu veſtiebantur. Nec Iudæis in
dumentum aliquod interdictũ erat, præter id
quod eſſet è lana & lino contextum, ſicut Deu
teron. cap. XXII. patet. Item modum orandi
quàm longiſſimum, ieiunia frequentiora, & pi
ſcium eſcam aſſiduam, ad extenuandum corpo
ris robur, quò ſui debiliores militiam Chriſti
exercerent. Sed & de reliquis initiatorum or-
dinibus, eorúmque initijs iam dicamus.*

De origine Hieronymianorum, Canoni-
corum regularium, Auguſtinianorum, Car-
tuſianorum, Carmelitanorum, Præmonſtra
tenſium & Crucigerorum. CAP. III.

H*ieronymus Euſebij filius, ortus Stridone,
quod oppidum olim ad Pannoniam &
Dalmatiam pertinebat, ſed Gothi direptum
euerterunt, Romæ Græcis Latiniſque literis e-
gregiè inſtitutus, ſanctioris vitæ cauſa in Iu
dæam ſe contulit, vbi & Hebraicã linguam di
dicit: ita triplici lingua eruditus, de rebus di-
uinis ſcribẽdi onus ſuſcepit, in quo omnes ner-
uos ætatis, induſtriæ, doctrinæq; ſuæ conten-
dit: cuius ſcripta vt ſancta, breui pòſt tempore
patres receperunt, receptáque approbarunt:
etſi ſcio eſſe quoſdam, qui id factum Damaſo
pontifi*



*pontifici falſo aſſignent, quippe qui per diu an
te Hieronymum exceſſerat è vita. Poſtremò lo
cum circa Bethlehẽ ſibi cõſtruxit, vbi reliquũ
vitæ apoſtolico ritu egit. Hinc factum eſt, vt
permulti deinde Hieronymi ipſius inſtituti
imitatores extiterint, ortáq; ſit noua quædam
familia, quæ à Hieronymi nomine, quem ſui in
ſtituti, quamuis lõgè diuerſi ob eo quo ille vixe
rat, vtcunque autorẽ faciunt, Hieronymiani
ſunt appellati: qui natiuo amiciuntur colore,
pallióq; ſuper tunicam rugato, atque ſuperiore
parte à ſummo ad imum ſciſſo, ſcortea zona tu
nicam ſuccingunt, ſoleis ligneis pedes muniũt.
Sunt & Hieronymiani, eremitani, de quibus
proximo capite meminimus, quorũ ordinis quã
dam Carolus cognomẽto Granellus, homo Flo
rentinus, autor fuiſſe dicitur, qui eremitanum
ſua ſponte induiſſet veſtitũ, ſedémq; ſibi optaſ
ſet in Feſulanis mõtibus. Alij tradunt non Ca-
rolum, ſed Redonẽ quẽdam Montiſgranelli co
mitem primùm eos eremitas ſub ritu diui Au-
guſtini, ad Feſulas, Gregorio XII. probãte, in-
ſtituiſſe. Imò ſunt qui cõmentententur hanc pri-
mùm familiam à Hieronymo in eremo inſtitu
tam, & eam auctam ab Euſebio Cremonẽſi, ac
pleriſque alijs præcipuæ ſanctitatis viris, qui
cum eo vixerant, & ſic accidiſſe, vt poſtea me
lioris vitæ exemplo, plures vnam æmulatirem,
medicis, vt fit, principijs ortam, ſæpius inſtau-*

Universidad de Deusto
Biblioteca



varint, atq; eo pacto alios ex vno ordine Bene-
dictinos, alios Auguſtinianos eſſe ſecutos, a-
lios in ſuo permanſiſſe inſtituto. Item parum
liquidò traditur, an Aurelius Auguſtinus eas
familias inſtituerit, quarum hodie vulgò au-
tor fertur. Itaq; duplex opinio ad poſteros ma-
nauit de initio Canonicorũ, quos vulgus regu
lares vocat, & eorum qui ab eremo nomen fe-
runt. Canonici pertinaciter affirmant Augu-
ſtinum, vt primum Hipponẽſis eſt epiſcopus fa
ctus, redegiſſe ſuos ſtatim canonicos ad eam
viuẽdi regulã, quam inter ſe in præſentia ſer-
uant. Quinetiã iactitãt illud apoſtolorũ fuiſ-
ſe inſtitutũ, id quod Thomas Aquinas in ſuo
opere ſecũda ſecũdæ cõprobat: quia illi, vt ait,
poſt aſcenſum Chriſti in cœlũ in mõte Sion, de
genere vitæ deliberantes, cõmunia inter ſe om-
nia, ac tria vota coram Deo ſtatuere. Ita ſi
Thomæ teſtimoniũ amplectimur, non tam ab
Auguſtino eſt ordo inſtitutus, quã renouatus:
cui tamen ob illud ipſum, non immeritò debet
principiũ rei acceptũ referri. Sic origo in du-
bium trahitur. At Auguſtiniani eremitani ſe
priores inſtitutos aſſeuerãt ab ipſo D. Auguſt.
cùm ille eatenus fuerit in eremo, vt quidam
ſcribunt, quoad Manichæis in terra Africæ ſæ-
uientibus, Hipponenſi diœceſi eſt præfectus.
Per hũc modũ de vtriuſq; ordinis origine am-
bigitur. Verùm aliã ferũt huiuſce collegij ori-
ginem



ginem: multi enim, vt aiunt, mortales Auguſti-
ni adhuc viui ſanctitatẽ ſingularẽmque do-
ctrinã ſecuti, omnibus neglectis quæ poſſede-
rant, in eremum cõceſſere, vnde eſt eremitano-
rum nomẽ deductũ. Cæterùm ſiue ab eo, quod
eſt ſuprà ſignificatum, vt qui in deſertis locis
cum illo eſſent, ſint in vnum cõgregati, & in-
ſtituti, ſiue ipſius vitã & dogma ſecuti, paſſim
deſerta loca coluerint, hæc de vtriuſque fami-
liæ initijs habui dicere. Atque iſta Auguſti-
niana familia prima eſt ex monachis mendi-
cantibus: ſunt enim quatuor primariæ, vti in-
frà appoſitè demonſtrabimus, & vulgò mẽdi-
cantes vocitantur, quòd religionis cauſa, vel
atque adeò vt in otio viuãt, mendicitatẽ per-
petiantur, qui ſolùm precariũ quæſtũ faciunt,
vnde ſe ſuſtentẽt. Verùm haud ſcio, qua ratio-
ne iſti monachi debeãt in mendicãdo ſemper
hærere, quãdo ſatis cõſtat Chriſtum nõ men-
dicaſſe, & apoſtolos nõ expectaſſe ab alijs vi-
ctum otioſos, ſcribẽte Paulo ad Corint. Et la-
boramus operantes proprijs manibus: ac pri-
mos monachos in Aegypto, teſte Chryſoſtomo,
exercuiſſe, ſeſe manibus laborãdo. Item diuus
Frãciſcus, cuius ſecta longè frequẽtiſſima eſt,
voluit ſuos monachos victum quærere manuũ
laboribus, ac nõ prius ad mendicãdum aggre-
di, quàm laboris pretium eſſet negatũ. Extat
in eius teſtamento illud præſcriptum. Igitur


hinc

hinc videre licet, omnes æquè debere Apoſtoli inſtitutum ſequi. Ad rē redeo. Sed nō quidem mirum, ſi res in dubio verſetur, vel duæ tréſue familiæ ad vnum referãtur autorē, cùm bene multæ aliæ præterea ſint cōgregationes, quæ Hieronymi, Auguſtini, Benedicti, ac quorumlibet diuorum regulas ab illis, ſicuti perhibēt, editas profitentur, quas tamē tãtum abfuerat, vt ipſi inſtituiſſent, vt etiam ne tale quid vnquam forte cogitaſſent futurū. Canonicis tunica cãdida cum lintea toga, ſub nigro pallio eſt: tegumētum à ſcapulis impoſitū ceruicē totumque cōtegit caput, præterquam à fronte. Eremitanorum veſtitus diuerſus eſt, nigra tunica amiciuntur, cōcolor tegmen à ſcapulis ad caput inducunt, ſubter candida tunicula, ſcortea cingũtur zona bubulo cornu fibulata, calceati, vt cõmunis eſt vſus. At penes vtroſq; nunc præcipua eſt varietas nominis, quod vt ſæpius eſt inſtauratum, ita in plures diuiſum eſt familias: nã congregatio alia Canonicorū Seruatoris, quæ & Scopettina nūcupatur, cuius autores fuere Stephanus & Iacobus viri Senenſes ſanctitate illuſtres, quam Gregorius XI. ſuo probauit conſenſu. Alia Friſonaria, à loco in Lucenſi agro Hetruriæ regione, quam & Lateranēſem appellãt: hãc Eugenius quartus plurimum adauxit. Tertia diui Gregorij in Alga Venetijs à Laurētio Iuſtiniano inſti-

tuta:



tuta: cæruleo vtuntur habitu. Et denique ſi quæ aliæ ſint, iam eas miſſas faciamus, breuitati cōſulentes, quoniã ſæpe more fungorum, ſubitò oriri ſolēt. Ad Cartuſianos veniamus, quorum exordium incidit in annum ſalutis M L X X X. Quidam enim ſingulari doctrina, nomine Bruno, homo Coloniēſis, cùm Lutetiæ Pariſiorum philoſophiã profiteretur, contigit, vt amicum quendã bonis moribus præditū, & vita iam priuatū, prius quàm ad ſepulturam daretur, audire viſus ſit clamantē, Iuſto Dei iudicio dãnatus ſum: & ea re motus è veſtigio cum ſex ſocijs pari miraculi euentu territis, eremi deſerta quæritãs, peruenerit in diœceſim Gratianopolitanã (eſt Celtica ciuitas) ibique locū optauerit, cui hodie Cartuſia nomen eſt, quē ei aſſignãdum curauit Hugo Gratianopolitanus epiſcopus, qui ſtatim poſt ſe ad eam familiam adiunxit. Eò igitur loci Bruno ad res diuinas intētus, primum cœnobiū fundauit, cum his rigidæ vitæ inſtitutis: intima enim veſte vtuntur cilicina, ſumma pallio nigro, ſubter candida toga, operculóque capitis cucullo: carnibus nunquam veſcuntur, ſexto plurimum hebdomadæ die pane & aqua ieiunium agunt, in cubiculis quæ veluti ſacella habent, ſoli edunt, certis tamen feſtis diebus vnà duntaxat prandēt. Silentiū eis penè perpetuū, nulli fas eſt cœnobio exire, præter præfectum,

Universidad de Deusto Biblioteca

& procuratorē, & illis tātum ad negotia loca curanda, quippe opes habent, per quas ſemper ſacerdotibus minus omnino licet ſe totos, prout deberent, rebus ſacris curādis dare. Mulieribus ad eorum etiā tēpla aditus interdictus, quò ne aliquid videāt, per quod ad libidinem rapiantur. Bella ſanè prouiſio, ſi affectiones animi poſſint clauſtris compeſci, & caro ſolitudine & otio domari: id quod diuus Hieronymus valde laborādo, vt ipſe teſtatur, efficere vix potuit. Carmelitanorum hunc referunt ortum. Eſt in Syria mons Carmelus, olim cùm aliorum prophetarū, tum Heliæ imprimis memoria nobilis, quòd in eo ille habitaſſet: id, credo, anachoretarum nō pauci numero ſecuti, locum tenuere, qui demū Almerici Antiocheni epiſcopi opera, in vnum coiere, cùm antè ſparſim montē habitarēt, ac tum primùm præpoſitum ex ſe cōſtituerunt. Fuit in eo monte ſecundum fontē, qui Heliæ dictus eſt, Deiparæ fanum, vbi illi prima cœnobij fundamenta iecerunt, vnde fortaſſe ſunt Carmelitanæ diuæ virginis monachi nuncupati. Incidit prima hæc vitæ obſeruatio in Alexādri tertij pontificatum, qui ſedere cœpit circiter annū ſalutis MCLXX. Verùm quia neque vitæ inſtituto, neque cultu, neque certis cærimonijs nitebatur ille nouus cœtus, abortus quidā, nō res legitimè ab initio inſtituta viſa eſt. Veram itaque

originem



originem fuiſſe tradunt quidā, quæ anno poſt circiter quadrageſimo cōſecuta eſt, ſedēte Innocentio tertio: Albertus enim Hieroſolymitanus antiſtes ijs in eremo agentibus certam obſeruationis dedit formā, ex Baſilij dogmate quādā mutuatus. Attributū eſt pallium verſicolor ex albo & canuſino, id eſt rutilo, circulatum, quali dicitur Helias propheta olim vſus: poſtea Honorius tertius pallij huiuſmodi formā ademit, velut religioni parum conuenientē: pro verſicolore album eſt illis datū, appellauitque Virginis familiā, vt nomen virginitatis cum pallio albo qui color minimè maculatus eſt, rectè cōueniret. Et hæc altera mēdicantium ſecta. Iiſdē ferè tēporibus Præmonſtratenſes è cœlo, vt prædicant, demonſtrati ſunt terris in Laudunēſi diœceſi, eo loci, quem Præmonſtratum vocāt. Autor ordinis fertur fuiſſe quidā Northbertus presbyter homo Lotharingus, qui hoc arctiſſimum vitæ genus ex Auguſtini ritu quæritans, à Caliſto ſecundo impetrauit probatum iri. Amiciuntur tunica alba, cum linea toga, ſub cādido pallio, quo potiſſimum à Canonicis differunt. Crucigerorū origo multò antiquior eſt, ſi vera ſunt quæ ipſi Cruciigeri de primordio ſui ordinis prædicāt: aiunt enim Cletum Petri apoſtoli diſcipulū, & ab eo inde tertio loco pontificē, cœleſti nuntio crucē habente monitum, vt hoſpitalem do-

mum

Universidad de Deusto Biblioteca

mum fundaret ijs, qui Romã peregè venirent religionis cauſa, eſſentque ibi præſto, qui itineribus feſſos comiter acciperent, pièque reficerent, & ij geſtarent perpetuò crucẽ monimẽtum dominicæ paſſionis, ac ita illum demum paruiſſe oraculo. Sed illud pro certo habẽdum dixerim, rectè initium huius rei aſſignari Cyriaco Hieroſolymitano antiſtiti: is enim fuit, qui Helenæ Cõſtantini matri locum oſtẽdit, vbi dominica crux occultaretur, qui ob memoriam rei, dicitur primus cõſtituiſſe collegium eorum, qui crucem omnibus venerandã manu geſtarent. Hũc pium patrẽ Iulianus Imperator occîdit. Rem ijs principijs ortam, & breui pòſt tẽpore propè ad interitum deductã, tertius Innocẽtius inſtaurauit, quòd Romæ hæreſim Albinẽſem ſubitò exortã, vnde magnus in vrbe motus extitit, ope cruce ſignatorum, qui tum in Syriam ituri erant, extinxiſſet. Fuit hic annus ſalutis humanæ MCCXV. Poſtremò Pij ſecundi pontificatu, in Mãtuano cõuentu, datum eſt vt cæruleo vterẽtur amictu, cùm olim indiſcreto vſi ſint colore, ac crucem ex veteri inſtituto geſtarẽt, vnde inditũ familiæ nomen. Eſt hodie alterũ quoq; huiuſce familiæ collegium longè remiſſioris vitæ, & q pallio amiciuntur nigro, geruntque in pectore, nõ manu, crucẽ ex albo rubróque colore cõfectam, ac diui Auguſtini regulã profitentur.

De



### De Prædicatorum, Franciſcanorũ, Trinitatis, Seruorum Deiparæ, Brigidenſium, Ieſuatorum, Nouorum eremitanorum, & Bonorum hominum origine. CAP. IIII.

SAnè vt tertio Innocentio ſedente, innocentiæ aliquid in hominibus diluceret, duo longè poſt hominũ memoriã extitere ſanctiſſimi patres, Dominicus Calaguritanus homo Hiſpanus, & Franciſcus Aſiſias in Vmbria Italiæ regione ortus, qui cuiuſdã noui ordiendæ vitæ inſtituti autores ambo certatim fuerunt, vt æquales. Dominicus ab initio Canonicus fuit, ac cum paucis quos ſocios ſibi delegerat, nouã inſtituit obſeruationẽ, nouúmque veſtimentũ dedit, tunicã candidã, nigro pallio ſuperiecto, & ab humeris ad caput ſcapulari tegmine. Et ne pietatẽ colendo domi otiarentur, docuit eos imprimis ſua prædicatione, vnde nomen nouæ familiæ indiderat, longè latèque omnibus terris diuulgare euangeliũ, quod ipſe Chriſtum imitatus facere prius voluit: quippe qui illo tẽporis hæreſim Toloſæ peſtiferã Albigenſium iandudum gliſcentẽ ſua opera cõpeſcuit. Vidit Innocentius nouum inſtitutum, & miratus eſt: quod Honorius qui illi ſucceſſerat, recepit atque approbauit. Et iſta tertia eſt mendicantium familia. Propter hæc pietatis opera, Dominicus deinde poſt actam ſanctiſſimè vitã, in diuorũ ordinem à

Gregorio

Gregorio IX. adſcriptus eſt. Franciſcus vir humanitatis plenus, à principio Aurelij Auguſtini, vt quidã ſcribunt, regulam profeſſus calceatus, Zonáque ſcortea cinctus aliquandiu cõſpectus eſt: inde reputans animo Dominum iuſsiſſe ſanctiſsimis apoſtolis, ne binas tunicas, néve ſacculum haberẽt, tunicam induit vnicã natiui velleris, funiculóque præcinxit, pedes ſimul nudauit, ac vt demum anachoretam ſe præberet, in Apennini iugũ adolauit, quem locum hodie vulgò Auernã dicunt, vbi de diuinis rebus deditus, dominicæ paſsionis ſtigmatibus inuſtus eſt, qui eos quos ſui inſtituti ab initio ſocios optauit, manifeſto humilitatis argumẽto, Minores appellauit, quò eius exigui nominis memores, faciliùs ab omni ſuperbiæ vitio abhorrerẽt, quæ ſæpenumero ſanctitatis eſt comes. Honorius inſtitutum cõprobauit, ac biennio pòſt Gregorius Franciſcum inter ſanctos retulit, qui fuit annus ſalutis MCCXXIX. Nullũ vnquam humanæ pietatis inſtitutum magis breui tẽpore creuit: totũ enim terrarum orbẽ vna hæc impleuit familia, ſic vt vulgus iam tum ſtupefactũ ſuſpicaretur nõ tam pietatẽ, quàm otium & ignauiã interdum multis cordi eſſe. Atque is quartus mendicantiũ cœtus. Fuit per id tẽpus Clara virgo etiã Aſſiſias, quæ monacharum, alterum nouum religionis inſtitutũ, quod pauperũ di-

xit,



xit, à Franciſco continentiæ doctore accepit, acceptúmque nõ ſolum perſanctè coluit, verumetiã auctum poſteris reliquit. Conſtat hic ordo plurimum ex muliebri ſexu. Secutus eſt ab eo, velut riuulus ex eodẽ fonte manans, tertius ordo eorum qui Pœnitentes dicuntur. In hoc quoque innumeri mortales ſunt. Poſt hæc Prædicatores & Franciſcani, vt ne beatiſsimi omnibus rebus eſſent, inter ſe diuortium fecerunt: nã alij cum alijs de ſanctitate certantes, alterius vitæ quiddã ordiri cœperunt, qui ſe velut inſtituti obſeruãtiores, de Obſeruantia vulgò appellarunt. At Frãciſcana familia huiuſce obſeruationis multò frequẽtior eſt, vt potè inter omnes ferè gentes iampridẽ propagata. Hanc memoria noſtra, Edouardus quartus rex in Angliam primus introduxit, quæ tanto breui tempore ſanctitatis nomine claruit, vt paulò pòſt ab Henrico VII. fuerit magnopere adaucta, ac hodie habeat ſex cœnobia longè celeberrima. Verùm vt Innocentij ætas religionis feracior eſſet, eſt & monachorũ Trinitatis, vt vocant, ordo id temporis exortus: quidã enim Ioannes Matta, & Felix anachoreta, cùm in Gallijs circa Meldenſem agrũ vitam ſolitariã agerent, per quietem admoniti pontificem adierũt, ab eóque petiere certũ viuendi modum. Ille haud multo pòſt etiã oraculo, vt aiunt, monitus anachoretas candido in-

duit

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



duit veſtitu, cruce rubra pariter atque cærulea inſigni, illiſque negotiũ mandauit, vt noſtros ab hoſtibus captos pretio redimendos curarent, ac idcirco monachos de redẽptione captiuorum appellauit. Cõſueuerunt ij poſtea ſã certè viri eleemoſynas quæritare, quibus captiuos redimerent: ſed & hoc pietatis officium ferè nuſquam hodie præſtatur: & id, credo, vt vetus renouaretur inſtitutum: nã, teſte Tertul. de fuga in perſecutione, Chriſtiani olim non redimebantur pecunia. Iiſdẽ quoque temporibus Martini quarti põtificatu, Philippus Tuſcus genere, Florentiæ ortus, ac medicæ artis profeſſor, nouæ fuit vitæ autor, inſtitutorque familiæ, quam Deiparæ vocant virginis: qui primò initiati, ſerui nuncupari cœperũt, manẽtque hodie nomẽ. Philippus anachoreticam vitã ſecutus, oraculo monitus, nouum religioni adiecit veſtitum: nigræ tunicæ ac ſuccinctæ nigrum ſuperijciunt palliũ, circa humeros in rugas cõplicatum, ſcapulari amictu ab humeris reiecta, communi more calceati. Nec res magno admodum eſt fauore à principio recepta, ſed cùm nouum inſtitutum ſua ſponte in dies ſingulos initiatorum numero augeretur, Benedictus vndecimus, ſeptẽmq; deinde pontifices, qui ſecuti ſunt, approbauerũt, multiſq; priuilegijs excoluere. Incidit primũ rei huius exordium in eũ ſalutis annũ, qui MCCLXXXV.

fuit.



fuit. Ordo item à Brigida vidua inſtituitur: hæc Suetiæ princeps, mulier ſanctitate inſigni, eo anno, vt quidam volunt, quo Vrbanus V. exiuit de vita, Romam voti cauſa venit, vbi quotidie loca ſacra adibat, obtinuitq; à põtifice ritum ab ſe inſtitutum probari, vt cœnobiũ vtriq; initiatorum ſexui cõmune foret, murorum tamẽ ac aſpectus ſeparatione diuiſum, vt virgines ſuperiora habitarent, monachi verò inferiora: templum itidem pari modo cõmune: omnibus autem Abbatiſſa quã vocãt, præeſſet. Sunt qui tradãt Baſiliũ primũ hunc ordinem in Græcia inſtituiſſe, ſed poſtea ne virginitas muliebris obtrectationibus pateret, patres iuſſiſſe, vt viri ſeorſum habitarent, ac propterea Brigidã inſtauraſſe eiuſmodi religionẽ, inita tentatione, qua ſine criminis ſuſpicione, & templum & domus eſſent vtriſq; cõmunia. Cui opinioni, vt veriori, aſſentiẽdũ eſſe dixerim. Quinto eiuſdem Vrbani anno, qui fuit ſalutis humanæ MCCCLXVIII. Ieſuatorum ſecta ſenſim orta eſt: colligebantur ab initio domeſticatim, ſimplici indumento amicti, multa innocentia & pietate viri, ſibi victũ labore et opera quæritantes. Hos Vrbanus, quia iam ſuſpecti, vt malefica aliqua ſuperſtitione imbuti, haberi incipiebant, ad ſe Romam vocatos de cærimoniis & vitæ inſtituto interrogauit, cognouitq; totam rem, & probauit, deditq; vt alba tunica

 vte

vterētur, & capitio quadrato à ceruice ad hu-
meros deiecto. Cinguntur ſcortea Zona, nudos
pedes ligneis ſoleis in inferiore parte muniūt:
datum inde eſt, vt canuſinum pallium tunicæ
ſuperiectum ferrent. Apoſtolici à principio vi-
ri nuncupati ſunt, ſacris non initiantur, tan-
tū precibus vacāt, & Ieſuati ab eo dicti ſunt,
quòd Ieſu nomen frequens ſit in illorum ore.
Fuit rei autor Ioannes Columbinus, homo Se-
nenſis. Orta eſt in terra Italia eodem tempore
Vrbini (eſt Vmbriæ antiquiſſima vrbs ac per-
celebris) noua Eremitanorum congregatio, ni-
hil ferè amictu differens à diui Hieronymi fa-
milia, de qua ſuprà memorauimus: illis enim
ex ſcapulari amictu, tenuis tantum pendet la-
cinia in humeros reiecta, at calceamentum, vt
vſus fert, cōmune, & cætera, quæ reliquis Hie-
ronymianis. Petrus quidam homo Hetruſcus
ac Piſis natus, noui huiuſce inſtituti autor
fuit, qui ciuium opibus adiutus, cœnobium ini-
bi è regione ædium noſtrarum extruxit, quod
hodie tam Eremitanorum numero, atque vitæ
ſanctimonia, quàm populi in eos pietate, prin-
ceps omnium aliorum habetur, quæ viginti nu-
mero eſſe perhibentur in Italia duntaxat, quip-
pe inſtitutum vt recens, aliò terrarum nondū
peruaſit. Sed iam cum bonitate hominum, de
eiuſmodi initiatorum turba finem faciamus.
Hos Anglia genuit: ſiquidem Ricardus Cor-





nubiæ comes, qui fuit Henrici tertij regis fra-
ter, cùm circiter annum ſalutis MCCLVII.
ab electoribus Imperij cooptatus Romanorum
Rex, vti in noſtra Anglica hiſtoria fuſius ex-
ponitur, in Germania moraretur, eius interim
filius nomine Edmundus in patriam rediens,
nonnihil ſanguinis Seruatoris illinc ſecum tu-
lit, conditóque cœnobio, parum ſupra Berchan-
ſtedium pagum, qui ab vrbe Londino diſtat
millia paſſuum quinque & viginti, eò loci id
noſtræ ſalutis monimenti collocauit, introdu-
xitque nouæ religionis viros, quos Bonos ap-
pellauit homines. Ij diui Auguſtini ordinem
profitentur, veſtitumque cæruleum induunt,
forma penè ſimilem, atque Eremitani vtun-
tur: qui verò præeſt, rector nuncupatur. Loco
nomē eſt Aſſheruggiū, hodie lōgè celeberrimo.

### De origine ſacrorum militum, ac de initio atque exitu ſectæ Albatorum. CAP. V.

DVm Hieroſolymorum vrbs antequam à
noſtris poſtremò circiter annum ſalutis
MXCIX. recepta fuiſſet, à Saracenis obtine-
batur, Chriſtiani Latini nominis qui ibidem
degebāt, ab illis impetrauerunt, vt ſibi liceret
domicilia prope ſeruatoris ſepulcrum habere,
vbi cœnobium diuæ genitrici cōſtruxere, quod
Latinorum appellabatur: & abbas præerat, cu-
ius erat imprimis officiū, hoſpites accipere La-
tinos. Eodē exemplo, breui pòſt tēpore alterum

Universidad de Deusto Biblioteca

virginum cœnobium diuæ Mariæ Magdalenæ
iuxta dedicatum, quod item fœminas accipe-
ret. Confluentem deinde peregrinorum cater-
uam cùm locorum non caperet anguſtia, hoſpi-
talem demum propè etiam poſuerunt, quam di-
uo Ioanni Baptiſtæ conſecrarunt, admoniti
Zachariæ patris memoria, quòd eò loci ſæpe
ad meditandum conueniret. Sunt tamen qui
ſcribant Ioanni Eleemoſynario illam dicatam
fuiſſe, qui Phoca imperante, patriarcha fuit
Alexandrinus, ita cognominatus, ob frequen-
ter, quas pauperib. faciebat, eleemoſynas, id
eſt, largitiones. Huic etiã domui vnus præficie-
batur: quare longo pòſt tempore quidam præ-
poſitus loci, nomine Gerardus, cum ſociis cru-
cem in nigro pallio candidam affixit, & cum
aſſumpſit ritum, quo nunc degunt. Pari exem-
plo Agnes, quæ virginũ cœnobio præerat, pro-
feſſa eſt. Res poſtea per pontifices Romanos &
patriarchas probata, adeò breui creuit, vt opes
dein maximas principum liberalitate ſint aſſe-
cuti, quorum mox Ramundus primus creatus
magiſter militiæ, qui in vniuerſum ordinem
obtineret imperium. Cenſentur diui Auguſt.
ordinis: dominicam precem certo numero re-
petitam pro canonicis recitant horis. Iſti cùm
militiam Deo Optimo Maximo, & Ioanni ſa-
cram inſigniter exercerent, demum Rhodum
inſulam de Turcis ceperunt, quam Clemens V.





illis aſsignauit. Fuit is annus humanæ ſalutis
MCCCVIII. Sunt qui tradant eam inſulam
à Gotthofredo rege vrbis Hieroſolymorum pri-
mò conceſſam, & illos ſemper eam ad noſtram
vſque ætatem fortiter defenſitaſſe: ſed prior
ſententia, vt verior, pluribus probatur. Poſt re-
ceptam ex hoſtibus inſulã, illuc ſe receperunt,
dictique inde ſunt Rhodiæ militiæ milites, vbi
cum Turcis perpetuum bellum gerunt, atque
ex proximo hoſtiliter infeſti ſunt, ſæpe & ip-
ſi bello petiti, oppugnatique acriter, noſtra
præcipuè memoria, cum poſtremò humanæ ſa-
lutis anno MDXXIII. menſe Ianuario ſupe-
rati, inſulæ imperium amiſerunt. O rem per-
ditam, ô deſperatas opes. Tulerunt Rhodien-
ſes milites obſidionem amplius tris menſes, &
tamen Chriſtiani principes nullas illis copias
auxilio miſerunt, partim ciuili bello, partim
aliis curis occupati. Atq; ita arx vnica Orien-
tis amiſſa eſt. Templarij milites circiter an-
num ſalutis MCXXVIII. pontifice Gelaſio
II. vt quidam ſcribunt, Hieroſolymis eſſe cœ-
perunt, vbi circa Chriſti ſepulcrum agitan-
tes, Chriſtianos viros illuc peregrè profectos
hoſpitio accipiebant, acceptos armis accincti
per templa & ſacra loca comitabantur, vt
omnem terram ſanctam tutò viſerent. Fue-
runt huius charitatis officij autores viri ſingu-
lari pietate nouem numero, quorum principes

Universidad de Deusto
Biblioteca



Hugonem Paganũ,& Gaufredum ex ſancto
Alexandro fuiſſe ferunt. Ii quia in parte ædis
templi habitabant, Templariorum nomen in-
de tulere: vtebantur candido pallio cum rubẽ-
ti cruce. propagatáque eſt religio in ducentos
annos. Certam iis formam obſeruationis Ber-
nardus abbas conſtituit. Habuit res leuis ab
initio, non parua incrementa, ita vt facultat-
tes maximas,& oppida quamplurima vbique
gentium poſſiderent: verùm conuicti demum
impietatis, quòd qui Hieroſolymis agebant,
ad Saracenos defeciſſent, eſſéntque in fœda vi-
tia prolapſi, omnes ad vnum Clementis v. pon-
tificatu deleti ſunt, eorúmque bona partim
Rhodiis militibus, partim nouis familiis attri-
buta ſunt. Teutonicorum paulò pòſt ſubſecuta
religio ex vtraque priorum miſta, quippe qui
hoſpitio accipiebãt,& cùm res poſtularet, pro
religione armis decertabãt. Initium fecit ho-
mo Teutonicus, qui pòſt Hieroſolyma recepta,
vnà cum plurimis ſuæ gentis eò loci remanſe-
rat. Is vxorem & facultates habebat, motus
ſuorum qui ſepulcrum quotidie adibant, miſe-
ricordia, qui neque linguam noſſent, neque di-
uerſorium inuenirent, domum ſuam hoſpita-
lem illis communem fecit, ac ibidem diuæ vir-
ginis ſacellum adiunxit, cui paulatim turba
ingens Chriſtianorum ſeſe tam pro ægrotis cu-
randis, quàm pro tuenda religione dicauit,





vnde Deiparæ virginis milites ſunt appellati.
Tum ex ſe magiſtro qui præeſſet optato, albo
amiciuntur pallio, nigra cruce, ſubter & ni-
gra tunica, ſtatuúntque vt nemo niſi Teuto-
nicus, huiuſce militiæ ſacris initietur, atque
idem claris ortus parentibus: & cui proponi-
tur, vt aduerſus ſacratiſſimæ crucis hoſtes, pa-
ratus ſit omni tempore ſeſe in diſcrimen offer-
re, ac fortiter dimicare: item barbam vnuſquiſ-
que nutriat, præter eos qui ſacrificent: & de-
mum dominicam precem pro canonicis horis
tantum vſurpet. At Teutonicæ militiæ hoc
fuit origo, quam Romani pontifices ſuo pòſt
ratam fecerunt conſenſu. Iſti poſt Ptolemai-
dem, quò ſe amiſſa Hieroſolymorum vrbe pri-
mùm receperant, in Syria à Saracenis occupa-
tam, reuerſi in Germaniam, ſuo ductu & au-
ſpiciis terram Pruſiam, quam hodie vocant,
ſubegere, ſubactam & iure belli quæſitam ſuæ
ditionis fecere. Victa gens, quæ malorum olim
dæmonum cultrix fuerat, religionem Chriſtia-
nam cõplexa eſt,& cum religione, Rhuthenia-
cam linguam. Fuit ad Viſtulam fluuium quer-
cus, vbi ab initio victrix gens caſtellum con-
ſtruxit,& inde, vt ſunt res hominum, quæ te-
nui principio facillimè augentur, oppidum fre-
quens cultu adoleuit, Marieburgum vocant,
caput nunc gentis, ſedésque eorum qui vniuer-
ſo ordini præſunt. Milites diui Iacobi in Hiſ-

Universidad de Deusto
Biblioteca



panía, ſub ritu diui Auguſt. Alexandro III.
pontifice, qui rem probauit, eſſe cœperunt,
quorum primus fuit magiſter Petrus Ferdi-
nandus. Item ſunt & Calatrauenſes à loco
nuncupati, quorũ militiæ autor fuit ſanctius
rex, circiter annum ſalutis MCLX. nigrum
amictũ cũ rubra cruce geſtant, ac Ciſtercien-
ſem profitentur ordinem. Cuiuſmodi etiam
cenſentur in Luſitania milites Ieſu Chriſti,
quos Ioannes XXII. Romanus pontifex in-
ſtituit, quò eſſent, qui ex officio Saracenis Bę-
ticam id temporis tenentibus reſiſterent: cru-
cem rubram in nigro affigunt pallio. Sunt &
apud Alcantariam oppidum in regno Caſtel-
læ, milites, de quorum initio parum liquet. Ia-
cobus rex Aragoniæ duos etiam militum or-
dines circiter annum ſalutis MCCXII. inſti-
tuit, quorum alteros diuæ Mariæ de redem-
ptione captiuorum, ſiue de mercede appella-
uit, vtpote quibus de captiuis redimẽdis cura
eſſet: amictum induunt album cum nigra cru-
ce. Alteros Monteſiæ milites rubenti cruci inſi-
gnes nuncupauit. Vtranque militiam Grego-
rius IX. ſua autoritate probauit. Nouiſſimè
autem quando ignauiſſimo cuique iam nouæ
religionis introducendæ libido inceſſit, Fran-
ciſcus quidã homo ſiculus, diui Franciſci ſum-
miſſionem æmulatus, Minimorum ſectam in-
ſtituit, qui à carnibus coctiſque abſtinerent
cibis



cibis. Quo viſo, nonnulli in præſentia qui
mallent quoduis pati, quàm ſeſe in aliqua ar-
te exercere, etſi viles ſunt animæ, conantur
inchoare aliam inertiæ ſectam. Ii craſſo lino
tantum corpora tecti, aperto capite ac pedi-
bus nudis vagantur: quorum caput fertur
quidam Iacobus homo cremonenſis, tam labo-
ris fugiens, quàm ignauiæ amator. Hinc co-
gnoſcere licet, quàm conducibile eſſet, haſce
hominum feces tanquam membra Chriſtianæ
religionis agnata conterere, abſcindere, cre-
mare, ne ſuis ſordibus cultus diuini nitorem
& munditiam diutius conſpurcarent. Aliud
memorabile hominum genus Bonifacio IX. pon-
tifice, ſubitò terris apparuit, creuiſſetque, ni-
ſi maturè itum eſſet obuiã: deſcenderat enim
in Italiam ex Alpibus ſacerdos, ingentem
mortalium numerum trahens ſecum: erat is
alba indutus veſte, vt colore ſyncero eam qua
præditus videbatur, animi integritatem præ
ſe ferret: geſtabat crucem, deplorabat rerum
humanarum ſtatum, deplorabat temporum
calamitatem, deplorabat hominum peccata,
petebat rectà vrbem Romam, ſperans futu-
rum, vt eò loci malum ſanaretur, vbi religio-
ni inuiſtum putabat. Sequebatur ingens v-
triuſque ſexus multitudo linteis induta, vn-
de Albati dicti ſunt: vbi nox oppreſſiſſet, ibi-
dem humi iacebat, paſſim populis cibaria dan-
tibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

tibus. Bonifacius Romanus pontifex rem ni-
hil æqui boni ve fecit, qui honori ſuo timens
ducem agminis, vt flagitij conuictum, Viter-
bij opprimendum curauit. Atque ita omnis
Albatorum cœtus diſſipatus eſt, cunctis poſt
amiſſum ducem, domum pedem referentibus.
Fuit is annus humanæ ſalutis M. CCCC.

De Niniuitarum initio, quorum ſecta
vulgò Confraternitas dicitur: & vnde
mos, vt conſocij inter orandum ſeſe con
uerberent. CAP. VI.

APoſtoli ſtatim vt Chriſtus eſt morte affe-
ctus, officij memores cõuentus facere, pro
ut in Actis patet, cœperunt, vbi orando, conſu-
lendo, agendo, rem Chriſtianã propagandã mi-
randum in modum curabant: non ſecus atque
illi, qui eorum opera religionem complexi
ſunt, poſtea fecere, teſte Tertull. in Apolo-
get. cap. XXXIX. Vnde vſus facilè ad poſte-
ros manaſſe videtur, vt prophani quoque ho-
mines cœperint apoſtolorum more, diuini cul-
tus cauſa, inſtituere ſocietatis, ſeu, vt ita
dicam, fraternæ charitatis collegia, illisque
magiſtros dare, qui ſtatutis diebus reliquos
ſocios conuocarent, ad cærimonias nonnullas
concelebrandas. Inde tot militum ordines
prodiere, quos ſuprà memorauimus. Durauit
inſtitutum, abijtque in varias ſocietates, quas
vulgò



vulgò cõfraternitates dicunt. Ij ſtatis diebus
mutua charitate conueniunt, orant, ſacerdotes
conducunt, qui rem diuinam faciãt, pauperes
alunt, ſexcentáque pietatis officia quotidie fa-
ciunt. In ſupplicationibus publicis, id eſt, in
pompa ſacrorum, ordine procedunt, vt plurimũ
ſaccis linóque ora contecti, ſeſe flagello cõuer-
berant, nudum ac lacerum tergum ferentes, vt
lut verè pœnitentes decet. Vnde Niniuitas di-
ctos volunt, quòd eodem modo Deum placare
ſtudeant, atque Niniuitas olim monitis Ionæ
prophetæ, pœnituiſſe cõſtat. Cæterum res iſta
fidem facit, à Romanis Lupercis inſtitutum eſ-
ſe acceptum, quòd illi Lupercalia ludicra cele-
brantes, nudi per vrbem incedebãt, ac laruati
flagellis obuios cedebãt, ſicut demõſtrauimus,
cùm de origine ludorum apud Latinos ſuprà
prodidimus. Quòd ſi longius liceat huiuſce
verberationis originem quærere, ego ab Ægy-
ptijs ſumptum dixerim. Siquidem illi dæmoni
maximo vaccam multis cærimonijs, teſte He-
rod. immolare ſolebant, quod ſacrificium dum
ardebat, omnes verberabantur. Eſt præterea
veriſimile vel à ſodalitijs originem eſſe, quæ
ſodalium collegia apud ipſos Romanos erant.
Cornelius enim Tacitus ſodales ſacerdotes
Romulum inita cum Tatio ſocietate, feciſſe
ſcribit. Vnde Tatij ſodales. Et Tranquillus
ſodales Auguſtales vocat: ſicut apud Iulium
Capito

Capitolinum Antonianos ſodales legimus. Auguſtinus ait ſodales, quaſi ſedales, quod ſimul eſſent. Plinius item ſcribit Romulum inſtituiſſe Arualium collegium, ſeque duodecimum appellari voluiſſe fratrem, vt alibi eſt demonſtratum. Duraſſe autem iſtiuſmodi ſodalitates teſtatur vetuſtum marmor apud Tybur, in quo inſcriptum eſt, Sodales Hadrianales. Hinc igitur non dubitanter dixerim, noſtros pontifices, qui ſemper ſtuduere Romanos imprimis ab huiuſmodi vanis ludicris ac ſodalitatibus, ad pudicum ritum certámque viuendi formulam trahere, ſanctiore inſtituto, induxiſſe homines ad haſce ſocietates coëundas, quæ hodie vbique gentium frequentes vigent optimis vitæ ac religionis inſtitutis. Quibus ſanè ſocietatibus hæc dignitas eſt, vt nũquam labefactæ ſint, poſtquam eſſe cœperunt: quinetiam in dies ſingulos auctiores fiant. Ob hoc vel reliquos ordines pudere debet, qui nunquam intra prioris, ac eius quidem ſanctioris regulæ limites contineri potuere, etſi crebro inſtaurati.

## De origine ſectæ deæ Syriæ ſacerdotum, Aſſyriorum, Antonianorum, atque Cæretanorum.

CAPVT VII.

EST operæpretium animaduertere, quantum ſemper poſteritas malarum potius artium,



quàm bonorum morum tenax fuerit, quod cum in alijs multis, tum in circunforaneis mendicabulis apparet: fuit enim apud priſcos quorundam hominum ſecta, qui malefica religionis ſpecie prouincias peragrando, pecunias & alias res corradebant. Ij ſimulacra deorum circunferentes, quibuſdam fallacijs vaticinabantur, deos ſuos propitios offerentibus futuros ſpondebant, multa malitia, multa mentientes: quales in primis fuere ſacerdotes olim deæ Syriæ, de quibus Apuleius, lib. VIII. meminit ac ſub perſona aſini ſui, oppido quàm ſcienter eorum technas, machinas atque fraudes enarrat, ita ſcribens: Sed vbi tandem fatigati, vel certè ſuo laniatu ſatiati pauſam carnificinæ dedere, ſtipes æreas, imò verò & argenteas multis certatim offerentibus, ſinu recepere patulo, necnon & vini cadum, lactem & caſeos, & farris & ſiliginis ac leguminum aliquid, & nonnullis ordeum deæ gerulo donantibus, auidis animis corradentes omnia, & in ſacculos huic quæſtui de induſtria præparatos farcientes, dorſo meo congerunt, vt duplici ſcilicet ſarcinæ pondere grauatus, & horreum ſimul & templum incederem. Ad iſtum modum palantes omnem illam deprædabantur regionem. Apuleius hactenus. De dea autem Syria, vt hoc perappoſitè oſtendamus, Lucianus libellum ſcripſit, in

quo

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo tradit ſe vidiſſe in Syria ſtatuam in tem-
plo deæ multiformem, quæ quidem eſſet Iuno,
haberet tamen aliquid Palladis, & Veneris,
& Lunæ, & Rheæ, & Dianæ, & Nemeſeos,
& Parcarum, quæ altera manu tenebat ſce-
ptrum, altera fuſum, in capite radios ferebat,
& ignem, & caſton: & denique demonſtrat
deam Syriam eſſe numen vnum, quod varijs
nominibus vocaretur, cuius ſacerdotes crota-
la pulſabant, cui Galli ſacrificantes, ſecabant
brachia, multi tympana percutiebant, alij di-
uina cantica concinebant. Item in ſacris deæ
quibuſdam iuncturas manuum & ceruices
ſtigmatibus notabant: inde Aſſyrij omnes no-
tati viſuntur. Durat adhuc ſuperſtitioſa
fraus in gente: nam nunc non ſacerdotes, ſed
magnus viliſſimæ plebis ſexus vtriuſque nu-
merus in omnes orbis etiam Chriſtiani partes
diffuſus, voti, vt aiunt, cauſa, ſine fine pere-
grinatur, victum oſtiatim quæritando. Mu-
lieres chiromantiam profitentur, hoc eſt, per
linearum manuum inſpectionem diuinant, in-
terim egregiè doctæ ad ſubtrahendam furtim
è marſupio eorum, quibus futura prædicunt,
pecuniam, niſi bene cauerint. Nuſquam vltra
tertium diem immorantur, ſub diuo prope ci-
uitates & oppida tabernacula collocant, ſunt
omnes ſtigmatibus notati. Ex quo ſatis con-
ſtat, hos eſſe Aſſyrios, qui fraudibus & dolis
exercit



exercitati, ritu ſacerdotum deæ Syriæ, co
mendicabulo viuunt. Iſtos Itali Cilices vo-
cant, quòd ex Cilicia, quæ, teſte Plinio, Syriæ
proxima eſt, proficiſcantur: alij verò extra Ita-
liam, Aegyptios nuncupant. Ab ijs igitur Sy-
riæ deæ ſacerdotibus, vſque ad nos huiuſce frau-
dis labes permaſit. Porrò hodie viget omnis ge-
neris fraudulentorum hominum ſecta, qui ſi-
mul induſtriæ, ſimul laboris fugientes, quò
plus ſanctitatis præ ſe ferunt, hoc intrinſecus
diſſolutiores, ipſos deæ ſacerdotes nauiter æ-
mulantur, quippe qui per inſidioſam pieta-
tem, tanquam diuorum omnium miniſtrato-
res, dolis apprimè inſtructi, hic pro templi æ-
dificatione, alter pro veſtimentis coëmendis,
alius pro alendis pauperibus, alius pro redem-
ptione captiuorum, nonnulli pro educandis ex-
poſititijs circumeuntes caſtella, pagos, villas,
ab hoc credulo ruſtico blandulè poſcunt, & cu-
pidiſſimè accipiunt ouem, lanam, agnum, hœ-
dum, ab illo gallinam & oua, ab alio porcel-
lum, vel pernas, ab alio caſeum & linum, ab
alio ſuperſtitioſè attonito tritici ſextarium,
aut cadum vini, vel olei lecythum. Ad hæc
aut ſanctorum reliquias, vel apoſtolicas ta-
bellas, ſeu quorundam antiſtitum chirogra-
pha vetuſtate aſſiduóque vſu paſſim oblitera-
ta è pyxide depromunt, illáque magna cum
veneratione, offerentibus oſculanda porri-
gunt

Universidad de Deusto
Biblioteca



gunt, promittentes pro datis munuſculis, vitam cunctis cœleſtem. Sic eiuſmodi ruſticano dono onuſti prædam vendunt, in argenti laminam conflant, atque mox domum redeunt gaudentes, quòd ſimplicia ruſtica plebis corda, ac pias mulierculárum mentes illuſerint, ludificarint, feſellerint grauiter: nam ad ciuitates quibus non facile eſt imponere, non perinde adeunt. Propterea Cato ſalubriter admonet, ne villicus aliorum conſulat, ne aruſpices ſagáſque admittat, quoniam hæc hominum genera vana ſuperſtitione rudes animos ad impenſas, ac deinceps ad flagitia facilè compellunt. Sed ad rem redeamus. At vbi domum perueniunt, à ſuis magno plauſu accipiuntur, perinde vt ſi terra mariſque ſuperatis fortiter periculis, ſpolia ampla atque bono modo parta reportarent. Ac veteratores iſti ex omni hominum colluuie congregati, per hunc modum totum Chriſtianum orbem, tam impunè, quàm impudenter populantur: inter quos ſunt Antoniani, ante pectus T literam pictam habẽtes, qui diui Antonij nomine, eo mendicabulo vtuntur, ſuóque tempore porcos recipiunt, qui vicatim ipſi diuo Antonio nutriuntur, quòd id animal cum bene multis alijs in eius tutela ſit. Atque ita dij noſtri per hominum fraudes, etiam nunc edunt, bibunt, amiciuntur. Sed arte & aſtutia inſigniores ſunt illi, quos Itali





Cæretanos, à Cæreto Vmbriæ oppido appellant, qui huic tam maleficæ rei ſtudio duntaxat addicti, pro honeſta arte habent ſummæ cum proteruitate mendicare. Itaque quotannis circa æſtatem extremam, ingens turba, fallacijs tantum more patrio armata, facto agmine, Cæreto mouet, ſeque in omnes Italiæ partes effundit, pecuniã vndecúnque corraſura. Vnde fit, vt quicunque apud ipſos Italos, talis faciunt turpes quæſtus, Cæretani nuncupentur: in quorum numero non equidem immeritò monachi nonnulli haberi poſſunt, qui longè petulantius quàm deceat, eleemoſynam ſæpe petunt, imò flagitant, id quod bene multi mendicantes pauperes, quaſi ex præſcripto faciunt. Atque ita vna vel altera de cauſa, Cæretana ſecta per omnes gentes peruaſit.

## De primordio Mahometanæ ſectæ, atq; eius legibus & inſtitutis. CAP. VIII.

COmmodiſſimè hic ſubijciemus illius peſtilentis Mahometanæ ſectæ initium & dogmata, quæ cùm libidinum nefanda fœditate, tum multijugibus præterea flagitijs nihil omnino diſſonant à deæ Syriæ ſacerdotum moribus atq; vitæ turpitudinibus, quæ omnia proximo capite non parum ſatis prodidimus. Fuit maleficæ religionis, imò impietatis autor Mahometus nobili genere natus, homo Arabs ſeu Perſa, vtrunque enim proditur, patre ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca



lorum dæmonum cultore, matre Iſmaëlita, & ob id Hebraicæ legis nõ ignara. Quæ res fecit vt dum vterque ſuam legem doceret, puer fuerit multo peritior effectus, qui deinde mortuis parẽtibus, fortè captus emitur à quodam prædiuite viro nomine Abdemonaple, homine Iſmaëlita, qui iuuenem ſibi gratum ob formam & ingenium, mercaturis faciendis, ac negotijs procurandis præfecit. Frequẽtabat id temporis domum Abdemonaplis Sergius monachus Neſtorianæ hæreſeos vir, qui cùm nullo eſſet apud ſuos numero præſentem vitæ ſtatum ſtomachatus, Byzantio in Arabiam fugerat, Mahometũmque valde diligebat. Interim ſine liberis mortuo hero, iuuenis viduam in matrimonium duxit, per quam grandem pecuniam conſecutus, animum ad maiora extulit. Hæc de Mahometi adoleſcentia, & bonæ indolis initio traduntur à cõpluribus. Quidam Græcorum eum Iſmaëlitam tantum memorant, ſordidóque loco natum, puerilibus annis furaci quæſtu ſibi victum quæſiſſe, ac locandis conducendiſque camelis, ad deportandas huc atque illuc merces: inde verò adultum latrocinia feciſſe, comparatáque latronum ingenti manu, vno atque altero facinore illuſtratum, iamque Perſicis rebus infeſtum, vt qui in Heraclij partibus eſſet, pugnaſſe eo in prælio, quo res Coſdroæ conciderunt, ac inibi vulnere aſſectum.



ctum. Verùm poſtea maiore Arabum exercitu inſtructus, auſus eſt Romani imperij turbare fines, cuius tamen motus Heraclius citò compeſcuit. Is itaque homo callidus atque vafer ingenio, magicisque artibus pollens, vt etiam ſpecie religionis, quæ hominum mentes repente occupat, apud ſuos barbaros ſuapte natura leuitate imbutos, plus ſibi fauoris & potentiæ conciliet, ſe Dei prophetam nominat, ac, vti vulgus id facilius credat, interdum ſolebat tanquam mentis errore actus in terram corruere ſubitò, perinde quaſi comitiali tentatus morbo: quod cùm vxor miraretur, Deſine, inquit, chara coniunx mirari, ſic enim Deus mihi futura ſuggerit, eius ſpiritu corripiente me. Hac ille quoque armatus fraude, & inter Chriſtianæ pietatis viros diutiſſimè verſatus, rem pernicioſam humano generi ex duabus eſt legibus commentatus: ſiquidem anno ſalutis DCXX. & Heraclij principis XII. nouam ſectam conditurus in Arabia concionari cœpit, prædicans eſſe ſe Dei prophetam primarium, & Hebræos aiebat impiè facere, qui Chriſtum natum ex virgine inficiarentur, quando id prophetæ, viri præcipua ſanctitate, diuino afflati ſpiritu futurum cecinerant, expectandámque multò antè prædixerant. Contrà Chriſtianos ſtultè credere Ieſum prophetam ſummum ex Dei ſpiritu geni-

Universidad de Deusto
Biblioteca



*tum, ac omnis terrenæ labis expertem vo-
luiſſe opprobria & cruciatum à Iudæis perpe-
ti, cùm præſertim eius glorioſum corpus mi-
nimè pati potuerit: ac proinde deridebat, qui
eius ſepulchrum religione ſeruandum cenſe-
rent. Sic iam per varios ſucceſſus rerum, at-
que conciones, non contemptiſſimus effectus,
eò euaſit, vt iura & leges ſuæ genti dederit,
in quibus ferendis à Sergio monacho eſt præ-
cipuè adiutus. Et ne legi tam peſtilenti ab ho-
minibus ſanæ mentis quandoque iretur ob-
uiam, capitalem inſcripſit pœnã, ſi quis de ea
auſus eſſet diſputare: ac conſilio Sergij vſus,
vt lex popularior eſſet, ex omnium gentium
ſectis, quas rectè nouerat, aliquid aſſumpſit.
Cum Iudæis enim circunſionem, & abſtinen-
tiam porcinæ carnis præcepit, quanquam
de circunciſione ambigitur, quòd ipſe Ma-
hometus neque circunciſus eſt, nec in eius
lege de ea re vlla ſit mentio. Quare Saraceni,
quia non antè circuncidunt filios, quàm XIII.
habuerint annos, in hoc videntur imitari
Abraham, qui Iſmaëlem id ætatis filium, à
quo illi originem ducunt, circunciderat. Item
vſu vini interdixit, ieiuniúmque per men-
ſem Octobrem continuum ſeruatum voluit, &
tantum noctibus veſci, quò diurnam abſti-
nentiam nocturna ſanitate reſarcirent. nam
tum per legem licet bibere vinum, quò facilè
ebrij*



*ebrij facti ſeſe ſimul ſtupris turpificant. Cum
Chriſtianis, Chriſtum ſummum prophetam
cenſuit, nunc ſpiritũ, nunc verbũ, & Dei ani-
mam prædicans: virginem Mariã ad cœlũ ex-
tulit laudibus, miraculis credidit, eſtq́; euan-
gelicæ hiſtoriæ non aduerſatus, quatenus à
ſuo nõ diſcreparet Alcorano: ſic dogmatũ ſuo-
rum libellum appellauit: & Hebræis ac Chri-
ſtianæ multitudini per hæc blanditus, ſimu-
lauit ſe velle à Sergio baptizari. Cum neutris
verò, diem Veneris feſtum inſtituit, ſabbatũ
Iudæorum, & noſtrũ diem dominicum aſper-
natus: ac id fecisse fertur in honorem deæ Ve-
neris, quòd ad punctum eius ſtellæ rex factus
fuiſſet. Inde ad aliorum ſtudia cõcilianda, cũ
Sabellianis negauit trinitatem, quam vocan-
mus, cum Manichæis, binarium in diuinis nu-
merum poſuit: cum Macedonio, ſpiritum ſan-
ctum eſſe creaturã dixit: cum Nicolaitis, mul-
titudinem vxorum probauit, quarũ ne eſſent
zelotypi, iuſſit vt nulla fœmina niſi operta
facie, foras prodiret: & denique veneris ac o-
mnium voluptatũ habenas ſuæ genti remiſit,
arbitratus hæc corporis oblectamenta futuræ
felicitati minimè officere. Fas enim eſt Sara-
cenis quatuor ſimul habere vxores, & cum il-
lis facere diuortium bis térque, ac earum loco
alias ducere, vel priores recipere: emptitias
verò & captiuas tot habere, quot libuerit,*

Universidad de Deusto
Biblioteca



*eaſque ipſis vídere, excepto quòd ſi qua grauida a domino facta fuerit, illã non amplius ſeruitute obligari, & ne cognatio deficiat, etiam cõſanguineas quàm proximas ducere vxores. Item Dei propheta nouus, nouum orandi purgandíque modum ſuis ſtatuit, qui einſmodi eſt. Etenim quinquies in die orant breuiter, profitentes vnum eſſe Deum, qui nullum ſibi ſimilẽ, aut æqualem habeat, & Mahometum eius ſummum eſſe prophetam. Sed antequam precatum eant, omnes corporis partes aqua perquam pura, vel terra, ſi aqua abſit, abluunt: quo facto, in meridiem verſi terque inclinati terrã deoſculantur: atque ita purgati arbitrantur eo modo ſe cuncta peccata abſterſiſſe, cum citius animum deberent purgare, vnde veræ manant preces. At in forenſibus cauſis plurimum Moſis decreta ſecutus eſt, qui talionẽ quoque admiſit. Poſtremò vt præmium ſuis proponeret fœda religione dignum, promiſit fore, vt qui eius mandata ſeruarent, poſt mortẽ collocarentur in paradiſo loco amœniſſimo, vbi arborum vmbra tecti, neque calore neque frigore vexarẽtur, & precioſis veſtibus induti inter puellarum choros, delicatiſſimis veſcerentur cibis, quos angeli ipſius Dei abundè ſubminiſtrarent. Atque ita propheta de corporum immortalitate tantum egit, vt qui crediderat animos nõ manere poſt*

corpora,



*corpora. Namque talis beatæ vitæ ſtatus minimè omnino ad extremam corporum noſtrorum reſurrectionem trahi poteſt, quando id temporis, teſte Chriſto apud Matthæum cap. XXII. erimus ſicut angeli Dei in cælo, ac tantum aberit, vt nobis cibo vllo ſit opus. Templa habent, in quibus præter precationem, nulla ſiunt ſacra, nullos itẽ ſacerdotes, ac nullã ferme habent religionẽ: nam quanquam vnum credunt eſſe Deum, tamẽ nulla cum pietate colunt, excepta eleemoſyna, qua inopes iuuant. Speciem itidẽ humanitatis aduerſus aliarum ſectarum homines præ ſe ferunt, quos apud ſe eſſe ſinunt, ſi magiſtratibus ſuis obediant, & in ſingulos annos tributum pendant, tametſi eos cõtinenter detrimentis atque contumeliis afficiunt. Et ille talis fuit in danda maleſica lege, quæ in gentes ſerpſit innumeras, ab eiſque veram Dei religionẽ mira virtute antea receptam ſuſtulit, ac in locum illius malorum dæmonum induxit cultũ, periculũmque eſt, ne nobis quoque eripiat: nam tota Aſia & Africa, cum magna Europæ parte, in Mahometanorum ditionẽ venit. Quod ſanè incendium nil æquè fouet atque auget, vt perpetua noſtrorum principũ diſcordiæ. Hac igitur peſtilente ſuperſtitione armatus Mahometus, ſic Saracenorum animos ſibi conciliauit, vt eos demum ad rebellandum cõtra Per-*

 ſas

ſas excitauerit, à quibus rex cõſalutatus, noui regni in gente fundamentum iecit. Ob- mortem inimicus ille veritatis annos natus quadraginta, ſeu, vt quidam volunt, quatuor & triginta, qui tandem moriens prædixit ſe iturum in cœlum: quod Saraceni diu expectantes, cadauer iam fœtidum ferrea cõdiderunt arca, illámque Mecham (eſt Perſidis vrbs) deportarũt, quam totus Oriens colit. Mahometo Calyphas ſucceſſit, cui ob nimiam ſuperſtitionem imperium eſt abrogatũ, in eiúſque locum alter eodẽ nomine rex creatur. Tertio deinde loco Homar ſufficitur, qui poſt Perſas ſuperatos, Hieroſolyma omnémque Syriam cepit, anno ſalutis circiter MCLXXX. pontifice Agathone, & Cõſtantino IIII. Imperatore. Cæterùm bona iſtarum rerum geſtarum pars Mahometo aſsignatur. Sanè fuit Heraclius Imperator oraculo admonitus vt à circunciſis caueret: quare ille toto ſuo imperio, Iudæos ſuppliciorum metu ad religionẽ Chriſtianam recipiendam cõpulit. Hãc ob rem Saraceni & Arabes duce Mahometo arma ſumentes, ita Heraclij duces ſuperarunt, vt parum abfuerit, quin omnino Imperij nomẽ delerent, capta Alexandria, multiſque alijs Syriæ & Ciliciæ vrbibus. Arabes ea victoria elati Mahometi impulſu Perſas bello petierunt, ac vicerũt, qui tum demum coacti accepere legem Mahome-





tanam. Saraceni iam inde pro Perſis appellati ſunt, qui ſe à Sara, quæ Habrahæ vxor fuit, ortos prædicabant. Quam Mahometus anſam amplexus eos ſibi facilè conciliauit, dictitans ſolos omnium mortalium illos diuinæ repromiſsionis eſſe ſucceſſores. Sic poſt deuictos Perſas, barbari maioribus viribus Antiochiam adorti nobiliſſimã vrbem breui ceperunt, nec ita multò poſt ſunt & Hieroſolymis potiti. Poſt victoriam Mahometus nõ multum ſuperſtes fuit, inuector peſtis teterrimæ, quæ cum ſuo autore extingui nõ potuit. Vide, quàm ſit vita mortalium pronior ſemper in lapſum, quam in bono cõſtantior: nempe vineam Domini, quàm Chriſtus ſeruator ſuis miraculis plantauerat, quam apoſtoli ſuis manibus coluerant, quam martyres ſuo ſanguine fœcundiorẽ fecerãt, quam pontifices ſanctiſsimi ſuis bonis artibus quotannis putauerant, & cuius denique nectar dulciſsimum ac ſalutare Aſia ipſa cum Africa, amplius ſexcentis annis imbiberat, vna feralis facula, quam Mahometus pſeudopropheta ſex tantũ annos illis in locis circuntulerat, radicitus incredibiliter abſumpſit. Verè barbara progenies neſcit habere modum: ſola enim belluinæ voluptates, quas ille nequam conceſſerat, haſce gentes à veræ pietatis officio auocarunt, ac in maleficio pertinaciter cõtinent. Sic malum venenũ à malo



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



*homine datam tot miſeri mortales ad perpetuam perniciē quotidie perbibunt, illud poſtremò in Stygiam euomituri paludē. Heu quàm tunc infelices, ſed ſerò ſtultitiæ pœnitebit?*

LIBRI SEPTIMI FINIS.

# POLYDORI

## VERGIL. VRBINATIS DE INVENTORIBVS RERVM

## LIBER VIII.

Vnde natum, vt patres ſanxerint diuorum reliquijs honorem habendum eſſe, ac qui primi ſtationes, & iubileum Romæ inſtituerint, & de primo veniarum, quas indulgentias dicunt, vſu. CAP. I.

*OMnes ſacræ militiæ ordines ſuperiore libro cōſcripſi: in hoc vltimo, duces, ſacta prælia, partóſque triumphos exponemus, vt lectori ſit longæ lectionis præmium, noſcere præmium, quo Chriſtianæ reipubl. milites affecti fuerint. Poſt itaque Petri ac Pauli apoſtolorum martyrium, quod*





*plures mortales ad id genus mortis ſubeundum inuitauit, quam deterruit, multi quotidie ſexus vtriuſque, cùm alibi, tum Romæ, alij alio cruciatu pro re Chriſtiana tuenda conſumpti, cœli regnum adipiſcebantur: ſed ante omnes, pontifices Romani qui contra tyrannorum ſæuitiam audētius ibant, martyrio paſſim coronabantur, ita vt illi qui poſt Petrum eam ſedem vſque ad Sylueſtrum primum tenuerant, qui duo & triginta numero fuere, omnes ſupplicio mactati ſint, præter ſeptem, quibus calamitatum cōcurſu preſſis vitæ breuitas faciliorem dedit exitum. Iſtorum ſacro martyrum cruore maduit imprimis Romana tellus, refertáque eſt diuorum reliquijs, quæ breui pòſt tempore vndique à noſtris conquiſitæ, eò deportatæ ſunt. Quæ res à principio naſcentis religionis cumprimis Cleto atque Anacleto pontificibus curæ fuit: hic enim, ſeorſum à prophana plebe, loca vbi martyres ſepelirentur, aſſignauit: ille verò notauit criminε ſacrilegij, ſi quis impediſſet, quò minus apoſtolorum ſepulchra inuiſerentur. Ac porrò iſtuc maximè religioni conſentaneum viſum eſt, quod apud Matthæ. cap. IX. ſic legitur: Ecce mulier quæ ſanguinis profluuio laborauerat duodecim annos, accedens à tergo tetigit fimbriam veſtimenti IESV, & ſalua facta eſt. Et alibi cap. XIIII. in terra Gene-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

zareth. Et cum agnouiſſent Ieſum viri illius loci, emiſerunt nuncios in totam vndique finitimam regionem illam, & obtulerunt illi omnes male habentes, & obſecrabant eum, vt tantum tangerent fimbriam veſtimenti ipſius: & quotquot tetigiſſent, ſalui facti ſunt. Item in Actis apoſtolorum cap. v. Magis autem accreſcebat credentium Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateas exportarent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt venientis Petri vel vmbra obumbraret aliquem illorum. Conueniebat autem multitudo vicinarum ciuitatum Hieroſolyma afferens ægros, ac vexatos à ſpiritibus immundis, qui ſanabantur omnes. Rurſus cap. XIX. Virtuteſque non vulgares edebat Deus per manus Pauli, ita vt etiam ſuper infirmos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicinctia, & recederent ab eis morbi, & ſpiritus mali egrederentur, &c. Quæ cùm ita ſint, & Deus poſſit, cùm lubet, omni tempore per eiuſmodi quoque modum miracula edere, non vtique alienum fuit à pietate & fide, tales reliquias ſeruare venerando. Atque hinc initium eſſe factum habendi honoris ſanctorum reliquijs ſatis conſtare poteſt. Extitit tamen poſtea Vigilantius natione Gallus, vel potius Dormientius, vt Hieronymus appellat, qui negabat apoſtolorum ac martyrum

reliquias



reliquias eſſe colendas, quòd eorum animæ eſſent vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerationis, vel ſub aram Dei, vnde pro ſuo iure non poſſent de ſuis tumulis, & vbi voluerint, adeſſe præſentes: ſic, prout ait idem Hieronymus qui inſaniam hominis facilè conuincit, vincula inijciebat apoſtolis & martyribus, vt vſque ad diem iudicij tenerentur cuſtodia, ne eſſent cum domino ſuo, de quibus ſcriptum eſt: Sequuntur agnum quocunque ierit. Sed non vicit malè vigilantis ſententia: nos verò honoramus reliquias martyrum, vt eum cuius ſunt martyres colamus: honoramus ſeruos, illius Domini nomine qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit. Sunt igitur meritò & templa illis diuis in vrbe, aut ijs in locis vbi mortem oppetendo ſanguinem effudiſſent, aut vbi contigiſſet illorum oſſa humari, poſita. Sic Caliſtus primus Romanus pontifex ædem in tranſtyberina regione ædificauit, dicauitque Mariæ virgini: ſic poſtea Conſtantinus Imperator Petro & Paulo ac diuo Laurentio templa extruxit: ſic pōtifices qui ſecuti ſunt, alij alias ædes condidere ſacras. Quibus pietatis operibus factum eſt, vt Chriſtiani viri ac fœminæ vſque ab extremis quoq; orbis partibus paulatim Romam peregrè ſua ſponte cōfluxerint, ſacra loca adeundi, diuorúmque ſepulcra viſendi cauſa. Adauxit hanc populorum pieta-

tem

tem diuus imprimis Gregorius: is enim cùm Romæ id temporis quo ſederet, quadam letifera laboraretur peſte, primum litanias, vt alibi explicauimus, decreuit: deinde certos conſtituit dies, quibus in præcipuis vrbis templis ſolenni ritu ſacrificaretur, ibique pro illo ſedando malo, oraretur ſuppliciter: ac vt populus generatim ſimul frequentior eò illis ſtatis diebus concurreret, propoſuit delictorum veniam ad id ſolenne accedentibus, conſtitutis ad ipſa templa ſacerdotibus, qui audirent volentes de peccatis ſuis confiteri, vt illi inde remiſſionem omnium delictorum conſequerentur. Quæ ſanè conſuetudo vel hodie ſeruatur, vbicumque publica peccatorum venia promittitur. Et quia ſacerdos poteſtatem habet tam culpam quàm pœnam tollendi, hinc factũ videtur, vt talis venia delictorum vulgo appelletur indulgẽtia, id eſt, remiſſio culpæ & pœnæ. Ad rem redeo. Quamobrem deinceps cuncti obſeruantius ad ea templa adeuntes, adeò ſanctè precati ſunt, vt meruerint eo morbi genere liberari. Durauit inde perpetuò illud inſtitutum, ita vt hodie nihil Romæ ſit ſanctius: conueniunt vndique adhuc multi mortales in vrbem, qui vbi eò peruenerint, nihil prius habent quàm ipſa ſacra inuiſere loca, in quibus ſtationes celebrẽtur. Appellauit Gregorius ea ſolennia ſacra non indecenti vocabulo ſtationes,

nes,



nes, quaſi ſtatas, id eſt, certis anni diebus ac ſtatutis celebres: nam ſic ſtatæ cærimoniæ, vt Feſto Pompeio placet, dicebantur ſacrificia, quæ certis quibuſdam diebus & ſtatutis celebrabantur, quæ non mutarentur, ſed ſtabilia & firma ſtarent. Vnde Cato: Sacra ſtata, & ſolennia ſancta ſeruãdo. Alij ſtationes dictas volunt ex militari exemplo, quòd perinde hæc ſacra, ſiue hæ ædes ſacræ in quibus illa fiunt, ſtatutis diebus cuſtodiantur, frequententurq́ue, ac ſoleant loca ad cuſtodiam aſſignata militibus, quando ſtant vigilantes. Sed mihi prior ſentẽtia probatur. Bonifacius deinde octauus ad hæc ſacra loca viſenda piorum maximè incitauit ſtudium, qui primus omnium iubileum retulit, anno qui fuit M CCC. ſalutis humanæ, quo pœnarum remiſſionem ijs præſtabat, qui limina apoſtolorum viſitaſſent, ad exemplum veteris legis. Diuerſa tamen quædam videtur fuiſſe ratio Iudæis anni huius celebrandi, atque ſit ab initio à noſtris ſeruata, quòd illi quinquageſimo, & non vt noſtri centeſimo quoque anno, id ſolenne repeterent, quódque eo tempore apud illos ſoluerentur nexi, ſeruique in libertatem vindicarentur, & illis demum corporum aſſertio curæ eſſet, at noſtris animorum, quod multò optabilius eſt, veriórque libertas cenſeri poteſt: enimuerò verè liberi ſunt, quibus peccata remittuntur.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

tur. Idem autem pontifex iubileum centeſimo quoque anno ſeruari mandauit: quod feciſſe videtur, vt populum cum primis Romanum ab inani ſecularium ludorum celebratione, ad verum ſolenne ſacrum reduceret. Fuerunt ludi ſeculares, vt Feſtus atteſtatur, in honorem Apollinis & Dianæ inſtituti centeſimo quoque anno, clamante præcone, Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neque viſurus eſt: nam ſeculum centum cõtinet annos, vnde ipſi ludi ſeculares nominati ſunt, de quorum origine ſuprà lib. IIII. diximus. Capitolinus in Gordiano, ait hos à Valerio Publicola ob exactos reges centenis quibuſque annis ab vrbe condita inſtitutos: celebrauit eos Philippus imperator anno vrbis milleſimo. Sed vnde digreſſi ſumus, reuertamur. Cæterùm tanta vis mortalium ea de cauſa tum Romam confluxit, vt vix commeandi per vrbem amplam quidem ac vaſtam, eſſet facultas. Quinquageſimo pòſt inſtante anno, Clemens ſextus ſanxit iubileum celebrari quinquageſimo quoque anno, cùm ætas hominis vix iubileum illum centum annorum attingere poſſet, qui verus fuit iubileus. Poſtremò Sixtus quartus, iubileum ad vigeſimumquintum quenque annum reduxit, primuſque celebrauit, qui fuit annus MCCCCLXXV. ſalutis. Id fecit, vt quæque ætas eius muneris diuini par-





ticeps fieret. Ac ita veniarum quas indulgentias vocant, iam tum vſus celebris eſſe cœpit: quæ qua de cauſa, quáve ex autoritate introductæ fuerint, aut quantum valere videantur, noſtri recentiores theologi de ea re egregiè laborant. Ego verò originem, quod mei eſt muneris quæritans, non reperio antè fuiſſe, quod ſciam, quàm diuus Grego. ad ſuas ſtationes id præmij propoſuerit. Quapropter in re parum perſpicua, vtar teſtimonio Ioannis Roffenſis epiſcopi, qui in eo opere, quod nuper in Lutherum ſcripſit, ſic de eiuſmodi veniarum initio prodit: Multos fortaſſe mouet indulgentiis iſtis non vſque adeo fidere, quòd earum vſus in eccleſia videatur recentior, & admodum ſerò apud Chriſtianos repertus: quibus ego reſpondeo, non certò conſtare, à quo primum tradi cœperint: fuit tamen nonnullus earum vſus, vt aiunt, apud Romanos vetuſtiſſimus, quod ex ſtationibus intelligi poteſt. Et ſubiicit: Nemo certè dubitat orthodoxus, an purgatorium ſit, de quo tamen apud priſcos nulla vel quàm rariſſima fiebat mentio. ſed & Græcis ad hunc vſque diem, non eſt creditum eſſe: quandiu enim nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæſiuit indulgentias: nam ex illo pendet omnis indulgentiarum exiſtimatio. Si tollas purgatoriũ, quorſum indulgentiis opus erit? Cœperunt igitur indulgentiæ, poſtquam

ad purgatorũ cruciatus aliquandiu trepidatum eſt. Hæc ille: quæ tu forte, cum tanti ſint momenti, vt magis certa ex ore Dei expectabas. Atque hoc pacto poſt Gregorium veniarum ſeges paulatim creuit, cuius meſſem non exiguam permulti interdum collegerunt, & cum primis Bonifacius nonus, cuius tempore huiuſmodi venia, & quidem plena manu, non concedebatur modò aliquoties, verumetiam, teſte Platina, velut quæpiam merces quotidie vel paſsim vendebatur, non abſque concedentis recipientiſque detrimento, quando per hæc vt remedia animæ morborum venalia, minus permulti à malefactis abſtinebant, & clauium autoritas multò vilior erat. Nec id quidem temerè accidebat, quia, vt dicit Hieronymus, vbi merces media eſt, dona ſpiritalia viliora ſiunt. Quę vtinam non niſi illa vidiſſet ætas. Secundum hæc Alexander VI. cuius pontificatus incidit in annum humanæ ſalutis M D. Sixti ſecutus inſtitutum: cœpit iubileum non modò Romæ, ſed etiam in longinquis prouinciis, ac ſtationes vbique gentium propè vicatim inſtituere, idque tam ſui quam populi Chriſtiani commodi cauſa, vti aiebat, fecit, quò cum labore petendæ vrbis leuaret. Quare fit, vt Roma terrarum regina etiam nunc minus adeatur. Verùm quę fuerit iubilei anni origo apud Hebræos





bræos, iam dicamus. Moſes, teſte Ioſepho libro Antiquitatum. III. & Origene ſuper Numeros, ſtatuit, vt inter dies, ſeptimus quiſque dies obſeruaretur ſabbatum: & inter menſes, ſeptimus quiſque menſis ſabbatum eſſet menſium, in quo agerentur ſolennia ſacra quæ dicerentur ſabbata ſabbatorum: item inter annos, ſeptimus quiſque annus, & in eo ſi quando Cananæam Iudæi recepiſſent, quam tandem Dauid & Salomon reges aſſecuti ſunt, terra vacaret, id eſt, non araretur, & quæ ſua ſponte ferret, quinquageſimo quoque anno tribulibus eſſent & extraneis communia. Hunc Hebræi annum iubileum dixere, qui & quinquagenarius vocari poteſt, ſignificátque libertatem. Porrò hoc Moſis decreto, libertate donabantur ſerui, debitores à creditoribus laxabantur, prædia æſtimatis ex æquo fructibus & impenſis, reſtituebantur antiquis poſſeſſoribus: quæ omnia ipſe Ioſephus eo in libro latè perſequitur. Reddit Euſebius ex Philone, huiuſmodi agrorum vacationis rationem non cõtemnendam, ita in octauo Euangelicæ præparationis, ſcribens: Facilè de ſeptimo quoque anno dicere poſſumus: non enim ipſi ab operibus ſicut ſeptimis diebus ceſſant, ſed agros ipſos ceſſare patiuntur, vt vires ad futura ſuſcipiant, multò enim fœcundiores redduntur, ſi cum ceſſauerint, in non

*ualia rurſus proſcindantur: quod etiam corporibus hominum accidit, ſemper enim eundem ferre laborem, & valetudini obeſt, & robur animi atque corporis deiicit. Et ſubdit: Magnæ autem humanitatis eorum illud præcipuè ſignum eſt, in ſeptimo anno quoque, ipſi ab agriculturæ laboribus abſtinent, etſi quid ſponte agri protulerint, non colligunt, neque deponunt, ſed quia nullo ſuo labore productum eſt, communiter cuique volenti omittitur, & reliqua. Sed iam Romanorum pontificum & humanitatis ſtudium, & rei familiaris augendæ rationem hic commodum ſubiiciamus.*

### De origine titulorum, quibus Romanus pontifex vtitur, ac collegiorum & ſcribarum, & quando primùm literæ apoſtolicæ cœperint obſignari plumbo, & de primo annatarum vſu. CAP. II.

*EST ſacerdoti in primis nihil ferè conuenientius humanitate, nihil aptius comitate, nihil ſummiſſione decentius, dicente Seruatore: Diſcite à me, quia mitis ſum & humili corde. Et alibi: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Contrà alienius nihil ipſa ſuperbia, qua multi ſæpe inflati, ac ſimul arrogantia doctrinæ-ve, aut generis claritudine elati, tum ſe ſacerdotes, tum pontifices præbere, tum ordinis decus ritè ſeruare*

ſibi



*ſibi perſuadent, cùm præ ſe cunctos mortales deſpiciant, aſſerentes ſic dignitatem quam gerunt, poſcere, ac nequaquam audientes ipſum Dominum tantæ inſolentiæ exitum ita prædicentem: Qui autem ſe exaltauerit, humiliabitur, & qui ſe humiliauerit, exaltabitur. Huius Seruatoris vaticinationis præceptique ſimul diuus Gregorius bene memor, vt cunctis manſuetudinis exemplum ederet, cùm literas dictaret, ſic ſemper incipiebat: Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei: qui & facto æquè idem præſtitit: ſexcentas enim à Longobardis paſſus eſt iniurias, contra quos tamen non arma mouit, aut aliunde quæſiuit, ſed ſola patientia & humanitate dimicauit. Hoc certè pauci illorum qui ſucceſſere, ſunt æmulati: illud verò cuncti inſigniter vſurparunt, quamuis in ea eminentia conſtituti forè eſſent, qui non facilè ab aliis ſe ſeruos appellari paterentur. Salutem & apoſtolicam benedictionem, Cletus præfationis loco poſuiſſe primus dicitur. Quem ſalutandi modum pontifices qui ſecuti ſunt, ſeruarunt. Chriſtus & ſuum ſalutationis genus, Pax vobis, aut huic domui, vſurpare conſueuit, quemadmodum Græci peruetuſto more χαῖρε, Latini Salue, vel ſalutem, Hebræi verò, Pax tibi. Eam ſalutationem nunc epiſcopi vt ſibi peculiarem vindicant. Præterea ab initio fuere ſcribæ,*



qui

Universidad de Deusto Biblioteca

qui literas ſcriberent apoſtolicas, paruo vel nullo petito pretio, quando adhuc illud Seruatoris præceptum, Gratis accepiſtis, gratis date, inuiolatum permanebat. At dein Ioannes XXII. iucundæ rationis ſtudioſus, quò rem anguſtam domi iuuaret, collegium ſcribarum apoſtolicorum primus numero diſtinxit, qui literas proprio ingenio dictatas conſcriberent, nonnullaque alia munia obirent, atque in illud ſuos ſcribas pretio duntaxat adſcitos voluit. Taxationes item conſtituit, per quas, taxatis, hoc eſt, æſtimatis ſacerdotiis, quæ ipſe contuliſſet, caperetur vectigal. Rem verò omnẽ ad apoſtolicæ pœnitentiariæ, quam dicũt, curam pertinentem, Benedictus XII. omnium primus excogitauit, ſimul & taxationes literarum ordine conſtituit. Inſtitutum obſignandi literas Rom. pontificu plumbo, vnde ad poſteros manarit, perdiu quæſiui, plumbo tam pretioſo ſeſe, credo, in viſcera terræ rurſus abdente, vt ne cuiquam prædæ eſſet, cùm ſoli Romani pontifices eo vtantur. Equidem ſatis conſtat Agathonem, quo ſedente magna ſedi facta eſt honoris acceſſio, vt ſuprà lib. IIII. demonſtrauimus, in cera annulo impreſſiſſe ſigilla: verũ poſtea cùm Romanus pontifex multa irrogaret priuilegia, vt diplomata diuturniora forent, placuit Stephano tertio, ac deinde Hadriano primo, tabulas apoſtolicas plumbo obſignari.

gnari.



gnari. Fuit is annus ſalutis DCCLXXII. cùm ipſe Hadrianus factus eſt pontifex: nam antè quius non reperitur ſigillum plumbeum: quemadmodum conſtat ante Carolum Magnum Imperatorem, literas auro obſignaſſe principum Romanorum neminem. Sed ad collegia ſcribarum redeamus. Cùm per hunc modum res domeſtica augeretur, Pius deinde ſecundus Ioannis exemplum ſecutus, breuiatores creauit, in ordinémque redegit. Hos haud ita multò poſt Paulus exauctorauit, ſed velut ærario perutiles miniſtros Sixtus dein reſtituit, primúſq; noua collegia ſolicitatorũ, adſtipulatorũmq; inſtituit, ſine quibus nullæ conficerẽtur tabulæ quas bullas dicunt, quò per hoc à pluribus examinatæ difficilius corrumperentur: poſtremò nouem apoſtolici ærarij notarios fecit, & iis omnibus certos prouentus conſtituit, quò eorum munia vendibiliora forẽt. Non fefellit opinio: munia enim quæ principio quingentis veniere aureis, nunc alia mille, alia duobus tribúsve millibus venduntur, adeò qui ea obeũt, ſuis priuatis rebus ſeruire ſciunt. Hoc tam commodum inuentum ineſcauit, & Innocentium VIII. ipſius Sixti ſucceſſorem, vt ille ſecretariorum (ſic vocantur ſecretiores principum familiares, qui à ſecretis ſunt) collegium inſtituerit, priſtinum augendo numerum. Præterea Alexander Sextus nouum ſcriptorum breuium collegium inſtituit,



ſtituit,

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca



ſtituit, numero octoginta, vel eo amplius. Hi autem ſcribarum collegiis ingens quoque apparitorum, imò harpyiarum, quibus, vt poëta ait, ſunt pallida ſemper ora fame, turba ſeruit: quorum nonnullos olim tondendi oues optimè gnaros, id eſt, notarios & tabelliones, vt pauperum ſanguine victitantes, Nicolaus III. à ſe reiecisse dicitur, ne omne degluberent pecus. At Alexander Imperator vnicum integritatis ſpecimen, multò præclarius edidit exemplum, vir etſi noſtræ minus profeſſor religionis. Is etenim nullum vnquã vendidit magiſtratum dictitans, Qui emit, neceſſe eſt vendat. Nec illud omiſerim, literas apoſtolicas plumbeo ſigno munitas, in quibus Romanorum pontificum decreta continentur, non ineptè bullas appellari, quando βουλὴ, id eſt, bule, Græcis dicitur & conſilium, & locus in quo conſultatur. Sed nos more noſtro mutata η in u, bulla dicimus, vt fit à muſice, muſica: ac vocabulum per duplex ll perperàm ſcribentes, minus elegans reddimus. Cæterùm nullum inuentum maiores Romano pontifici cumulauit opes, quàm annatarum, quas vocant, vſus, qui omnino multò antiquior eſt, quàm recentiores quidam ſcriptores ſuſpicantur: & annatas, more ſuo, appellant primos fructus vnius anni ſacerdotij vacantis, aut dimidiam eorum partem. Sanè hoc vectigal iamprìdem

cùm



cùm Romanus pontifex non habuerit tot poſſeſſiones, quot nunc habet, & cum oporteret pro dignitate, pro officio, multos magnos ſacere ſumptus, paulatim impoſitum fuit ſacerdotiis vacantibus, quæ ille conferret. De qua quidem re, vt graui, ſæpe reclamatum fuiſſe teſtatur Henricus Hoſtienſis, qui cum Alexandro quarto pontifice vixit, ſic, vt Franciſcus Zabarellus tradat poſthac in concilio Viennenſi, quod Clemens quintus indixit, qui factus eſt pontifex anno ſalutis humanæ MCCCV. agitatum fuiſſe, vt eo depoſito annatarum onere, vigeſima pars vectigalium ſacerdotalium penderetur quotannis Romano pontifici, & id quidem fruſtra. Quare pontifex annatas in ſua naſſa retinuit, vt ne inde exire poſſent. Atque hæc omnia in commentariis in caput. Inter cætera, de Officio ordinarij, ſcripta leges. Atqui ſatis conſtat rationem fructuum omnium maiorum ſacerdotiorum putatam fuiſſe, & ſummam deductam, quæ cùm vacarent, pontifici debetur, quæ etiam nunc impartitur ab iis, quibus ea dantur ſacerdotia: id quod poſtremò Bonifacius nonus ſeu Ioannes XXII. primò, ſiue rurſus, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus, fecerat, quibus idcirco fuerunt qui annatarum inuentum aſſignarint. At omne illud annatarum ab initio omnes generatim



pop

populi ſubire minus recuſarunt, extra An-
glos, qui ſuis minoribus ſacerdotiis, quando
ea pontifex dabat, id ſeruitutis imponendum
non conſuerunt. Nam Roman. pontifex mi-
norum quoque ſacerdotiorum aliarum gen-
tium quæ ipſe confert, dimidiam capit vecti-
galium vnius anni partem, ſi pluris viginti-
quatuor aureis æſtimentur. Et hoc annatarum
genus vel aliis de cauſis exigitur etiam ab
Anglis, cùm alia aliis ſacerdotia copulantur,
vt ea ſiat priuati commodi copulatio, quæ com-
munis vtilitatis diſiunctio eſt, cum concedi-
tur; vt quis retinere queat cum epiſcopatu cœ
nobióve, minora ſacerdotia, quum ſit pote-
ſtas cuipiam retinendi ſacerdotium, quod per
leges minimè licuiſſet principio capere: & cum
ſexcenta alia peraguntur ex Romani pontifi-
cis autoritate, quæ ſi gratuitò, perinde ac Chri
ſtus fieri iuſſerat, ſi quibus oportet, & quando
oportet, concederentur, ſi in annatis ſaltem exi
gendis modus eſſet, cùm graue ſit illis, qui-
bus ſacerdotia deferuntur, prius annatas &
in numerato ſoluere, quàm vectigalium quic-
quam ex ipſis capiant ſacerdotiis, vnde gran-
de faciāt æs alienum neceſſe eſt, damno etiam
futurum amicis, à quibus mutuam accipiunt
pecuniam, ſi quid antè humanitus accidat,
quàm eam reddant, non hinc profectò ſcelesti
homines cauſam arriperent ad corruptelam

reli



religionis: quæ faxit Deus, vt illis correctis,
incorrupta permaneat.

De Simoniacorum ſectæ ortu.

CAPVT III.

CVm Philippus qui teſte Euſebio ex ſe-
ptem diaconis ab initio conſtitutis, fuit
vnus, Samaritanos ad Chriſtianam religio-
nem traxiſſet, tum vir quidam nomine Simon,
qui antea magicam exercens artem, eam gen-
tem ſeduxerat, tandem credidit, & vt Lucas
prodit, baptizatus eſt. Nec ita multò pòſt vene-
runt cum apoſtoli, Petrus & Ioannes, vt per ma-
nus impoſitionem eos qui nuper in Chriſtiano-
rum collegium veniſſent, munirent ſpiritu ſan-
cto. Cùm vidiſſet autem Simon per impoſitio-
nem manuum apoſtolorum dari ſpiritum ſan-
ctum, pecunia id demum à Petro impetrare co-
natus eſt, cùm fide & pietate debuiſſet: cui Pe-
trus dixit: Pecunia tua tecum ſit in perditio-
nem, quoniam donum Dei exiſtimaſti per pe-
cuniam comparari: non eſt tibi pars neque ſors
in ratione hac, cor enim tuum non eſt rectum
coram Deo, & cætera. Verùm Simon repulſus,
iam inde fuit Petro infeſtus, Romámque ex Sa
maria profectus, cœpit ſub Claudio magicis
artibus illuſtrari: deinde Nerone imperante,
multò celebrior factus, inter duos pontes titu-
lum meruit Latinis literis inſcriptum, Simoni
Deo ſancto. Tanta illius diuinitatis erat opi-

nio,

Universidad de Deusto
Biblioteca



nis, cùm apud multitudinem, tum apud ipſum Neronem ſtultiſſimum principem, cui ſtultis artibus inſinuatus pollicebatur, prout Egeſippus libro III. ait, perpetuum victoriæ curſum, longiora'q; vitæ ſpatia. Poſtremò hominis temeritas vſq; eò progreſſa eſt, vt Petrum ſit in miraculorum certamen prouocare auſus, qui cadauer demortui pueri, & Neronis propinqui, magicis conatus artibus ſuſcitare, mouit omnino aliquid: ſed mox illud vt antea exanime iacuit, quod Petrus Chriſti nomine, vt vi ſua ſurgeret, effecit. Quo miraculi euentu magis irritatus, profeſſus eſt ſe Romano ſpectante populo, ex Capitolio in Auentinum prepete volatu euaſurum, ſi Petrus ſequeretur, vt id factum facilè declararet, vter Deo eſſet charior. Iam Simon à terra ſublimis vehebatur, cùm Petrus ſupplex eſt Deum precatus, ne populum in peius omnia vertentem magicis capi præſtigijs ſineret. Nec preces fruſtra miſſæ: medio enim magus conatu ad terram ruens, fracto crure, ſolo affigitur, ac breui poſt ex eo caſu eſt Ariciæ extinctus, quò poſt acceptam plagam fuerat à ſuis delatus. autor eſt idem Egeſippus. Sic malum ingenium malè perijt, quod non vnius hæreſeos origo fuit & caput. Hinc Simoniaci hæretici dicti, qui ſpiritus ſancti dona venalia habuerunt, quique affirmabant humanæ naturæ





vim non à Deo eſſe, ſed ex ſuperna quadam virtute prouenire. Ita vitio nomen inditum, quod Chriſtus prohibuit, aiens: Gratis accepiſtis, gratis date. Item Petrus vetuit, cùm Simoni dixit, Pecunia tua tecum ſit in perditionem: id quod libro Regum IIII. legimus Giezi Heliſæi puero contigiſſe, qui cùm furtim munera à Naaman Syro, quem propheta à lepra ſanarat, accepiſſet, illicò eſt ore & toto corpore eadem affectus lepra. Quot quæſo quotidie ægroti fierent, ſi quoties ſimoniam committerent, Gieſiana corriperentur elephantia? Non infertur pœna corpori, nec purgatio peccati per corporis ſupplicium conſtat, ſed per ignominiam, quando quiſquis res ſacras, quæ dona Dei ſunt, quoniam, vt diuus Vrbanus ait, à Deo hominibus, & ab hominibus Deo donantur, nundinatus fuerit, emerit, aut in his pactis proxenetam ſe præbuerit, priuatur ſacerdotio, dignitate, ac præfectura deijcitur, infamis habetur, multiſque alijs afficitur probris quæ libro Decret. epiſt. latè recenſentur. Tanti criminis ſola eſt auaritia parens.

## Quando primùm hæreſes atque ſchiſmata orta, ac in his Lutherana ſecta, & quæ eorum autoribus pœna ſit conſtituta.

### CAPVT IIII.

NVlla vnquam reſpublica, nullus populus
ita concors fuit, quin ciues vna vel alte-
ra de cauſa, in diuerſa interdum abiuerint
ſtudia: quod omnibus, præſertim hiſtorias non
ignorantibus, notius eſt, quàm vt exponi de-
beat. Hinc igitur factiones ortæ, quæ in va-
rias ierunt ſectas, quas Græci hæreſes ab eli-
gendo vocant, quòd quiſque eligat, quæ ſequa-
tur vitæ inſtituta, vt fuerunt philoſophorum
ſectæ. Sic Iudæorum populus, quamuis eã-
dem amplecteretur legem, in varias diuiſus
fuit ſectas, hoc eſt, hæreſes, Phariſæos, Eſſe-
nos, Sadducæos, Samaritanos, Nazarenos,
Herodianos. Paulus ipſe apoſtolus phariſai-
cæ fuerat hæreſeos. Sic populus quoque Chri-
ſtianus, vt ſuprà enarrauimus, in plures di-
uiditur ſectas. Cæterùm cùm nos Dei apoſto-
los habeamus religionis autores, qui nihil
quicquam ſuo arbitratu, quod introducerent,
elegerunt, optaueruntve, ſed acceptam à
Chriſto diſciplinam fideliter gentibus tradi-
derunt: hinc factum, vt nobis nihil pro no-
ſtro iure eligere vel introducere licuerit, &
vocabulum hæreſis impium inhoneſtumque
haberi cœperit. Ab hoc theologi noſtri hære-
ticum vocant eum Chriſtianum, qui ſectam
aliquam vel inſtituit, vel ſequitur aduer-
ſus fundamenta religionis. Huius nefariæ
impietatis, hoc eſt, omnis hæreſis caput &
princi-



principium, teſte Tertulliano, libro de Hæ-
reſibus, Simon magus fuiſſe fertur, qui acce-
pto ſimulatè baptiſmate, primus omnium Chri-
ſtianam religionem modis omnibus labefacta-
re conatus eſt: à quo eius ſequaces ſimoniacè
dicti, vt proximè docuimus, gratiam ſan-
cti ſpiritus venundari volebant, & naturam
noſtram non à Deo, ſed ex ſuperna quadam
vi eſſe prædicabant. Ita ſimon ſtatim ab ini-
tio, virus tabificum in medium venit, quo ra-
dices creſcentis religionis enecaret. Cui ma-
lo apoſtoli repugnare magis, quàm illud ex-
tirpare potuerunt, quò ſemper eſſent pſeudo-
prophetæ, à quibus, ſicut Seruator admonet,
caueremus quippe qui veniunt ad nos in veſti
mentis ouium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapa-
ces. Itaque ſimoni, autore eodem Tertullia-
Menander, patria etiam ſamaritanus ſucceſ-
ſit: is magica arte nequaquam magiſtro in-
ferior, maiora paſſim patrabat portenta: ſe-
ipſum ſeruatorem iactitans, ad ſalutem ho-
minum è cœlo deſcendiſſe aſſerebat: nec quen-
quam poſſe dæmones malos vincere, niſi foret
ab ſe magicis armatus diſciplinis, ac per ba-
ptiſma ab ſe quoque datum, immortalis atque
æternus effectus. Ita immortalitatem homo
mortalis dementer ſectatoribus ſuis pollice-
batur. Eſt per idem tempus & Nicolaitanorum
exorta hæreſis, cuius autorem ferunt Nico-
laum

Universidad de Deusto Biblioteca

laum aduenam Antiochenũ, vnum ex ſeptem diaconis ab apoſtolis cũ ſtephano factis, quòd is, prout perhibet Clemens Alexandrinus, zelotypiæ ægritudine laborans, & reprehenſus ab apoſtolis, produxiſſet vxorem forma excellentem in medium, reliquiſſetque illam habendam, qui eam concupiſceret: & inde ortum, vt iſti arbitrarentur fas eſſe, communes habere vxores, cùm re vera Nicolaus nihil ſimile vnquam cogitaſſet, vir pius & bonus, qui apoſtolorum dictis audiens ideo vxorem in medium duxiſſe videtur, vt per id argueret venereã voluptatẽ magis cõtemnẽdam, quàm expetendam eſſe: id quod ſentit Euſebius, qui dicit Nicolaitanos vt impudentes, non aliundè niſi à ſuis libidinibus fœdum vitæ inſtitutum accepiſſe. Iiſdem quoque tẽporibus Corinthus aliquid etiam ſceleris auſus, circuncisionem ſeruandam, & homines mille annos poſt reſurrectionem, in voluptate carnis futuros prædicabat. Hunc Euſebius ait, Epheſum eſſe aliquando profectum, & fortè in balneas introiſſe, ac eodem temporis puncto apoſtolum Ioannem eò ſeſe lauandi gratia contuliſſe, & cùm audiuiſſet Corinthum intus eſſe, diſceſſiſſe continuò dictitantem, Fugiamus hinc ne balneæ ipſæ corruant, in quibus Corinthus lauatur veritatis inimicus: manifeſto argumento hæreticos vt humanæ vitæ exitiales eſſe vitãdos,





ſicuti Apoſtolus etiam iubet. Erupit vel id temporis Hebionis hæreſis, Chriſtum aſſerentis ante matrem non fuiſſe: quam Ioannes vt infringeret, poſtremus omnium ad euagelicam hiſtoriam aggreſſus dicitur, qui aſſerturus diuinam Chriſti naturam, eſt altiſonum illud exorſus, In principio erat verbum. Per idem quoque temporis aliquot alij extitere viri docti, qui de re Chriſtiana non tam ſubtilius quàm malitioſius exquirentes, facilè in errorem deducti ſunt, & imprimis Baſilides Cerdo, qui aſſerebat duo fuiſſe principia contraria: & eius diſcipulus Marcion ſtoicus, qui negabat Chriſti patrem fuiſſe Deum. Valentinianus Platonicus philoſophus, is aiebat Chriſtum nihil accepiſſe ex virginis corpore, quòd per illud tanquam per fiſtulam purus tranſiſſet. Montanus, qui ſe paracletum vocitabat. Apelles, is tradebat Chriſtum per phãtaſias Deum viſum eſſe hominibus. Sabellius, qui vnam duntaxat patris & filij & ſpiritus ſancti perſonam eſſe dicebat: & Paulus ſamoſatenus, is duas in Chriſto naturas negans, affirmabat illum à matre tantùm originem duxiſſe, ac tum poſt Chriſtum natum, è Ioſeph viro ſuo alios genuiſſe filios. Atque hæc hæreſium origo. Qui nempe furor diu bacchatus, tot & magnos quidem viros in diram ſubinde rabiem egit, vt eiuſmodi impietatis veneno infecti, alij

Universidad de Deusto
Biblioteca

alias introduxerint ſectas, ſóque eas referſerint erroribus, vt penè plus in illis ex mentibus hominum eximendis ſit ad extremum laboratum, quàm principio fuerit in iaciendo religionis fundamento inſudatum. Ab eiuſcemodi ſingularibus priuatorum hominum opinionibus, quas hæreſes dicimus, itum eſt ad publica diſſidia, quæ Græca voce ſchiſmata nuncupantur. Hæ duæ germanæ peſtes, duæ diræ contagiones, ita ab initio concordiam ſacerdotum diſiunxerunt, vt deinde ambitione creſcente, diu conflictatum ſit. Eius diſſidij primus omniũ autor fuiſſe traditur Nouatus Romanus presbyter: is enim epiſcopatus adipiſcendi auidus, nihil penſi habebat, quo modo optati compos fieret, qui aliud corde diſſimulans, aliud ore ſimulans, doloſis verſutiſque conſilijs nonnullos optimos ſacerdotes ſeductos ſibi copulauit, quorum ſuffragijs innixus. Verùm illi, vt apud Cyprianum & Euſebium eſt, vbi cognouerant hominis ambitionem, ſe ab eo ſeiunxerunt: at quos ſui ſimiles ſibi ſociauit, facilè in fide retinuit. Eo itaque annitente, Nouatianus homo gloriæ auidus, pontifex factus, omnes ſui dogmatis ſectatores, mundos appellauit. Negabant ij apoſtatas, etiam ſi pœnituiſſent, eſſe recipiendos, velut parum liquido documento demonſtraſſet Chriſtus, à pœnitentia nulli negandam eſſe veniam, qui Petrum,





à quo ter fuerat abnegatus, in integrum reſtituit. Sed Cornelius pontifex habita in vrbe Roma antiſtitum ſynodo, Nouatianum hæreticum pronuntiauit, damnauitque vnà cum Nouato, ac reliquis eiuſdem ſectæ ſocijs. Ita Nouatus circiter annum ſalutis CCLV. primi ſchiſmatis autor fuit, Cypriano vel teſtificante, qui ad Cornelium ad hunc modum ſcribit: Nouatus rerum nouarum ſemper cupidus, auaritiæ inexplebilis, rapacitate furibundus, arrogãtia & ſtupore ſuperbi tumoris inflatus, ſemper iſtic epiſcopis male cognitus, curioſus ſemper, vt perdat: ad hoc adulatur, vt fallat: nunquã fidelis, vt diligat: fax & ignis, ad conflanda ſeditionis incendia: turbo & tempeſtas, ad fidei facienda naufragia: tranquillitatis aduerſarius, pacis inimicus. Idem eſt Nouatus, qui apud nos primùm diſcordiæ & ſchiſmatis incendium ſeminauit, &c. Octogeſimonono deinde poſt anno, eſt alterum ſchiſma ortum, quod ſacerdotalẽ ordinem maximè afflixit. Arrius enim presbyter Alexandrinus, principe Conſtantino magno, ſectæ fuit autor, quæ ab æterna Dei patris ſubſtantia, quam vocant, filium conabatur ſeparare: cuius ſententia etſi in concilio Niceno eſt exploſa, attamen durauit perdiu poſtea contagio: nam latius opinione omnium hominum, malum hoc diſſeminatum eſt: manauit enim per bonam orbis partem,

& non obſcurè ſerpens multas prouincias occupauit. Tertium deinde ſecutum eſt ſchiſma, cùm Damaſus factus eſt pontifex: non enim ſuffragijs tantum eſt certatum, ſed vi quoque & armis. Et hæc fœda pontificum contentio in hodiernũ vſque diem hôc latius proſerpſit, quò honorum ambitio in dies magis magiſque ſacerdotes inuaſerat. Quartum poſtremò vidit religionis diſſidium noſtra ætas, nouitate rerum nimis ſolicita, cùm Leo X. Romanus pontifex illo ipſo anno, qui fuit humanæ ſalutis MCCCCCXVII. haberet etiam in Germania procuratores indulgentiarũ, quas vocant, & illi ſuæ quoq; vtilitatis ſtudio prædicarent eas indulgentias non ſolùm valere ad ſalutem viuorum, verumetiam ad ſubleuandas mortuorũ animas, quæ in purgatorio, quod dicitur, eſſent. Tum Vuitembergæ in oppido Saxoniæ celebri, præſtò fuit quidam Martinus cognomento Lutherus, Auguſtinianus monachus, homo in theologia apud ſuam gentem primarius, qui illud improbarit. Procuratores ea re valde commoti, primo quoque tempore Romam ad magiſtratus deferũt nomen Lutheri: is continuò vt deorum contemptor accuſatur, citatur, cauſa agitur: ſed quia ad diem dictam non adfuit Romæ præſens, vt reſponderet, paulò pòſt declaratur hæreticus. Verùm quoniam eiuſmodi indulgentiarum quæſtus iam in odia





hominum cum procuratoribus incurrerent, permulti magni viri, & in his Federicus Saxoniæ dux præſtò fuit, qui Lutherum conſilio, autoritate, armis denique tegeret, ne vlla eum vis attingere valeret. Lutherus igitur tali præſidio munitus, paucis pòſt menſibus non dubitauit ire Auguſtam, quò Thomas Caietanus Cardinalis ſancti Sixti, monachus Dominicanus, eius turbæ reprimendæ gatia à Leone legatus fuerat. Ibi cum Thoma acriter cõflictatur, de indulgentijs, de pontificis Roma. poteſtate diſputat: ſed veritus ne Cardinalis ad extremum rem omnẽ magis imperio quàm diſceptatione definiret, idq; ſibi timens, domum redijt, ac tum fauentibus amicis, maiora auſus, de omnibus denique religionis myſterijs ſcribere, ſuaque ſcripta foras dare cœpit. Ita licentia parta loquendi, ſecta breui tempore mirabiliter coaluit, quæ Euangelica dicta eſt, eò quòd haud vllam aſſeueret recipiẽdam eſſe legem, quæ ad animarum ſalutem pertineat, niſi quam Chriſtus aut apoſtoli dediſſent. Primùmque eo anno MDXIX. ſuum veſtigium in terris poſuit, manſurum, vt videtur, quoad Chriſtus ipſe populum ſuum, culpa rectorum ita in duas ſectas ſeiunctũ, rurſus coiuerit, à quo iſtuc optimus quiſq; maximè petere precarique debet, vt ne maior indidẽ fiat religionis labes. Pœnam autem quæ hæreſum autores

Universidad de Deusto
Biblioteca



ſequeretur, primùm Apoſtolus conſtituit, ad Titum ita ſcribens: Sectarum autorem hominem poſt vnam & alteram admonitionem fuge, ſciens quòd euerſus ſit, qui eiuſmodi eſt & peccet per ſe dānatus. Deinde Chryſoſt. homilia XLVII. in ca. XIII. Mat. vbi de zizanijs ſit ſermo, alteram ponit, cùm inquit: Non prohibet Dominus conciliabula hæreticorum diſſipare, ora obſtruere, libertatem loquendi concidere, verùm interficere ac trucidare. Dein anno ſalutis humanæ CCCXXIIII. Nicena ſynodus, teſte Platina, in Syluestri Romani pontificis vita, aliam pœnam Arrio dixit, qui cum ſua cohorte, in exilium ire coactus eſt. Poſthac circiter annum ſalutis CCCLXXXVIII. Theodoſius & Valentinianus Imperatores multandos decreuerunt hæreticos damnis, ignominijs, verberibus, exilijs & morte: quemadmodum extat in Codice iuris ciuilis capi. Arriani, vbi lege ſanctum eſt, vt iſtud maleficum hominum genus vltimo afficeretur ſupplicio. Hoc edictum Hoſtienſis in ſua Summa ſuper titulis Decretalium explicans ait: Et licet in hereſi lex imponat pœnam vltimi ſupplicij, quod vltimum ſupplicium alia lex, ff. de pœnis, interpretatur mortem: de conſuetudine tamen tales cremantur. Idem Abbas poſt Hoſtienſem, ſuper illud capi. ad





abolendam, extra, de hæretic. ſenſit, ſcribens: Sed ius ciuile punit hæreticum capitali pœna, ſeu pœna mortis, vt l. Arriani. C. de hæret. coniuncta l. vltimum ſupplicium. ff. de pœnis. & hanc pœnam eſſe debitam interpretatur conſuetudo. Conuenit ergo in hoc lex canonica, ciuilis & conſuetudinaria, vt communiter puniatur pœna ignis. Poſtremò anno ſalutis circiter MCLXXX. Fridericus primus Romanor. Imperator legem de comburendis hæreticis tulit, velut in quadam eius conſtitutione patet, cuius initium eſt, Vt commiſſi. Ex quo factum eſt, vt per idem tempus Lucius tertius Romanus pontifex ſtatuerit hæreticum hominem ſacris initiatum primò deſecrandum, mox verò tradendum locorum magiſtratibus, quò igni necaretur, vti eodē cap. ad abolendam. extat. Atque hoc equidem ex Moſis inſtitutis acceptum ſatis liquet, qui primus omnium doctores impios & peſtiferæ doctrinæ magiſtros, morte mactandos conſtituerat, cùm ita de ea re in Deut. cap. XIII. ſanxiſſet: Si ſurrexerit in medio tui propheta, & dixerit tibi, eamus, & ſequamur deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis, nō audies verba prophetæ illius, quia tentat vos dominus Deus veſter, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non. Propheta autem ille interficietur, quia locutus eſt, vt vos auerteret à

domino Deo veſtro. Et addit: ſi tibi idem vo-
luerit perſuadere frater tuus, aut filius tuus,
vel filia, ſiue vxor, aut amicus, non acquieſca-
ei, nec audias, ſed ſtatim interficies: ſit primum
manus tua ſuper eum, & poſt omnis populus
mittat manum, & ſic lapidibus obrutus neca-
bitur. Si audieris in vna vrbium tuarum di-
centes aliquos, egreſſi ſunt filij Belial de me-
dio tui, & auerterunt habitatores vrbis tuæ,
quære diligenter, & rei veritate perſpecta,
ſi inueneris certum eſſe, quod dicitur, ſtatim
percuties habitatores vrbis illius in ore gla-
dij, & delebis eam. Quicquid etiam ſupelle-
ctilis fuerit, congregabis in medio platearum
eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes. Hinc igi-
tur hæreticos morte afficiendi, ac poſtremò
viuos cremandi ritum manaſſe certò prope-
modum ſcire licet. Atqui eò redeat, vnde aber-
rauit, iam oratio. Iis autem ſanandis animo-
rum morbis, nullum efficacius inuentum eſt re-
medium, quàm ſæpius habere concilia, in qui-
bus ſingulorum patefacta ſacerdotum vita,
antiſtites vt peritiſſimi medici maturè poſ-
ſent mederi ex aduerſa valetudine laboran-
tibus. Hinc igitur ad illud tam ſalutare me-
dicamentum explicandum, iam ſtylus ſe com-
modùm transferat.

Quo



Quo primum tempore pontificum con-
cilia publicè haberi cœperint, atque quo-
rum conuentuum decreta à patribus rece-
pta ſint. CAP. V.

VEtus fuit mos, tam apud Hebræos, quàm
apud alias gentes, habere concilia, &
in ijs deliberare de rebus agundis: ſic conſtat
Moſen & Ioſue, teſte Ioſepho, ſæpe facto po-
puli conuentu, conſueuiſſe agere: ſic Aegy-
ptios ac Perſas, vt autor eſt Herodotus, ii-
dem factitaſſe: ſic apoſtolos in vnum conue-
niſſe locum, cum Mathiam in numerum vnde-
cim cooptarunt, cum ſeptem diaconos elege-
runt, cum autoritate Petri & Iacobi decre-
tum eſt, ne gentes onerarentur lege Moſaica,
ſed tantum abſtinerent ſe eſca ſuffocati ani-
mantis, item ſanguinis & carnium ſimulacris
immolatarum, ac ne ſtuprum facerent.
Nam tum ipſorum tam apoſtolorum quàm
presbyterorum ſynodus coacta eſt, teſte Luca
in Actis, cap. XV. ita ſcribente: Surrexerunt
autem quidam de factione Phariſæorum, qui
crediderant, dicentes, quod oporteret circun-
cidere eos, ac præcipere, vt ſeruarent legem
Moſis, conueneruntque apoſtoli ac presbyte-
ri, vt diſpicerent de hoc negotio. Hinc nata
eſſe videtur conſuetudo habendi concilij. Cor-
nelius, quod ſatis liquet, primus omnium in
vrbe Roma LX. epiſcoporum, totidem preſ-


byte

Universidad de Deusto Biblioteca

byterorum ac complurium diaconorum conuentum fecit, in quo, vti ſupra prodidimus, Nouatiana eſt hæreſis damnata. Meminit & Cyprianus, per idẽ tempus epiſcoporum conuentum Carthagine eſſe actũ. Legimus prætereà apud Euſebium, patres hũc, hoc eſt, ſemel Dionyſio, deinde Felice ſedente, cõueniſſe Antiochiam contra Paulum Samoſatenum eius ciuitatis epiſcopum, atque illum demum damnaſſe. Is enim Paulus vir intolerabili ſuperbia, ſimulatque eſt epiſcopatum adeptus, cœpit inter viam pro inſolentia literas relegere, & dictare, multis conſtipato agmine præcedentibus, ac ſubſequentibus: vnde propter hominis arrogantiam, plerique Chriſtianam religionem deteſtabantur. Ab hoc Paulo opinor noſtros pontifices pomparum ordinem, quem nunc ducunt, accepiſſe. Paulus demum, qui duas in Chriſto naturas negabat, ſed tantum hominem affirmabat, idque ab apoſtolis olim traditũ falsò dictitabat, in eo concilio criminis conuictus damnatur. Sed tunc cùm principes Romani, quorum imperio regebatur orbis, paſſim in Chriſtianum nomen ſæuirent, illa non tam publica quàm priuata concilia fuiſſe, credere par eſt at vbi Conſtantinus religionem noſtrã ita volente Deo, eſt complexus, tum denique noſtris de Chriſtianæ rei ſumma agitare publicè licuit. Ex quo



quo Nicenus frequens conuentus Conſtantino imperante habitus, & primus & celeberrimus omnium meritò cenſetur, velut certum religionis firmamentum. Pari quoque habentur honore & quinque alij in terra Græcia facti, quorum quatuor dogmata, teſte Gratiano diſtin. XV. velut quatuor euangelia recepta ſunt. Primus itaque conuentus ad Niceam Bithyniæ vrbem opera Conſtantini eſt actus, vbi CCCXVIII. interfuere epiſcopi, in quo Arrius, cuius paulò antè meminimus, damnatur hæreſeos. Fuit hic annus ſalutis CCCXXIIII. Quo quidem tẽpore Syluester primus apoſtolicam tenebat ſedẽ. Conſtantinopolitanus alter ab eo quem primum dicunt, Damaſo pontifice. In hoc res acta eſt contra Macedonium & Eudoxum, negantes Deum eſſe ſpiritum ſanctum. Tertius Epheſinus, Cœleſtino primo Romanam ſedem tenente, in quo Neſtorius Cõſtantinopolitanus epiſcopus damnatus, qui Mariam Deiparam, hominis, non Dei matrem fuiſſe aiebat, quique aliam perſonam carnis dicere, aliam diuinitatis. Chalcedonius quartus, Leone primo pontifice. Eutychianus error eſt in eo diſcuſſus. Fuit Eutyches Conſtantinopolitanus abbas, qui aſſerebat Chriſtum poſt humanam aſſumptionem nõ duabus naturis conſtitiſſe, ſed ſola diuina fuiſſe contentum. Hæc ſunt quatuor illa

Universidad de Deusto
Biblioteca



illa ſacroſancta concilia, vnde religio auctior
auguſtiórque facta eſt, quæ diuus Gregorius
admittenda cenſuit, ita memorans: ſicut ſan-
cti euangelij quatuor libros, ſic quatuor con-
cilia ſuſcipere & venerari me fateor, hæc to-
ta mente complector, integerrima approbatio-
ne cuſtodio, quia in ijs, velut in quadrato la-
pide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cu-
iuſlibet vitæ communis atque actionis norma
conſiſtit. Quintus conuentus eſt Byzantij iuſ-
ſu Vigilij pontificis habitus, quo Theodorus
oppugnatur. Aiebat impius Theodorus, diuam
virginem ſolum hominem peperiſſe, nō Deum
& hominem: eſtq; in eâ ſynodo decretum, vt
Christi mater θεοτόκος, id eſt, Deipara dice-
retur. Hāc quoque, teſte Gratiano, diuus Gre-
gorius pari veneratione recepit. Sextum Con-
ſtantinus IIII. Imperator Agathonis iuſſu,
conuentum ducentorū epiſcoporum & eo am-
plius, Byzantij quoque faciēdum curauit, quo
Macarius Antiochenus damnatur. Et hunc
Hadrianus primus cum omnibus canonibus
ſuis, vt XVI. diſtin. patet, vltrò recepit. De
hac ſexta ſynodo Beda ſiidem abundè ſcribit
in eo libello, quem de Temporibus ſcriptū re-
liquit. Præterea alia alibi deinde concilia ha-
bita ſunt, quæ in canonicis Decretis à Gra-
tiano diligenter ponuntur. Item vt nullū con-
uentum indici, nullúmque à quibuſuis actum
haberi



haberi ratum liceret ſine Romani pontificis
autoritate, Marcellus primus omnium ſanxit,
deinde Iulius, & Damaſus, & Gregorius il-
lud idē ſtatuere. Verùm vt decretum illud fru-
giferum quondam religioni fuit, quando eo-
demum modo hæretici vbique extirpati, eo-
rúmque conuenticula ſimul infracta ſunt, ita
deinceps nihil attulit cōmodi, cùm per id iam
penè deſitum ſit à concilijs habendis, in qui-
bus cuncta ex æquo tractarentur, Pontifice
Romano eiuſmodi negotium non magnopere
curante. Quapropter cū iam diu compertum
foret, illud ſolum Chriſtianæ Reipubl. quo-
cunque tēpore obfuiſſe, Martinus quintus ſta-
tim pontifex creatus in Cōſtantiano conuen-
tu, in quo peſtilentiſſimum trium pſeudopon-
tificum ſchiſma eſt ſedatum, ſicut apud Plati-
nam ſcriptum leges, decreuit, vt x. ſaltem
quoque anno Romanus pontifex, & omnes
Chriſtiani principes in vnum locum coirent,
de ſumma rei conſulturi: quod hactenus mi-
nimè eſt ſeruatum, quamobrem religio in dies
ſingulos maius proculdubio damnum facit.
Eò quoque ſpectat Niceni conuentus decre-
tum, quo cautum eſt, vt epiſcopi quotan-
nis prouinciales ſynodos bis celebrarent, ad
ſuos, quatenus opus eſſet, aliorúmque mo-
res corrigendos.

Qui

Universidad de Deusto Biblioteca

Qui ex alienis & externis primi noſtros Chriſtianos inſectati fuerint, & ibidem qui martyrij primùm palmam tulerint.

CAPVT VI.

PLato in ſua Republica veritatem imprimis cultam voluit, quòd ea dÿs & hominibus dux ſit omnium bonorum, cuius qui fœlix futurus ſit, ſtatim ab initio participem eſſe decet. Veritatis docendæ cauſa Chriſtus in mundum venit, dicens: Ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Cōſtauit ſibi inuidiam ob hanc rem ſeruator apud Iudæos, ita vt ab eis immerito ſuo ſit neci deditus. Sic veritas apud mortales veritatis inimicos, ſibi malo, ac ſuis cultoribus pariter bono non fuit: nam prima à Iudæis orta eſt, vt atteſtatur Euſebius, in Chriſtianos perſecutio. Cum enim Apoſtoli præceptoris veſtigia ſecuti nunciarēt verbum veritatis, & Petrus ante alios coargueret Iudæos iniquitatis, quòd Chriſtum tradidiſſent morti, hortaretúrque ad pœnitendum, eò furoris inuecti ſunt, vt Stephanum diaconum occiderint. Is enim eo ferè biennio, quo paſſus fuerat CHRISTVS, cum ÿs de re diuina in certamē deſcendit, qui varÿs nominibus dicti ſunt, Alexandrini, Cyrenaici, Cilices, Aſiani. Ibi cùm plures & docti, vt ipſi videri volebant, vt nō reſiſterent, ſed cœleſti ſapientia qua ſuperuè erat inſtructus inuecti, obruerentur, cum fremitu & indignatione circunſtabant Stephanum, vixque manus pra nimia ira abſtinebant. Interim verò teſtatus ille ſe cœleſtem gloriam intueri, maius adhuc ſe in odium cōcitauit: tam enim vocem vt impiam litigatores abhorrentes, facto in illum impetu, vrbe eÿciunt, eiectum lapidibus obruunt. Sic primus omnium Stephanus Chriſtianæ religionis publicus aſſertor, mortē occubuit. Tum, ſicut Lucas ait, erupit perſecutio magna aduerſus Chriſtianos, qui erant Hieroſolymis, & omnes diſperſi vel potius diſſeminati ſunt per regiones Iudeæ & Samariæ, præter apoſtolos, vt afflictionis occaſio, quemadmodum diuus ait Hieronymus, fieret euangelÿ ſeminarium, quando illi id paſſim prædicabant. Cùm verò primum Chriſtianū nomen inter gētes audiri cœpit, tum vt dÿs inuiſum infenſius illis odio fuit, vtpote quod iamiam præſagiebāt reliquas eſſe religiones ſoluturum, quod impenſè auertere conati ſunt ſemper vanorum deorum cultores: nam Athenienſes, teſte Valerio, Diagoram philoſophum ex vrbe ſua pepulerant, eò quòd, vt etiam Cicero de Natura deorum tradit, deos negaſſet, & omnē deorum opem, quò ſic animos hominum à religionis cultu auocaret. Iidem Socra-

tem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem damnarunt, quia nouam religionē intro-
ducere viſus eſt, qui per Ariſtophanem poëtā
comicum in comœdia quam Nebulas inſcri-
pſit, falſò culpatus eſt, quòd fabulas coleret,
& de Athenienſium religionibus detraheret,
ac pubem ſeduceret. Item, ne plura commemo-
rando vnius rei exempla, longius à propoſito
trahamur, Romani cùm duas reperiſſent in
agro Lucij Petilij ſcribæ, ſeu Terentij, vt Var-
roni placet, arcas lapideas, quarum in altera
corpus Numæ regis, in altera libri reconditi
erant, Latini ſeptem de iure pontificum, toti-
démque Græci de diſciplina ſapientiæ, Lati-
nos, autore Valerio, magna diligentia ſeruan-
dos curarunt: Græcos, quia ex aliqua parte ad
ſoluendam religionē pertinere exiſtimabant,
cremarunt. Ita in ipſo introitu nouæ alicuius
religionis obſiſtere ſtudebāt. Vnde Nero prin-
ceps maiorum ſuorum curā ſacrorum æmula-
tus, cùm audiuiſſet Petrum & Paulū in vrbe
nouum euangelij dogma prædicare, nouā reli-
gionem introducere, indignatus haud multò
pòſt vtrunque morte affecit, indixit perſecu-
tionem, quæ ſecūda fuit in Chriſtianos: ſiqui-
dem primam, vt ſuprà ex Euſebij teſtimonio
oſtendimus, inſectationem inchoarunt Iudæi.
Sunt tamen qui hanc Neronianam primo po-
nant loco, vt primā Imperatorum iuſſu motā.
Et vt Romanum populum homo ſceleratiſſi-
mus



nus concitatiorē in noſtros redderet, tale fa-
cinus cōminiſcitur. Cùm per cuncta iam cru-
delia facinora, velut humani generis peſtis
eſſet debacchatus, ne patriæ etiam parceret,
ſeu deformitate veterum ædificiorum offen-
ſus, ſiue, vti quidam ferunt, cupidus Troiæ
ardentis ſimilitudinem cernendi, maiorem vr-
bis partem incendit. Sex continuos dies ac to-
tidem noctes illud incendium per vrbis ædifi-
cia ſacra & prophana peruaſit, ac multas ci-
uium fortunas abſumpſit. Ad leuandam igi-
tur ſceleris atrocitatem, omnem cladis illius
inuidiam in veræ pietatis cultores viros inno-
centiſſimos reiecit, ſubornatis qui chriſtia-
nos eius incendij autores falſo criminaren-
tur. Quapropter plurimi illius ordinis arre-
pti, ſunt ſupplicio affecti. Cæterùm quàm
procul ab omni maleficio noſtri Chriſtiani eſ-
ſent, Taciti Cornelij declarant verba, qui
Chriſtiano fuit nomini valde inimicus: is,
Non perinde, inquit, tam crimine incendij,
quàm odio humani generis conuicti ſunt. Et
deinde pergit: Addita pereuntibus ludibria,
vt ferarum tergoribus contecti, canum la-
niatu interirent: aut crucibus affixi, vbi dies
defeciſſet, in vſum nocturni luminis vreren-
tur. Tranquillus item delirus pietatis hoſtis,
ait: afflicti ſuppliciis chriſtiani, genus ho-
minum ſuperſtitionis nouæ & maleficæ. Ita


prin

principes Romani ab initio, ſicut diuus Cy-
prianus veriſſimè ait, in odium noſtri nomi-
nis coniurarunt, vt nos odiſſe inciperent ho-
mines antequam noſſe, ne cognitos aut imi-
tari poſſent, aut damnare non poſſent. Nec
ita multò poſt Domitianus tertiam in chri-
ſtianos molitur perſecutionem, Traianus
quartam, Marcus Antoninus & Lucius Au-
relius commodus quintam, Seuerus pertinax
ſextam, ſeptimam deinde mouet Maximinus,
octauam Decius, nonam Valerianus, Aure-
lianus decimam, Diocletianus vndecimam,
ab illa prima Iudaica, à Neroniana verò deci-
mum tenet locum, quem ordinem ſcriptores
nonnulli ſeruant. Porrò hæc omnibus omnino
diuturnior immaniórque eſt habita: nam, vt
Euſebius tradit, & libri ſacri exuſti ſunt, &
ſi quæ eſſent ſacræ ædes, dirutæ: præterea ſi
quis chriſtianus in magiſtratu fuiſſet, eo
ſublato, remanebat infamis, ſerui chriſtiani
libertatem conſequi nō poterant: milites item
chriſtiani cogebantur aut idolis immolare, aut
militiam cum vita pariter deponere, edicto
principis in foro poſito. Poſtremò Maxentius,
Licinius, & Maximianus, tres vno tempore
cum Conſtantino principes, chriſtianis maxi-
mè infeſti fuere, quibus meritò affectis ſup-
plicio, Conſtantinus ſolus rerum potitur, qui
certam & ſtabilem dedit noſtris pacem. Inter
has



has autem ſæuiſſimorum principum cruentiſ-
ſimas inſectationes, non defuere vnquam,
qui contemnentes iuſſa atque minas illorum,
tradiderint corpora ſua propter religionem
ſeruandam, ad ſupplicia, quò mererentur ha-
bere coronas perpetuas: nam, vt Apoſtolus
ait, non coronatur, niſi qui legitimè certaue
rit. Hoc conſilium ex chriſto Seruatore eſt, di
cente: Si quis vult poſt me venire, abneget ſe-
metipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequa-
tur me. Idem præmium ſequentibus ſe propo-
nit: cùm inquit: Qui perdiderit animam
ſuam propter me, inueniet eam. Huius ſpeì
plenus, ac vt pluſquam propheta futurorum
nequaquam neſcius Ioannes Baptiſta, pri-
mus veritatis cauſa, hoc eſt, quòd inceſtas
Herodiadis, vti Lucas tradit, execraretur
nuptias, vel quia, ſicut Ioſepho placet, ex con
curſu, qui magnus ad eum ſiebat, orta eſſet
noui motus ſuſpicio morte ab Herode affectus
eſt, qui iure primitiæ martyrum dici poteſt.
Verumtamen cùm omnia noſtræ religionis my
ſteria à paſſione Chriſti, vt tum conſumma-
ta cœpiſſent, teſte Hieronym. aduerſus Ioui-
nianum, qui ait: Neque enim euangelium an-
te crucem chriſti eſt, ideo Stephanus leuita,
qui vt ſuprà diximus, ab ipſo ſtatim naſcen-
tis euangelij principio, primus omnium Chri-
ſtianum nomen publicè profeſſus martyrium

 tulit,

tulit, eſt protomartyr habitus. Cyprianus verò rem altius repetens, id Abel iuſto tribuit, dicens: Imitemur fratres chariſſimi Abel iuſtum: qui initiauit martyrium, dum propter iuſtitiam primus occiditur. Sed de initio martyrij chriſtianorum hic agitur. At ſtephani fortia facta innumerabiles deinde immortales inſigniter æmulati, vbique gentium adeò breui tempore, ac tale chriſtianæ rei fundamentum iecerunt, vt liquidò liqueat, ex odio aduerſariorum, plus honoris & dignitatis noſtræ religioni acceſſiſſe, quàm ex illorum patrocinio, ſi fauiſſent, proficiſci potuiſſe: hoc etenim veluti citò omnino caſurum hominum fauor peperiſſet, illud vt perpetuò duraturum ſolum Deum per eos, quos ex mortalibus, propter animorum virtutes, immortalitate donauit, præſtitiſſe conſtat. Ita denique inſectationes reipublicæ noſtræ bono fuere, quando chriſtianum nomen quantò magis ab ipſis inimicis depreſſum, tanto magis illud nobis illuſtre celebrèque redditum eſt.

### De Chriſtianæ reipublicæ præſtantia.

### CAPVT. VII.

IAm ſuprà prodidimus, quæ noſtræ ſpiritualis reipublicæ, hoc eſt, noſtræ religionis prima fuerint inſtituta, quæ vſque adeo ab bene beatèque viuendum conducunt, vt nemo non





illa ipſa iure poſſit ac debeat probare: vel Ariſtippus ipſe, qui animam cum corpore interire dicebat, aut Epicurus, etſi negabat Deum curare mortalia: beneficio enim chriſtianæ pietatis cuncti naſcimur liberi, quo profectò ſecundum vitam ipſam, nihil cuiquam mortali aut optabilius, aut felicius contingere poteſt, vtpote quod omnes Ethnici deſiderarunt ſemper, hodieque permulti deſiderant populi. Vnde veriſſimè ille ait,

Non bene pro toto libertas venditur auro.

At ſtatim nati ex præcepto Seruatoris docemur, vt omnia quæcunque volumus vt faciant nobis homines, ſic & nos faciamus illis, atque diligamus alios ſicuti noſipſos. Per hæc mutuæ charitatis officia, ſunt nobis interdicta homicidia, furta, periuria, mendacia, adulteria, ſtupra, ac omnia denique mala, quæ ab homine in hominem proficiſci poſſunt. Item ne nos voluptatibus intemperanter immergamus, ſunt diuina præcepta, quæ noſtris abundè moderentur animis. Verùm quoniam nihil non parum gratè ſine comparatione laudatur, conſilium eſt aliarum quoque gentium mores & inſtituta ſummatim memorare, quo præ illis, noſtra ſancta eſſe oſtendamus, ac quid Ethnico Chriſtianus ſemper præſtiterit, planius faciamus. Apud Scythas, qui cum Aegyptiis de generis vetuſtate diu certarunt,

probro dabatur hominem non occidiſſe: quare
vſque à pueris humana cæde gaudentes, ca-
ptiuos immolabant, ſanguinémque eius pota-
bant, quem primum cæpiſſent, veſcebantur
carnibus demortuorum parentum. Sarmaticis
virginibus non prius nubere mos fuit, quam
hoſtem peremiſſent. Nomades mactare ſenio-
res parentes, eorúmque carnes crudas comeſ-
ſe ſolebant. Aegyptiorum fœminæ olim viri-
lia munera obibant, contrà viri muliebria,
inuicem genitalia membra honorantes, quòd
per ea inſtrumenta genus conſeruaretur hu-
manum. In Africa quoque & alij aliter, pe-
cudum ferarúmque ritu, populi vitam dege-
bant, qui plurimùm ſerpentum carnibus vi-
ctitantes bonarum omnium artium expertes
erant. Punicæ fœminæ quæſtum vulgato cor-
pore faciebant, dotis comparandæ cauſa. Aſia
quam dicunt minorem, vnicum ſemper fuit
ſeminarium vitiorum, repertis cuiuſuis gene-
ris ad corrumpendam vitam mortalium illece-
bris deliciarum. Quapropter Lacedæmonij lu-
xuriæ contemptores & laboris patientes, diu
ſuorum ciuium oculos, vti Max. Valerius ait,
à contemplanda Aſia retraxerunt, ne inuita-
mento eius capti, ad delicatius vitæ genus
prolaberentur. In Græcia conſuetudo fuit, vt
iis quibus ſatietate vitæ honeſta peteretur
mors, potio venenata ad hoc publicè aſſerua-



ta daretur. Quod ſanè longè importuniſſi-
mum poſt homines natos inſtitutum, inde in
Galliam tranſlatum, Maſſilienſes aliquandiu
ſeruarunt. Iidem Galli conſueuere pecunias
mutuas dare, quæ redderentur dantibus apud
inferos, perſuaſum habentes animos omnino
immortales talia commercia inibi habituros,
quò illis pecunia opus foret. Scotos Britanni-
cam gentem diuus Hieronym. aduerſus Ioui-
nianum, ait ſe vidiſſe in Gallia humanis ve-
ſci carnibus, & cum per ſyluas, porcorum gre
ges & armentorum pecudúmque reperirent,
paſtorum nates & fœminarum papillas ſolere
abſcindere, & eas ſolas ciborum delitias arbi-
trari. Hiſpani olim permiſſa re domeſtica fœ-
minis, rapinis inſeruire & armis fas ha-
bebant. Germanis idem fuit ſtudium: materia
enim munificentiæ erat, per bella & raptus,
non arare terram, nec expectare annum, ſed
prouocare hoſtes potius, & vulnera mereri pi
grum nempe & iners videbatur, ſudore ac-
quirere, quod poſſent ſanguine parare. Sed &
Romani, quanquam continentiæ amantiſſi-
mi, nonnulla habuere inſtituta minus lauda-
bilia: non enim publicè ſolùm, verumetiam
priuatim nihil agebant, niſi auſpicio prius
ſumpto. Item aſſiduis ſpectaculorum illecebris
iuuentutem maximè corrumpebant: nam cùm
iugiter agerent fabulas, quarum argumenta

maiore ex parte, ſtuprorum cōtinebant actus. iuuenes talia ſpectando, imitandi licentiam ſumebant. Quæ præterea inde per incautum ſerperent contagia vulgus, audi diuum Cyprianum ad Donatum ita ſcribentem: Adulterium diſcitur, dum videtur: & lenocinante ad vitia publica autoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo reuertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum ex histrionicis geſtibus? Ac id genus permultæ gentes inſtituta turpia feráque ſeruabant, quibus longè ab humanitate, manſuetudine, honeſtate habebantur, quæ pluribus perſequi, vt notiora, alienum inſtituti mei eſſe duxi. Nihil eſt item quod de ſingularum theologia repetamus, cū id in initio operis affatim proditum ſit, ne rurſum turpem impietatem potius quàm theologiam doceamus, cùm alij elementa, alij Solem & Lunam, alij animalia, alij deniq; ipſos mortales homines pro diis & haberent & colerēt. Sed Romanorum imprimis vana erat religio, qui Deos alios ad benefaciendum, vt Iouem, Iunonem, Pacem, Concordiam: alios ad minus nocendum, vt Veiouem, Febrem, Robiginem, Malefortunam, colebant: eadémq; ratione ſuis Imperatoribus, quãuis multò ſceleratiſſimis, aras ſacrabant. Et ſic cuncti mortales obuolu-





tis tenebris, tam turpiter delirabant. At vbi mundo lux vera, hoc eſt, Christus Seruator noſter affulſit, quæ illuminauit omnem hominem venientem, vt perhibet Ioannes, in hunc mundum, & in omnem ſimul terram Apoſtolorum ipſum Euangelicum dogma prædicantium exiuit ſonus, ac in fines orbis terrarum verba illorum, tunc vniuerſi iamiam reſipiſcentes veram religionem vltrò complecti cœpere, qui velut nouæ plantæ in lætiſſimum ſolum tranſlatæ, ſenſim ſylueſtrem exuerunt animum, ſeq; in florem ſuauitatis cœleſtis induêre. Per hunc denique modum ceſſauit illa veterum morum feritas, omnis prorſum vitæ turpitudo, omnis falſæ diſciplinæ informatio procul acta, in quorum locum Euangelica vita publicè recepta, ſancti & pudici mores paſſim admiſſi, laudata virginitas, coniugalis pudicitia, frugalitas, ſobrietas, iuſtitia, manſuetudo, pietas. Tot pariter bona religio Christiana apportauit, ita vt nemo mortalium omnium iure queat inficiari, quin eius inſtituta optima ſint, atque ad bene caſtéque viuendum efficaciſſima: nam hæc non armis, ſed ſalutari cœleſtique doctrina, integerrimæque vitæ exemplis, ſola potuit gentium omnium quamuis barbararum feritatem duritiámque mollire. Senſit hoc in ipſo primordio Tiberius Cæſar, dicente Tertulliano in Apologet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

loget. Tiberius, cuius tempore nomen Chri-
ſtianum in ſeculum introiuit, annuntiatam
ſibi ex Syria Palæſtinaque veritatem illius
diuinitatis detulit ad ſenatum, cum prærogati-
tiua ſuffragij ſui: ſenatus quia non ipſe pro-
bauerat, reſpuit: Cæſar in ſententia manſit,
comminatus periculum accuſatoribus Chri-
ſtianorum. Traianus quoq; itidem ſenſit, qui
certior factus à Plinio Secundo Bithyniam id
temporis obtinente, nihil mali in Chriſtianis
quotidie ad ſupplicium tractis reperiri, iuſſit
vt non inquirerentur, verum oblati punieren-
tur. Inſuper Hadrianus de Chriſto colendo,
interdeosque referendo cogitauit. Alexander
eum in ſuo larario (ita ſacrarium domeſticum
vocant) depictum habuit, vt ait Lampridius.
Meminit eiuſdem Tacitus in vita Neronis, &
Ioſephus libro Antiquitatum XVIII. quo-
rum teſtimonia facilè declarãt, iam tum Chri-
ſtum fuiſſe creditum Deum. Ex quo poſtea cun-
ctæ fere nationes etiam barbaræ, quæ olim in-
cultis moribus prauiſque inſtitutis nutritæ,
ac cacodæmonum præſtigiis obcæcatæ, bellui-
no propè ritu degebant, beneficio Chriſtianæ
pietatis per baptiſma in vnum paulatim coiue-
re, in vnámque Dei ciuitatem legibus ſanctis
diuinóque cultu præcellẽtem ſeſe ad vltimum
receperunt, iuſtitiam cæteráſq; virtutes cer-
tatim colentes. Sed agè, iam dicamus &
trium

triumphos, quos noſtri ex ipſis gentibus repor-
tarunt. Apoſtoli rempubl. Chriſtianam con-
dituri, qui cunctis æquè mortalibus ſibi con-
ſulendum putabant, vt ſunt diuino ſpiritu ſu-
pernè accepto communiti, variiſque linguis
ſimul imbuti, prouincias inter ſe partiuntur,
vti alibi à nobis eſt perappoſitè declaratum,
non vtiq; armis oppugnaturi quenquam, ſed
ſumma innocentia, multa pietate, ſumma
charitate. Itaque alij aliò terrarum profecti,
Thomas Parthos, Matthæus Aethiopes, Bar-
tholomæus Indos citeriores, Andreas Scy-
thas, Ioannes Aſiam, Petrus Pontum, Ga-
latiam, Bithyniam & Cappadociam, in ſuam
ſidem redigunt, docéntque cui regi viuo ac
immortali perpetuò pareant. Adſciſcitur in
hanc militiam haud multò poſt Paulus vir Iu-
dæus, cognomento Tarſenſis, quod capta à
Romanis patria, cum parentibus Tarſum,
quæ Ciliciæ eſt, migraſſet. Is tam conſilio
bonus, quam Moſaicæ legis peritus, & ex ho-
ſte factus religionis amicus, eáque ſola arma-
tus, ſe Damaſco mouet, CHRISTI nomen
longè latéque prædicatione propagans, in Cy-
prum proficiſcitur, vbi poſt certamen, quod
Paphi cum Barieſu mago habuit, Sergium
Paulum inſulæ proconſulem ad veri Dei cul-
tum duxit. Ex Cypro digreſſus, Antiochiæ
primò, mox Iconij multos mortales concio-
nando

*nendo ad chriſtianam adiunxit rempublicam. Lyſtræ inde in Lycaonia, cùm claudum ab infantia ſanaſſet, Lyſtrenſes illi & Barnabæ eius ſocio, qui & diſcipulus Domini erat, rem diuinam tanquam duobus diis facere voluerunt: at Paulus dux verbi id fieri inhibuit, dicens ſe mortales eſſe, non deos, negánsque diuinos honores hominum cuiquam conuenire. Secundum hæc, Piſidia & Pamphylia peragrata, Hieroſolyma venit, Petri ſalutandi cauſa: nec diu inde Hieroſolymis fuit, ſed cum Sila, quem ſibi comitem adſciuerat, per Syriam & ciliciam, Derben venit, & Phrygia, Galatia, ac Miſia peragratis, Troadem iter intendit, & Troade inde in Macedoniam, & demum poſtquam multa omnibus terris circunquaque mirificè egiſſet, Hieroſolyma rediit, vbi Iudæorum iniquitate in vincula coniectus Romam mittitur, quò Petrus iam diu antea venerat, qui euangelium prædicans, primordia nouæ cœpit fundare religionis. Quod opus ita inchoatum Paulus nauiter iuuit. Sic hi duo inclyti duces in vrbe terrarum regina, chriſtianæ republic. fundamentum iecerunt, ſedémque locarunt. Et apoſtoli Domini cum reliquis diſcipulis, tales ab initio retulere triumphos, triumphos inquam longè illis inſigniores, quos olim Roma ſuis decernebat ducibus: iſti enim*

homi



*[h]ominum cæde, illi ſalute acquiſiti. Secuta eſt [i]nde huiuſce gloriæ ingens mortalium cupi[d]a multitudo, quæ periculorum omnium, ac [m]ortis contemptrix, nullam vnquam vrbem, [n]ullam gentem eſt aggreſſa, quam benefactis [ſ]uis non expugnarit. Porrò hæc erant arma: Induebat pro ſe quiſque loricam iuſtitiæ, porr[i]gebat ſcutum fidei, caput obtegebatur galea [ſ]pirituali, muniebantur aures conſtantia, ne [a]udirent edicta feralia, erigebantur in cœ[l]um oculi, ne conſpicerent deteſtanda ſimula[c]hra, renitebat frons ſigno crucis aduerſus ma[l]os dæmones, pallebant ora ieiuniis contra car[n]is petulantiam, lingua Euangelicæ doctri[n]æ mellita dulcedine illita, CHRISTVM intrepidè vbique canebat. Signa militaria e[r]ant, obuiis omnibus humanitas, manſuetudo, patientia, laborúmque tolerantia. Bellum verò non pro principatu adipiſcendo, ſed pro re[l]igione tuenda, pro rectè viuendi ratione in[e]unda, vniuerſis indicebatur vitiis: & præ mi[l]itia hac, cuncta alia omnes iuxtà ſpernenda ducebant. Eorum autem militum princeps extitit Stephanus ille protomartyr, cum quibuſ[n]is priſcorum belli ducibus comparandus, qui quod præmium meruerat, ſuis patefaciens, Ecce, inquit, video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei, quò cuncti certa[t]im pleni non refugerent pro nomine IESV*

cont

Universidad de Deusto
Biblioteca



contumeliam ac mortem pati: quod & certa-
tim fecere: ſtatim enim præter apoſtolos, alij
alibi duces ea induère arma, reipublicæ Chri-
ſtianæ fines propagandi ſtudio. In Aſia Poly-
carpus Smyrneus antiſtes, & Ioannis Zebe-
dæi diſcipulus, vna cum duodecim alijs clariſ-
ſimis viris, martyrio coronatur. Ignatius
Antiochenus epiſcopus ad beſtias inde dam-
natus, compluréſque alij. Romæ interim alij
principes ob patriam cœleſtem ſunt vulnera
paſſi, Nereus, & Achileus fratres homines
Romani, Proceſſus & Martianus milites, quos
in carcere Petrus baptizarat, Nazarius, Tor-
quatus, & Marcellus, & Apuleius, qui Simo-
nis fuerant Magi aſſectatores, item Linus, Cle-
tus, Clemens, Alexander, Sixtus, Caliſtus,
Vrbanus, Cornelius, Sixtus II. Pont. Rom. &
cum iis Laurentius Leuita, ac innumerabilis
credentium multitudo. Quo ferè tempore in
Africa, Cyprianus Carthaginiēſis epiſcopus,
Imperator longè inuictiſſimus, cum ingenti
militum CHRISTI numero martyrio coro-
natur. Et alter militiæ dux Dionyſius Alexan-
drinus antiſtes pari ſucceſſu fortiter pugna-
uit. Ac ab initio poſt Domini diſcipulos, tales
Chriſtiana reſpublica ſortita eſt belli duces,
longè mehercule excellentiores quam illi quon-
dam fuerint, Curiones, Fabij, Scipiones, Ca-
milli, Alexandri atque Annibales, quòd hi
videl-



videlicet vinci poterant, illi non poterant, vt
virtus ad præmium cœleſte ſemper prompta.
Quid, quòd nec minus ad mortem animi fœ-
minis noſtris fuit? quarum principes fuere à
principio, Flauia, Domicilla, Euphroſyna,
Theodora, Sabina, Cæcilia, Romanæ puellæ.
Item alibi per id tempus, Apollonia virgo Ale-
xandrina, cum ad rogum iam ſucceníſum, in
quo cremanda erat, ducta eſſet, repentè è ma-
nibus impiorum proſiliens in flammam ſeſe vl-
trò coniecit, ita vt perterrerentur ipſi quoque
crudelitatis autores, quòd promptior eſſet ad
mortem fœmina, quàm perſecutor ad pœnam.
Hinc iam deſinamus mirari Mutij Scæuolæ
dexteram, quam ad ignem torruit, quòd non
intermiſſet Porſennam, cùm Apollonia totum
igni dediſſet corpus, vt ſuo incendio hoſtes e-
tiam ad cognitionem veræ pietatis trahendo,
perpetuis liberaret flammis. Non tacebimus
& Sophroniæ nobile letum: iſta enim Roma-
na matrona à Maxentio per vim oblato ſtu-
pro, cum ſuum corpus ab ea labe aliter tueri
non poſſet, ſibi manum intulit, Lucretiæ animi
robur æmulata. Sed magis piè Dorothea virgo
egit, quæ in idem diſcrimen adducta, maluit
ſuum corpus alieno, quam ſuo cadere ferro ne
tyranni ſtuprum pateretur. Et ſexcentæ præ-
terea fuere fœminæ ad huiuſmodi decora ſtu-
dio religionis excitatæ, quæ tales in hoſtes
Chriſ-

Universidad de Deusto Biblioteca

Chriſtianæ reipublicæ geſſere animos, nõ ter
rè quòd illos offenderent, ſed vt ſuo periculo à
miſerabili interitu vindicantes, ab impietate
ad pietatem reuocarent. Fuere itidem viri vn-
decunque conſummatiſſimi, qui partim beni-
gnitate temporum in quæ inciderant, partim
tyrannorum ſeſe remittente in noſtros furore,
non ſenſere martyrium, qui propterea quòd
in confeſſione veræ religionis perſtitiſſent,
confeſſores ſunt dicti, & ij ſummis virtutibus
clari, eam cumprimis illuſtrarunt. Atque ita
ſenatus populuſque Chriſtianus ex quatuor
ab initio conſtitit hominum ordinibus, ex apo
ſtolico, martyrum, confeſſorum, & virgineo,
in quibus ſumma ſummarum gloria fuit, vt
per pia atque inclyta facta, tam viui, quàm
mortui meruerint clarere miraculis. Ex quo
nullum eſt cuiuſuis & virtutis ſectandæ &
vitij deteſtandi fugiendiue exemplum, quin
illud ipſum à noſtris quiſque queat mutuari
ampliſſimum, quando ab apoſtolis & marty-
ribus iuxtà diſcimus fidem, iuſtitiam, ſapien-
tiam, fortitudinem, patientiam, conſtantiam,
ſeueritatem, abſtinentiam, frugalitatem, pau-
pertatem, ac diuitiarum voluptatúmque o-
mnium contemptum: à confeſſoribus, huma-
nitatem, clementiam, amorem coniugalem,
fidem ſeruandam, amicitiam, liberalitatem,
pietatem communiter aduerſus omnes, item
ſtudium



dium, induſtriam, eloquentiam, cunctáſ-
ue æquè bonas artes: à virginibus verò pu-
icitiam, modeſtiam, caſtitatem, verecun-
diam. Imò cùm vnus iſtis ferè omnibus orna-
us fuerit dotibus, à ſingulis omnia edocemur,
elut ab vniuerſis generatim commonemur
degere omnem ætatem à crudelitate, ira, odio,
uaritia, ſuperbia, inuidentia, perfidia, teme-
itate, impudentia, luxuria, & libidine va-
uam. Palàm igitur eſt, ſolam Chriſtianam
rempublicam ad extremum perfectum viuen-
di modum introduxiſſe. Videant proinde qui
ex officio debent cùm factis, tum dictis, Chri-
ſtianum populum intra huſce vitæ viuendæ fi-
nes continere, quantum peccati, quantum cri-
minis ſit illum agere deuium peſſimis morum
exemplis, vnde laxatis rerum habenis, omnia
ſimul vitia in ciuitatem Dei erumpant, quibus
cum perpetuum ſit domi bellum, quò modis o-
mnibus diſtineamur, mulierúmque ritu alter
cantes, ſinamus religionis hoſtes multos paſ-
ſim populos reipublicæ adimere noſtræ, ac in
ſuam redigere ditionem, ditionem certè illo-
rum mox animas miſerabiliter perdituram.
Non eſt tamen de ditione dimicandum. Sanè
Chriſtianus ſenatus ex doctrina Domini,
qui, Regnum meum, inquit, non eſt ex hoc
mundo, non quærit terrenum, at cæleſte im-
perium: non hominum opes, ſed ſalutem, in



ſuum

ſuáinque poteſtatem cunctos venire mortales non cogit, verùm allicit. Nihil igitur mirum, ſi interdum aduerſus Turcas & Saracenos duos hoc tempore pietatis Chriſtianæ truculentos hoſtes, minus valemus armis, vtpote humanis, cùm ſpiritualibus ſit nitendum: quippe ſi illi odorarentur, nos ſecundum euangelicum dogma viuere, aliquidve veræ pietatis ſcintillæ in multis illorum relucere, qui innocentia, iuſtitia, manſuetudine muniti deberent ante omnes ſummo amplificandæ tuendæque religionis deſiderio ardere: item ſi ſæpius ſacris concionibus peterentur, eſſentque qui eos hortarentur, haud dubiè iam mitiores effecti, à nomine Chriſtiano non vſqueadeò abhorrerent, cùm homines ſint, & quamuis propoſiti tenaciores, queant bonis monitis adduci, vt ad veritatem reſpiciant: nam ea eſt integritatis vis, vt facilè quemuis moueat. Quid enim vnquam natura creauit, ne altius repetamus, crudelius Athila Hunnorum rege, qui tamen Leonis primi pontificis Romani ſanctitate victus, Romanis pacem reddidit, & ex atrociſſimo hoſte, humanique cruoris appetentiſſimo, vnius hominis precibus eſt mitiſſimus factus? Nec minus valuit nomen probitatis Benedicti abbatis apud Totilam Gotthorum regem præferocem. Is enim capta vrbe Roma, in Caſſinati ſe illi obtulit, ignoto veſtitu, vt



ius ſanctitatem experiretur, à quo nihiloſecius cognitus, quamuis alter in comitatu eſſet regifice indutus, admonitúſque eſt, ne victoria crudeliter vteretur, ita vt fecit: nam dicto obtemperans, ab omni deinceps iniuria conſultò abſtinuiſſe dicitur. Diuus item Gregorius potuit Gothos ipſos iam Arrianos factos bonis monitis ab errore reuocare: potuit & Anglos ſic molire, vt deinde ſint ſua ſponte religionem complexi: adeò cuncta probitati parent. Ac ad hunc modum noſtra ſpiritualis reſpubli. hoc eſt, Chriſtiana religio vt præſtantior, reliquas omnes velut humanas diſſoluit, diſſoluétque perpetuò, ſi qui eam docent, cumprimis ritè ſeruarint.

LIBRI OCTAVI FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca



# POLYDORVS

## VERGILIVS VRBINAS IOANNI ROFFENSI EPISCOPO S. D.

Dominicam precem quoties, optime Episcope, recito, recito autem ſæpiſsime, non poſſum non alios ignauiæ, alios temeritatis condemnare, quòd eam velut ieiunam, & vulgò communem facilè prætermittant, vel forma olim à patribus data minus contenti, varios in ſingulos dies precandi modos multò poſt hominum memoriam verboſiores introducant, vt ſacerdotes præſertim infinitum pſalmorum numerum, ac bene multorum diuorum vitas, tametſi parum interdum ad fidem ſcriptas, recitando, ne otientur, perinde quaſi ita negotiantes multum proficiant, qui ſæpenumero feſſi magis recitandi finem cupere, quàm quòd legunt, attendere coguntur: quos ſi tale munus ſecundum Chriſti præſcriptum, breuiloquentes faceret, plus omnino otij haberent, quod ſacris literis darent, quas imprimis populum docere debēt.





Et illud quidem facere, quemadmodum diuus
Cyprianus affirmat, non ignorantiæ ſolùm
eſt, ſed etiam culpæ, dicente ipſo Seruatore:
Reijcitis mandatum Dei, vt traditionem vo-
ſtram ſtatuatis? & Tertullianus hunc orandi
modum legitimum appellat, quem Chriſtus
omnibus iuxtà dedit, quo per ſe quiſque po-
ſceret à Deo, quod ad humanæ pariter atque
diuinæ, vitæ rationem pertineret, quem pro-
fectò nemo homo ſatis vnquam planum face-
re poterit, vt myſterijs quæ in eo inſunt co-
gnitis, non ſint, qui ſecus quàm Chriſtus do-
cuerit, orandum iudicent. Igitur cum nuper
animi gratia, ruri eſſem, venit mihi in men-
tem eam dominicam precē interpretari: quod
quanquam iam inde fermè ab initio orti E-
uangelij, diuus Cyprianus, deinde Auguſti-
nus ac plerique alij fecere, tamen cum aliena
facilius quàm noſtra obliuiſcamur, ex vſu
meo id futurum duxi, vt cùm ita orarem, my-
ſteria longè equidem ſanctiſſima quæ in ea
prece inſunt, ſua quaſi ſponte in meum ſimul
influerent animum. Et quia ſecundum te o-
ptime Roffenſis epiſcope, non eſt quiſquam
omnium, cuius integritatem, grauitatem, pro-
bitatem magis mirer, obſeruem, colam, quam
mei Roffenſis, viri cùm omnium bonarum ar-
tium ſtudijs eruditiſſimi, tum hominis cunctis
cæteris rebus multò ornatiſſimi, ſtatui hunc

Universidad de Deusto
Biblioteca



*noſtri ruſticani otij fructum, ſi quis ſit, ſaltem bonis adoleſcentibus, vt ne mihi cum opinioſiſſimis ſophiſtis res vlla in hac parte eſſet, tuo nomine impertiri. Quod æqui boniq́ue facias, iterum atque iterum oro, cùm alia nulla ratione poſſim officium erga te meum præſtare. Si igitur hoc quicquid eſt commentarioli, poſtquam guſtaueris, tibi ſtomachū non mouerit, iam tutò foras dem, licebit. Vale. Londini, Nonis Nouembris, M.D.XXIIII.*

POLY

# POLYDORI VERGILII VRBINATIS IN DOMINICAM PRECEM COMMENTARIOLVM.

CHRISTVS *Seruator noſter apud Matthæum, cap. VI. ait: Tu verò cùm oras, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum. Hoc ille proponit, quò conſtet Deum vbique locorum eſſe, vt quiſque fide munitus in arcano oret, & id vacuo animo faciat, quòd alibi per hominū ſtrepitum mentem, qua omnis noſtra actio regitur, colligere minus queat. Hinc cognoſcere licet, oportere nos ex animo precari, & precando non habere extrinſecus viuendi rationem, quemadmodū faciunt aliqui, qui vt templum ingreſſi ſunt ſingulis diuorum imaginibus ad pedes iacent, laborant, ſudant, vt quò magis ab integritate alieni ſunt, hoc propiores religioni videantur. In occulto proinde orandum eſt, hoc eſt, in id negotiū de animi ſentētia incumbendū, vbi Deus nobiſcum eſt,*


*teſte*

Universidad de Deusto Biblioteca



teste Ioãne, qui epiſtola ſua inquit: Quiſquis
cõfeſſus fuerit, quod Ieſus eſt filius Dei, Deus
in eo manet, & ipſe in Deo. Non eſt ergo, quòd
aliquò terrarũ pergamus, Dei quærendi cau-
ſa, qui vbi nobiſcum eſt: quod nonnulli minus
ſentiunt, quos voluptatis, non itẽ pietatis gra-
tia, adeò delectat peregrinatio, vt alij aliò
percurrant, quò alicuius diui imaginem vi-
ſant, nihil interim mentem ad Deum erigen-
tes, contra colendi formam olim à patribus da-
tam, quæ eiuſmodi eſt.

Nam Deus eſt, quod imago docet, ſed non
Deus ipſa.
Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis
in ipſa.

Et ibidem donaria mirantur, mauſolea, hoc
eſt, pretioſa ſepulchra ſuſpiciunt, in quos rectè
equidem illud Perſianum torqueri poſſet:

O curuæ in terris animæ, & cæleſtium
inanes,
Quid iuuat hoc templis noſtros immittere
mores?

Atque demum toto itinere, ſe lautè, nitidè,
ampliter paſcunt, ac ne in triſtitia ſint, ſan-
nionem aliquem vel ſcurram, vt ne dicã ami-
cas vel amatores, in comitatu habent qui ri-
ſum moueat, qui acutè & facetè dicta dicat,
qui feſſos animos recreet. O laborem inanem:
debemus enim ea potiſſimum de cauſa pere-





grinari, vt vacui à domeſticis curis, per quas
interdum non licet de altera vita cogitatio-
nes ſuſcipere, corpus labore domemus, atque
rationi ſeruire cogamus, & dona dare, quæ
ſecundum Chriſti præceptum, inopibus vſui
eſſe poſſint. Ad propoſitum reuertor. Deinde
ſubijcit: Orantes autem nolite multum loqui.
Idem apud Ioannem, modum precandi docet,
cùm inquit: Spiritus eſt Deus, & eos qui ado-
rant eum, ſpiritu ac veritate oportet adora-
re. Si igitur ſpiritu colendus eſt Deus, non
vtique multis cum eodem verbis agẽdum, nec,
vt inquit Cyprianus, clamoribus admonen-
dus, quia non vocis, ſed cordis auditor eſt.
Quamobrẽ fertur Athanaſius epiſcopus Ale-
xandrinus, olim inſtituiſſe apud ſuos Ale-
xandrinos, vt ſacerdotes ſacros hymnos in
templis recitantes potius more legentiũ quàm
canentium, id officij præſtarent: cuius forma
chori bene cũ præcepto Chriſti conſentit, quæ
vtinam etiam nunc duraret, vt ne in templis
per ſymphoniacos cantores ſtaret, cur minus
verba ſacra exaudirentur, aut ne videremur
in re hac veteres atque adeò imitari, quando
apud Romanos, teſte Liuio ab vrbe condita,
mos fuit, vt vel tibicines ſacrificijs præcine-
rent. Poſtremò ſic, ait, orate:

Pater noſter.) Appellant patrem Deum filij. Ii ſunt filij, qui baptizati ſunt, qui credunt Chriſtum eſſe filium Dei, ſecundum illud: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem, vt filij Dei fierent, qui credunt venturum tandem aliquãdo tempus, cùm aut benefactorum præmio, aut malefactorum pœna afficientur. Et proinde decet, vt nos humanarum rerum obliti, ad mandata patris exequenda incumbamus, vt ne videamur contrà atque eſt in Euangelio, in terris quærere patrem.

Qui es in cœlis.) In cælo eum eſſe dicimus, quem rebus omnibus longè beatiſſimum putamus: ita Deo principalem ſedem eo loci damus, quòd ab eo ſalutẽ expectamus, qui ſumus in terra, quæ ſcelerum omnium arca exiſtit, vbi cuncta calamitatis & miſeriæ plena ſunt. Quare Chriſtus volens nos conditionis noſtræ à primo monitos, docuit, vt orando eò animum intenderemus, vnde ſummum manaret bonum. Modus item loquendi non ſine myſterio eſt: nam cùm non liceat cuiquam dicere, Pater mi, ſed noſter, & humilis æquè vt potens Deum vocet patrem, iam nos per id fatentes vnum habere patrem, cogimur perinde ac fratres inter nos amare, viciſſimque iuuare, atque contemptui habere neminem, qui Chriſto credat, quò ſic intelligamus nobis æquabiliter



æquabiliter pro omnibus orandum. Pudeat
eum igitur, qui alteri nocet, qui alienum &
peregrinum odio perſequitur, qui quòd di-
nes, quòd nobilis ſit, inopem fratrem ac minus
clarum deſpicit, contemnit, conſpuit, quòd cõ-
tra ſuum veniat teſtimonium, fratribus ma-
leficium inferendo, ac inter eos concordiam
diſiungẽdo. Vocamus inſuper Deum patrem,
vt ſecundum illud primum diuinæ legis præ-
ceptum, Vnum cole Deum: & quartum, Vene-
rare parentes, ei omni tempore honorem ha-
beamus, ſicut filij debent obſeruare parentes.
O improbos bene multos, qui immemores offi-
cij, tantum abeſt vt Deum venerentur, vt etiã
parum ira commoti, in eum maledicta impu-
denter nefariéque conferant.

Sanctificetur nomen tuum.) Longè
equidem ſanctiſſimum eſt nomen Dei, ac ob id
nihil eſt, quod optemus per nos ſanctum fieri:
ſed cùm Dei nomine, baptiſmatis aqua à prin-
cipio purgatiſſimus, & inde duce natura, quæ
infirma eſt, facilè delictis turpemur, ſancta
purgatione quotidie indigemus, ac idcirco vt
puri continenter efficiamur, neceſſe habemus
& inuocare, & colere Dei nomen, vt ſan-
ctum fiat in nobis, vt ne illud contrà, quàm
eſt ſecundum præceptum, Per Dei nomẽ haud
fruſtra deierato, vituperemus, ad fraudéſve
doloſve malitioſè adducamus, quod impij,
quod

Universidad de Deusto Biblioteca

quod ſceleſti, quod nefariũ homines faciunt. Quid, quod ita vſu venit, vt ne olitor quidem beluellas, id eſt, herbas minutas, quæ in vſu cibario ſunt, prius ſoleat vendere, quàm ſemel atque iterum Deum, eiúſve diuos teſtatus fuerit? Sanctum ſit itaque nomẽ Dei apud nos, cùm illud à peccato vacui (quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris) celebramus, obſeruamus, in honore habemus: plus nempe non eſt, quod Deo præſtare poſſimus, vel ille à nobis exigat. Tranſlatio à filijs ducta, quibus cùm ſecundum parentes nihil gratius, nihil iucundiùs, nihil amabilius ſit, quàm quod illis honoris acceſſio fiat, quò eorum nomẽ perpetuetur, ſitq; familiæ in æternum ornamẽto: ita nos qui Chriſti Seruatoris beneficio, meremur Deum nominare patrem, vt erga eum amorem habere teſtemur, cupimus eius nomen celebrari, & regnum quamprimum venire, ac malorum dæmonum poteſtatem, apud mortales olim permagnam ſimiliter atque pernicioſam ſicut nos lib. de Rerum inuentoribus v. cap. VIII. demonſtrauimus, infringi, tolli, deleri. Vnde illud:

Adueniat regnum tuum.) Duplex eſt regnum: alterum mundi, cuius principes ſunt mali dæmones: teſtis eſt Chriſtus apud Ioannem: Nunc princeps huius mundi eijcietur foras; in quo nos verſamur: alterum Dei. Idem

Seruator:

[Se]ruator: Quærite primùm regnum Dei, [V]ſque eò igitur in regno mundi verſamur, [d]um nobis regnum Dei veniat: venit autem [I]ſu venire incipit, cùm in nobis viuit, & regnat Deus, quod fit, cùm puri & ſancti in ſpe ſummi boni fruendi acquieſcimus. Vnde Apoſtolus ad Galatas: Viuo tamen, non iam ego, ſed viuit in me Chriſtus. Ad iſtuc nos regnum caſtè, piè, ſanctè viuẽdo nitimur: ſic officij memores reddimur, vt nobis optimum finẽ optemus: ſic longum tempus cùm non erimus, nos monet, vt iamiam velimus diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ſicut Apoſtolus ad Philippenſes ſcribit. Nimirum non iniuria poſcimus à Deo ſalutem, ad quam incumbimus, iter noſtrum in cœlum conferentes: nam tum nobis regnum Dei venit, cùm rectè viuimus, cùm poſtremò perpetuam ſalutem conſequimur, ſecundum illud diuinum oraculum: Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis ab origine mundi. Quod illi minus faciunt, qui gaudent in regno mundi, loco tametſi ſcrupuloſo & difficili, diu eſſe, vtpote qui in rebus tantum humanis ad voluntatem fluentibus acquieſcunt, obliti futurum modò omnibus tempus, cùm aliò è vita migrabunt. Sed dices, Haud ſe alio migraturos rentur, ac idcirco non eſt regnum aliud, ad quod ſibi aſpirandum putent. Certè vereor, vt ita ſit: ſi

enim

*enim aliter ſentirent, tempus aliquando eſſe
ducerent, ſe de illa perpetua, non de hac exi-
gua vita cogitare. Et in hac erroris naui im-
primis verſantur, qui nullum temporis pun-
ctum à peccato vacuum præterire patiun-
tur, qui vtinam ad extremum reſipiſcant, vt
verè cum alijs precari queant, regnum dei
venire.*

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in
terra.) *Voluntas dei eiuſmodi eſt, vt nos eius
mandata curemus, exequamur, conficiamus:
& id rogamus, quò nobis qui in regno mun-
di ſumus, & regnum dei quærimus, perinde
facere liceat, vt in cœlo ſit, vbi voluntate dei
nihil non rectè geritur. Et quamuis ita ver-
ba ponantur, vt videamur cupere ſic futu-
rum eſſe, vt in manu dei ſit facere quod ei lu-
bet, perinde quaſi ſit alter quiſpiam qui ei im-
peret, tamen contrà eſt. nam cùm ſit ille opi-
fex rerum & mundi melioris origo, petimus,
vt noſtra voluntas cum eius voluntate con-
iuncta ſit. Hic poſſet quis non extra locum ar-
gumentari de libera hominis voluntate, quam
arbitrium dicunt, cùm petitur, vt regamur
nutu dei, & eius ope protegamur. Verùm
iſtuc minimè hoc agitur loco, & ideo rurſus
reuertor eòdem. Magna in nos accuſatio, qui
cùm petimus vt nobis liceat omnia ex volun-
tate dei facere, tacitè fatemur contra eam
venire*

*venire: aliter enim fruſtra rogamus, Fiat vo-
luntas tua. Atque id præſidium petimus, quia
naturalibus affectionibus ducti, velimus no-
limus, otium magis quàm laborem, ſatietatem
quàm eſuriem, voluptates quàm curas cupi-
mus, amamus, amplectimur. Vnde vſu venit,
vt nihil apud nos ſit factu propè difficilius,
quàm vt quis ſua ſe voluntate abdicet: quod
ſit, cùm præcepta dei obſeruandi cauſa, nos re-
frænamus libidines, ſpernimus voluptates,
auaritiam coërcemus, iracundiam tempera-
mus, cæteráſque animi labes repellimus, ſo-
briè, caſtè, continenter viuendo. Atqui vnus
aliquis dicet. Quotuſquiſque inuenietur tan-
ta virtute vir præditus, qui iſta paruo nego-
tio præſtare potuerit? Proinde nos noſtræ in-
firmitatis conſcij, quorum voluntates vt ve-
hementes, ſic crebrò variæ, inconſtantes, ad-
uerſariæ ſunt, rogamus deum vt in hac vita
quæ ſicut Iob veriſſimè ait, militia eſt, hoc eſt,
plena ſolicitudinis, ne noſtris affectionibus
acti erremus, peccemus, delinquamus, ſed no-
ſtri actus propè tales ſint in terra, quales ſunt
illorum, quos beatos vocamus, quos in cœlo eſ-
ſe credimus. Atque ita per hoc monemur in o-
mnibus rebus agendis, implorare diuinum nu-
men, quo munitis nobis, partim per malos dæ-
mones, qui ſemper præſto ſunt, vt noceant,
partim per impotentiam carnis, quæ teſte
Apoſtolo*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apoſtolo ad Galatas, cum ſpiritu ſemper conflictat, liceat rectè ſapere, vitámque ſpiritualem degere, perinde quaſi iam in cœlo eſſemus. Eſt item vſus, vt dicamus, Fiat voluntas tua, cùm negotium aliquod, quod gerimus, Deo commendamus.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.) Nunc de alimento corporis agitur, quod ex anima & carne conſtat: cuius cibi genus triplex eſt, ac vnum quodque à Deo petendum. Cibus animæ eſt verbum Dei, de quo Chriſtus apud Ioannem ait: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum. Edimus autem panem Chriſti, cùm credimus eum eſſe filium Dei. Vnde illud: Qui credit in me, habet vitam æternam. Et hunc panem ſacerdotes aſſiduè cõcionando nobis ſuppeditare debent. At dices: Heus tu, quomodo ſacerdotes tot paſcere poſſunt, cùm ipſorum longè maxima pars ſit literarum minus ſciens, & populi numerus infinitus? Ad iſta nos quoque conniuemus: ſed qui tam inertes deligunt miniſtros, viderint, cùm maximè omnium aduigilare deberent, vt ne religionis cauſæ omni tempore indormire dicerentur. Alter cibus, id eſt, panis noſter quotidianus, eſt euchariſtia, quam noſtri iam inde ab initio, teſte Cypriano, quotidie ſumere cõſueuerant: & cum

petimus



petimus cibum ſalutarem, quia cùm per illum cum Chriſto coniungamur, qui ait: Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: vt ne intercedente aliquo delicto, cœleſti pane ſubitò priuati, ab eodem, noſtro merito, ſeparemur: id quod accidit illis, quibus ſacrificiis interdicitur, hoc eſt, qui excommunicantur, vt vulgò dicitur. Mos itidem apud noſtros à principio fuit, vt mane & ieiuni panem iſtum ſuperſubſtantialem eſſent, vt Hieronymus in Matthæum legit, licet Seruator veſperi conſecrauerit, ac diſcipulis iam cœnatis dederit, quòd Chriſtus mane paſſus, mane reſurrexerit. autores Cyprianus, & Tertull. libro ad vxorem II. nam inde, teſte diuo Hieronym. aduerſus Iouinianum, omnium noſtræ religionis myſteriorum initium manauit. At demum eiuſmodi ambroſia, id eſt, cibo diuino quem vocant, Apoſtolus admonet, vt quiſque poſtquam ſe rectè probauerit, inueneritque purum ac ſanctum, feliciter veſcatur. Proinde qui cogunt ſacerdotes quotidie id facere, hinc intelligere poſſunt, ſe contra Apoſtoli conſilium ſeruitutem illis imponere. Sanè haud ſcio, quî fieri poſſit, vt ſacerdos homo, non Deus, & vt propheta ait, mendax, queat omnibus horis purus eſſe, quemadmodum eſſe debet qui diuinam

 rem

Universidad de Deusto Biblioteca

rem facit: cæterùm faciant quotidie permulti purè, piè, ſanctè, at non nemo non item, qui fortaſſe malum malo addit, vt ſanctior habeatur, vt apud omnes in cœlum feratur rumore vulgi, qui id longè certiſſimum eſſe innocentiæ indicium exiſtimat. Tertius verò cibus carnis eſt, de quo intelligit Apoſtolus ad Timoth. ſcribens: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Et hunc panem vocamus, quia omnis victus in pane conſiſtere ex eo cenſetur, quòd ſine eo, nullas ferè alias ſumamus eſcas. O miſeram vitæ humanæ conditionem, quæ adeò nobis breuis incertáque eſt, vt non liceat cuiquam eam ſibi diutius momento horæ duraturam pro certo habere: quare cibum hodiernum tantum petimus. Sed cùm quotidie, imò ſemper, vt Lucas euangeliſta ait, oporteat nos orare, per hoc in omnes vitæ annos alimentum rogamus. Rogamus autem, vt hoc beneficium Deo acceptum referamus: nam quamuis multo noſtro labore vtrunque panem nobis comparare nitamur, ſecundum illud Geneſeos, In ſudore vultus tui, veſcêris pane tuo: tamen alterum, id eſt, ſpiritualem guſtare, hoc eſt, Dei intelligentiam habere nequimus, niſi ab ipſo imbuamur: quod teſtatur Apoſtolus ad Corinth. ſcribens: Oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor ho-

minis



minis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Nobis autem &c. Cæterùm panis mentio à Chriſto facta, videtur eſſe parabola: qua ille more ſuo vſus ſit ad ſenſum enucleatè explicandum, qui eiuſmodi eſt. Pater rogamus te, qui cœleſtis es, vt perinde nobis des panem, id eſt, animi cibum, vt paterfamiliâs prouidet alimentum corporis ſuis filiis: quò ſic Chriſtus in hac ſanctiſſima prece non videatur eſſe locutus de pane frumentaceo, id quod pluribus viris doctis ſummè probatur. Ac ita quotidie precari nos oportet, cum quotidie neceſſe habeamus vnum & alterum cibum capeſſere, & id imprimis diebus feſtis, qui ea de cauſa conſtituti ſunt, ſicut in noſtro de rerum inuentoribus opere planè demonſtraui, quò eos precibus ac diuinarum literarum ſtudiis daremus, ſecundum illud tertium præceptum, Sabbata obſeruato. Verùm quota hominum pars dies feſtos rectè agit, cùm non aliud fermè tempus hodie magis detur omnis generis ludis, choreis, amoribus, compotationibus, aleis, pactionibus, atque nundinis? Propterea haud dubiè expediret, vt ita tandem prouideretur, quò illi aut caſtius agitarentur, aut ſaltem minuerentur, vt ne laſciuæ iuuentuti tantum amplius otij eſſet, ſeſe contra præceptum Domini damnoſis artibus exercendi, corrum-

 pend

Universidad de Deusto Biblioteca

*pendíve, ſi malum aliter ſanari minus poſſet.*

Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.)

*Ecce lex illa naturæ omnium regina, quæ iubet, vt ne id alteri facias, quod tibi fieri non vis: quæ complectitur reliqua illa quinque præcepta, Hominē ne occidas, Adulterium nō committas, Furtum non feceris, Nil alienum concupiueris, Ne falſum dixeris teſtimonium. Bone Deus, quale de nobis iudicium facere quotidie cogimur! Quot mortales ingentes in ſingulas horas darent pœnas, ſi quod petunt, maturè conſequerentur? Non, inquam, maturè conſequuntur, quia apud Deum ſemper eſt pœnitenti veniæ locus, ſed ſuo tempore, & tamen cùm plectuntur, velut cæci non vident, non animaduertunt, non conſiderant recentem pœnam eſſe veterum ſcelerum: de quibus iampridem confeſſi fuiſſent, cùm ſæpiſſime dixerint, Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Hinc igitur monemur primùm mitti à nobis veterum iniuriarum memoriam, antequam ita precemur: deinde in poſterum tempus abſtinere manus ab alterius iniuria, ac ab omnibus malis, quæ ab homine in hominem proficiſci poſſint. O legem æquam, quæ nos mutua coniugat charitate, quæ vt ſol in mundo, ſic in vita mortalium cuncta nutrit,*

*auget,*



*auget, fouet bona. Appellamus autem hîc debita, commiſſa noſtra in Deum, ſumpta metaphora à creditoribus, qui ſoleant debitas pecunias illis remittere, qui ſoluendo non ſunt, rogamúſque ipſum Deum patremfamiliâs, vt ea nobis ſic ignoſcat, quemadmodum nos eius familiæ filij, alij aliis iniurias condonamus. Proinde Seruator ſubiicit: Si remiſeritis hominibus peccata ſua, remittet & vobis Pater veſter cœleſtis. Si autem non remiſeritis, nec Pater veſter remittet. Iſta equidem vera eſt ſatisfactio, quæ ex cordis adyto proficiſcitur, veráque delictorum remiſſio.*

Et ne nos inducas in tentationem.)

*Oramus præterea, vt Deus ne patiatur nos ſic tentari, quò ſuperemur: nam ſexcenti nos circunſident hoſtes continenter inſidias facientes, quorum principes ſunt ſenſus, qui ſecundum illud Geneſeos, Senſus hominis proni ad malum, nos aſiduè ſolicitant: per oculos enim ad ſuperbiam, ad auaritiam, ad libidinem rapimur, cùm videmus alios præ nobis honoribus, alios opibus multò beatiſſimos eſſe, formoſiſve puellis oculos adiicimus, per auditionem ad iram prouocamur, cùm publico hominum ſermone vapulamus, per guſtatum, ebrietati indulgemus, per tactum, per odoratum, molles ac diſſoluti efficimur. Affectus item nos diuexant, perturbant, diſcru-*

Universidad de Deusto Biblioteca

ciant. Malus quoque dæmon præſto vbique eſt, vt nos ad facinora trahat. Proinde vt ne in hæc mala incidamus, diuina ope nobis opus eſt: nam volente Deo tentemur neceſſe eſt, quò ſic de nobis periculum fiat, dicente Chriſto apud Ioannem: Nullam haberes in me poteſtatem, niſi data tibi eſſet deſuper. Sanè idcirco tentamur, vt ſi boni inueniamur, præmium: ſin mali, pœnam meritam habeamus. Sed omnis huius clauſulæ vis eò pertinet, vt noſtræ imbecillitatis ſemper memores ſimus, quò ſi quid bene agamus, illud ipſum Deo acceptum referamus: ſi quid mali, nobis aſſignemus, qui ratione nobis diuinitus data abutamur.

Sed libera nos a malo.) Concluſio totius noſtri negocij apud Deum eſt, vt nobis incolumitatem præſtet, quò in eius tutela acquieſcere poſſimus, ac ita à vitæ animique periculis, quæ continenter malorum dæmonum operatione impendent, ope diuina liberati, tandem ſalui ſimus: nam articulus hoc loco poſitus ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, perſonam diaboli ſignificare videtur, cuius proprium eſt tentare.

Amen.) Hebraica vox eſt amen, & hoc loco ſignificat fideliter, ſiue verè. & ſenſus eſt: Vt iſta omnia nos fidei pleni tuo iuſſu pater ora

nimus



nimus: ſic tua freti bonitate certum habemus noſtri optati fore compotes. Iam ſatis conſtat hunc eſſe modum longè poſt homines natos perfectiſſimum precandi, quicquid nobis bono, ac deprecandi quicquid malo futurum eſt. Plus vtique quam iſta à Deo petere ac precari nequimus.

COMMENTARIOLI IN DOMINICAM ORATIONEM FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

# RERVM AC VERBORVM TOTO HOC OPERE CONTENTORVM INDEX.

## A

ABagarus ſcripſit ad Chriſtum, vt ſe ſanatū veniret, pagina 573
Abies admirationis præcipuæ. 269
Abſtentes qui, & quare dicantur. 387
Acolythi, ſeu Acoluthi. 340
Adulterij cauſa. 688
Adulterorū pœna. 295
Aegyptij vnde dicantur 18
Aegyptij primos homines apud ſe natos perhibent. 11
Aegyptij Deorum genus apud ſe primum fuiſſe gloriantur. 5
Aegyptij primi omnium diis aras, ſimulacra & delubra ſtatuere. 31
Aegyptiorū literæ quales. 270
Aëromantia quid. 98
Aes quis primùm fabricarit. 189
Aeris inuentor. 189
Aethiopes à quo nominati. 18
Aethiopes primi hominum creati. 12
Aethiopes nunquam ab externis regibus ſub-

acti. 31
Aethiopum in deos pietas & religio. 31
Agonalia feſta. 535
Agriculturæ repertor. 213
Aleæ ludum quis primū excogitarit. 165
Alexandriæ in Aegypto conditor. 146
Albatorum ordo quomodo cœperit. 625
Altare primum quis fecerit. 448
Alui purgationis autor. 84
Amphiaraus augur. 102
Amphitheatrum quid. 272
Anchoræ inuentor. 288
Ancile è cœlo lapſum, regnante Numa. 400
Angariare quid. 495
Anglorum in celebrandis nuptiis mos. 26
Anglicarum mulierum oſculo ſalutandi conſuetudo. 395
Annales quondam Romæ pro hiſtoriis habebantur. 55
Annatarum inuentio. 656
Animas defunctorum pietate ſuorum releuari. 502
Animalia occidere quis inſtituerit. 232
Animalia herbas ac remedia nonnulla hominibus commonſtrarunt. 93
Animalibus quis primum nomina impoſuerit. 232
Annus magnus. 131
Anni ratio quàm varia fuerit apud priſcos. 131
Annum qui primi conſtituerint. 129
Annos numerandi varij apud gentes modi. 81. & 82
Annulorum origo. 195. 196

Annua



Annua ſacra martyrū. 544
Antennarum repertor. 288
Antiochenum conciliū. 674
Antonius Eremita. 595
Antonianorū ſecta. 652
Appelles hæreticus. 665
Apoſtoli in cœna ſacerdotes fiunt. 345
Apoſtoli à Chriſto initiati. 344
Apollo cur Pythius dictus. 162
Apollinis ſimulacrū in Delo. 64
Apollinares ludi quando inſtituti. 407
Apollonia ſeſe vltro in flammam conyicit. 695
Apophoreta vnde dicta. 172
Aprorum in morbis remedium. 91
Aquæ conſecratio. 463
Aquam in Euchariſtia miſceri vino quis docuerit. 479
Aquilo vētus vnde nomen habeat. 77
Arabum regis filiæ hiſtoria memorabilis. 21
Arabum in ducendis vxoribus conſuetudo. 21
Aræ primitus anſæ dictæ. 233
Arachnes fabula. 240
Aramei à quo nomen ſortiti. 18
Arbores in Italiam aliunde trāſlatæ. 228
Arborum rami virides, cur Calend. Maij ante domos ponantur. 417
Area lapidea Romæ inuenta. 146. & 680
Archagathus medicus primus Romæ. 86
Architecturæ origo. 250
Arcuum inuentores. 153
Areopagitarum magiſtratus. 118
Argenti repertor. 188

Argenti

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

Argenti primus ſignator. 192
Ariſtocratiam qui primi conſtituerint. 115
Ariſtocratia quando cœperit Romæ. 120
Arithmeticæ origo. 79
Arma qui primus fabricauerit. 152
Arrij hæreſis. 667. & 675
Artem nauigandi quis reperit. 285
Aruales ſacerdotes. 402
Aruſpicinæ artis origo. 100
In quibus ea verſetur. ibidem, & ſeq.
Aſciæ repertor. 281
Aſſyrij à quo ſint appellati. 18
Aſtrologiæ initium vnde ſumptum, & qui eius inuentores. 74 & ſeq.
Aſylum à quibus primò conſtitutum. 271
Aſylū quo pacto Chriſtiani vtantur. 273
Athanaſius cantores tẽplo eiecit. 308
Athila Hunnorum rex. 698
Atlas cur cœlum humeris ſuſtinere dicatur. 74
Atomi vnde dicti. 9
Auguria cur dicta, & à quo primùm inuenta. 102
Augurū collegium ſumma religione cultum apud Romanos. 103
Auguſtiniani eremitani. 606
Auiaria quis primū inſtituerit. 238
Aulæa ornamenta vbi primùm excogitata. 241
Aureum diadema olim epiſcopis offerebatur. 355
Auri intexendi modus per quem oſtenſus. 242
Auri conflaturæ inuentor. 189






Aurum vbi, & à quo primum inuentum. 188
Aurum cur palleat. 188
Auſpicia vnde dicātur. 101
Annulus ſacerdotibus olim datus quid ſignificet. 355
Azimorum dies qui fuerint. 453.

B

Babylonij filias ſuas ad quæſtum corpore faciundum adigebant. 292
Babyloniorum ægrotos curandi ritus. 87
Bacchanalia ſacra. 293. & 403
Baculus cur olim epiſcopis datus. 355
Balſamum in ſola Iudæa naſci. 424
Baptiſmus infantium ab apoſtolis introductus. 330
Baptizati à Ioanne de nuo baptizabantur. 328
Baptiſmatis primus vſus. 326
Barbam aut comam ſacerdotibus nutrire vetitum fuit. 358
Baſilides Cerdo hæretici. 665
Belus rex vt Deus cultus. 30
Bellicarum machinarum autores. 154
Benedictinorum deſcriptio. 599
Bernardus Caſtilionēſis. 602
Bigas qui primum inuenerint. 157
Biretri autor latet. 300
Biremem quis primùm fecerit 287
Bombardæ inuentor. 155. & 298
Bombardæ vſus Venetis primùm indicatur. 154. & 155
Vnde nomen habeant.

Universidad de Deusto Biblioteca

beant. 115
Bombardæ repertoris nomen cur occultetur. ibidem
Bombyces apud Seres. 246
Bonæ Deæ ſacra. 402
Boreas vnde nomen adeptus. 77
Bonorum hominũ ordinũ origo. 618.619
Boues ad aratrum quis primũ iunxerit. 217
Breuiatores à quo creati. 655
Breuium ſcriptorum collegũ autor. 655
Brigidenſium monacharum initium. 617
Bucolici carminis inuentor. 49
Bullarũ inuentio. 654
Vnde dicta. 656

C

Cadauerum ablutio, & vnctio. 549
Cadmus in Græciam primus literas attulit. 35
Cœleſtinorum ordinis origo. 603
Caietanorum ſectæ initium. 633
Calatrauenſium militum religio. 624
Calchas augur. 102
Calices ab initio quales. 166
Camaldulenſium religio quando orta. 600
Campanæ inuẽtor ignoratur. 298
Canonicorum veſtitus. 608
Canonici regulares. 606
Capita cur aperiamus magiſtratibus. 391
Carcerem primum quis ædificarit. 129
Cardinaliũ origo. 363
Carmelitanorum ordinis origo. 610
Carmentalia ſacra. 535
Carnes ſub Saturno nõ comeſtæ. 234
Cartuſianorum origo. 609
Caſtitatem coactã quæ mala ſequãtur. 434
Catechumeni vnde dicti. 334
Cauea, pars media theatri. 276
Cauponam qui primi aperuerint. 213
Cecrops primus Atticæ rex, & Moſi æqualis. 43
Cecrops iuxta fabulas, matrimonij autor. 20
Celecis nauis inuentor. 288
Cenſum qui primus inſtituerit. 125
Cenſum agere, quid. 127
Centaurorũ fabula vnde orta. 158
Cephas vocabuli interpretatio. 494
Cerimoniæ vnde appellatæ. 488
Cerealia à quo inſtituta. 403
Cerui à phalangio percuſſi, cancros edendo ſibi medentur. 91
Chalcedonenſe concilium. 675
Chananei à quo nomẽ inditum. 18
Chartæ, quibus ſcribendo vtimur, vnde fiant. 146
Chartarum variæ genera. ibidem
Chelidoniam hirundines docuere. 91
Choreas ducendi mos. 41
Chorus vnde appelletur. 509
Chiromantia quid. 99
Chirothecæ cur olim epiſcopis datæ. 355
Chirurgiæ inuentor. 85
Chriſtianæ abſtinentiæ in cibis capeſſendæ forma. 527
Chriſtianæ Reipub. origo

Universidad de Deusto Biblioteca

go & incrementum. 316
Chriſtianorum XVII. millia diebus XXX. ſupplicÿs affecta. 510
Chriſtianos, eorúmque ædes vngendi conſuetudo. 422
Chriſtiani cur dies feſtos conſtituerint. 538
Chriſti ſacerdotium quale. 423
Chriſmatis materia. 424
Chryſippi de Deo opinio. 4
Cinerum conſecratio. 519
Circe magiæ perita. 95
Circerorum autor. 288
Circini autor. 182
Circuncisionis forma & origo. 323
Ciſtercienſium monachorum familia. 601. 602
Citharæ repertor. 65
Ciues Romani in quinque claſſes diuiſi. 125
Ciuitatũ nomina quando immutata. 17
Claræ virginis congregatio. 615
Claſſes ciuium Roman. quinque, & quanti vnaquæque ſit æſtimata. 125. & ſeq.
Claſſe quis primùm depugnauerit. 288
Clauum pangendi mos apud Romanos. 81. & ſeq.
Clauium inuentor. 281
Cleopatra quomodo cũ Antonio extremis coronæ floribus venenatis luſerit. 184
Cleopatra centies centenis ſeſtertÿs cœnata. 237
Cluniacenſium ordo. 600
Clyſteris vſum vnde didicerint medici. 92
Cœnobiorum conditor primus. 595
Co inſula Aeſculapio dicata. 85
Collegÿ breuium ſcriptorum autor. 655
Collegia ſacerdotum inſtituta. 381
Collegia virginum vnde exorta. 391
Colores quis inuenerit. 209
Comœdia vnde dicta. 50
Comœdiæ principium. 50
Comœdiæ nouæ autores. 52
Comœdias atque tragœdias agendi modus. 275
Compatres in baptiſmo teſtes. 331. 332
Conceptiuæ feriæ. 535
Concilium Nicenum. 675 Romanum. 673. Antiochenum. ibid. Chalcedonium. 675. Conſtantianum. 677. Conſtantinopolitanũ. 675. Bizãtium. 676. Epheſinum. 675
Concilia quando publicè haberi cœperint. 673
Concionandi perfectus modus. 470
Concumbendum quando ſit. 296
Confeſſio ſecretior. 501
Confeſſio annuaria à quo conſtituta. 504
Confeſſionis publicæ initium. 501
Confirmationis initium. 332. & 425
Confraternitatis ſectæ primordium. 626
Congiaria dona. 409
Corbona quid. 405
Coronæ vnde olim fieri conſueuerint. 182
Coronarum varietas. 182. & 183
Coronarũ repertores. 181
Corinthus hæreticus. 664
Conſualia feſta. 535
Conſules Romæ primi, & vnde dicti. 120

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cribrorum excogitatores. 219
Crux honori eſſe quando cœperit. 449
Crucis ſigno ſe munire, vnde ortum. 561
Crucigeri monachi quãdo cœperint. 6:1
Cryſtallus lapis à quo inuentus. 200
Cubiculariorum inſtitutio. 378
Cultus Dei qui maximus. 456. & ſeq.
Curruum repertor. 157
Cymba excogitatio. 288
Cyprianus martyrio coronatus. 694
Cyrenaicus atheos. 4

D

Daemones effugandi modum qui primus docuerit. 96
Decemuiri quando primum Romæ creati. 122
Decimarum cauſa. 579
Decimis opes non parari debent. 586
Declamator quis. 58
Dedicatio templorum. 454
Delubra quis primum ædificarit. 255
Democratia quãdo Romam irrepſerit. 122
Denarius diurnus. 128
Denicales feriæ. 537
Dentis euulſionem quis excogitarit. 84
Deo immolandi pecora mos. 231
Deorum origo. 1
Deos colendi ritus vnde effluxerit. 29. 30. 31. 32. 33
Deus iuxta Epicurum mortalia non curat. 4
Diaconi. 340
Diadema, regium inſigne, à quo primum inuentum. 114
Diagoras Athenis cur expulſus. 679
Dialecticæ autor. 72





Dialogos quis introduxit. ibidem
Dictator quis primus Romæ creatus. 121
Dictamus herba, extrahendis ſagittis conducit. 91
Didimus Grammaticorum princeps. 43
Digamus olim ad officium ſacerdotii non admittebatur. 356
Diœceſes epiſcopis diſtributi. 361
Diuinandi duo genera. 99
Diuortium quando licitum. 25
Diuortiũ autor quis. 24. & ſeq.
Diuortiũ libellus. 24
Diuortiũ inter Iudæos & Romanos diſcrimen. 25
Doliorum excogitator. 283
Domos luteas qui primi ædificauerint. 251
Dorothea martyrio coronatur. 695
Drachma. 128

E

Eccleſiæ principiũ. 305
Elamitæ vnde dicti. 18
Eleemoſynæ vſus quando cœperit. 513
Eleemoſyna cui danda. ibidem
Electrum vbi primùm inuentum. 200
Encenia Iudæorũ. 454
Euchariſtia quando inſtituta. 477. 478
Enos primus nomẽ Domini inuocauit. 33
Epicuri impia de Deo opinio. 4
Epiſcopi vocabulũ. 349
Epiſcoporũ creatio quibus olim cõmiſſa. 374
Epulum dandi conſuetudo. 415
Epulones à quibus creati. 401
Equitandi artem quis pri-

Universidad de Deusto Biblioteca



primum compererit. 156. & 157
Eremus à quo primùm habitari cœpta. 592
Eremitanorum ordinis principium. 618
Erichthonius vnde dictus. 158
Eſſæi vnde dicti, & eorum inſtituta ac mores. 592
Eſſeni abſque coniugibus vitã degebãt. 23
Ethnicus quid ſignificet. 495
Ethnicorum ſacra tribus purgationibus conſtabant. 504
Ethicæ inuentor, & quid eius propriũ. 72
Eutyches dãnatur. 675
Excommunicationis inuentio. 386
Excommunicandi vſus à Druidibus Gallorum ſapiẽtibus vſurpatus. 387
Exequiæ vnde appellatæ. 553
Exhomologeſis quid. 503
Exorcizatores Solomon inſtituit. 341

F

Fabricæ materiariæ inuentio. 281
Fabulam quis primus recitandam dederit. 275
Faſtorum dierum origo. 537
Feciales ſacerdotes. 400
Feriæ ſtatiuæ. 535. conceptiuæ. ibid. Imperatiuæ. 536
Feriæ vnde nuncupatæ. 527
Ferramẽta ruſtica quis compererit. 218
Ferrum qui primi fabricarint. 189
Feſti dies apud chriſtianos cur cõſtituti. 538
Feſtorum dierum apud Rom. origo. 535





Feſtis diebus conuiuia præbendi amicis conſuetudo. 537
Feſta agonalia. 535
Carmentalia. ibid.
Conſualia. ibi.
Feſti nouendialis origo. 536
Fiſtulæ inuẽtor quis. 65
Flamines ſacerdotes à quo inſtituti. 396
Flamines vnde dicti 397
Flori crudelitas in Iudæos. 557
Flora dea quomodo & à quibus culta. 402
Fœderis iciendi varij modi. 175. & 176
Fœderum olim tria genera. 175
Fœderum repertores. 174
Franciſcani à quo orti. 613
Fulloniæ artis repertor. 240
Funebres ludi à quo inuenti. 165
Funebris orationis autor. 266
Funebris pompæ deſcriptio. 555
Fundarum vſum quis primùm monſtrarit. 153
Fuſos in lanificio quis repererit. 241
Frumenti inuentio. 215

G

Galli olim mutuum dabãt pecunias, apud inferos ſibi reddendas. 687
Gazophylacium quid. 495
Gemmæ quo tẽpore cœperint eſſe pretioſæ. 197
Genitalia virginũ faſcijs olim ſuccincta. 27
Genios ſingulis binos attribuit antiquitas. 2
Geomantia quid. 99

Universidad de Deusto Biblioteca



Geometriæ autores qui. 79
In quibus verſetur. 280
Glutini repertor. 281
Gothicæ gentes vnde appellatæ. 18
Græci in conuiuio cum mulieribus non accumbebant. 236
Grãmatici olim omniũ ſcriptorum cenſores. 43
Grandimontenſis monachorum ordo. 601
Gymnici ludi. 165

H

Hæreſes quando primum ortæ. 663
Hæreſis & ſchiſma quomodo inter ſe diſcrepent. 666
Hæreticus quis dicatur. 662
Hæreticorũ pœna. 670
Harmonias vocum quis inuenerit. 60
Harpagonarum autor. 288
Haſta cur quondam nubentis capiti impoſita. 27
Hebionis hæreſis. 665
Hebræi vnde dicti. 306
Herbæ & remedia nõnulla ab animalibus homini indicata. 90. & 91
Herbarum mira virtus. 89
Herbariæ medicinæ inuentor. ibid.
Herbariæ rei ſcriptores primi. 92
Hercules Nymphæ amore captus. 248
Heroicum metrum vnde nominatum. 48
Hieronymi vita. 604
Hieronymiani monachi. 605
Hippagines naues quis repererit. 188
Hippocrates medicinã omnino perditam in lucem reuocauit. 85
Hippopotamus vt morbidum corpus exoneret. 91. & 92
Hiſtoriæ primus ſcriptor. 53. & 54
Hiſtoriæ componendæ regula. 56
Hiſtrionibus vnde nomen inditum. 275
Homo dei ſimulacrũ. 14
Homines ex qua materia creati. 12
Hominum prima origo. 10. & 11
Hominum natura ſyderibus ſubiecta. 73
Honorum qui Romano pontifici habẽtur origo. 370
Horas canonicas quis inuenerit. 505
Horologij autor incognitus. 298
Hos anna quomodo Latinè reddatur. 495
Humiliatorum ordo in Germania. 602
Hydromantia quid. 99

I

IAnus primus Latinorum rex cur gemina facie fingatur. 132
Ieiuniũ in quatuor anni tempora diuiſum. 521
Ieiunium XLVI. dierum. 420
Ieiunij initium. 511
Ieiunij ſolennis ratio. 527
Ieiunij quartæ & ſextæ dierum hebdomadæ inuentio. 525
Ieiunio vnde nomẽ inditum. 514
Ieſus quonã pacto vnctus. 422
Ieſuatorum ſectæ initium. 617
Ignatius ad beſtias damnatus. 694
Ignes crebros Cal. Martij faciendi conſuetudo. 418
Ignis myſterium. 455
Ignis inuentor. 190

Universidad de Deusto
Biblioteca



Igniſpicij repertor. 100
Imagines cereas offerēdi ritus. 411
Imperare bene difficile. 113
Imperatoris eligēdi poteſtas archiepiſcopis facta. 376
Imperatores creandi poteſtas penes pontificem Romanum fuit. 375
Imperatorū conſecrandorū mos Romæ qualis fuerit. 265
Imperatiuæ feriæ. 536
Impoſitio manuum. 346
In Auibus tria quondam diuinandi genera. 102
Incantationes quibus ægritudines mitigari ſolent, quis ediderit. 96
Indulgentiæ quādo celebres eſſe, & à quo tradi cœperint. 649
Induciarum excogitatores. 173
Infantes à ſupplicio viuere incipiunt. 61
Inguinibus tumeſcentibus homines quando perierint. 559
Inſtitores. 291
Iochobel Moſis mater. 95
Iouis nutritor Meliſſus. 30
Iſis Deus Aegyptiorum. 5
Iſthmij ludi à quo nominati & inuenti. 163
Iubilei anni autor. 627
Iubilei origo apud Hebræos. 651
Iudæi à Iuda appellati. 306
Iudæorum luctus. 546
Iurādi modus per Euangelium. 386. Per Iouem. 385
Iurandi mos apud Hebræos. ibid.
Iuſiurandum quod maximum fuerit. ibid.
Iuris ac legum ori-



go. 106. & ſeq.
Iuris diuiſio. 107
Ius creandi Rom. pontificis quando mutatum. 371. & 372
Iuriſiurādi Romæ olim apud factioſos confirmandi mos. 176
Iuſtinæ monachæ congregatio. 603

L

Labyrinthorum primi autores. 258
Lacedæmonij cur ab Aſia contemplanda ciues ſuos prohibuerunt. 235. & 686
Lacedæmoniorum regū ſeries. 115
Lanarum primi infectores. 241
Lanificij vſus à quo primum oſtenſus. ibid.
Lapidicinas quis primùm oſtenderit. 251
Lauatio pedū ante diē feſtum paſchæ. 395
Lauandi vſus veteribus frequens. 280
Lauandi manus cōſuetudo. 482
Lauri arboris dotes quædam præcipuæ. 229 & 230
Lectiſterniorum initiū. 406
Lectorum ordo à quibus initium cœperit. 341
Legis definitio. 106. & 107
Leges mortalibus alij alijs primùm dederunt. 108. & ſeq.
Legum ac iuris origo. 107. & ſeq.
Lembi inuentio. 288
Leporaria à quo condita. 298
Linguarum varietatis exordium. 15
Lini inuentio. 240
Lintres Germani excogitarunt. 288
Litaniæ vulgò proceſſiones. 559

Universidad de Deusto Biblioteca

Litaniarum institutio-
nis forma. 561
Literarũ vſus ad quid
conducat, & à quo
primum inuentæ. 34.
& ſeq.
Luciferi natura à quo
inueſtigata. 76
Ludiones. 275
Ludi funebres. 165
Ludorum genera apud
Græcos. 160
Lugendi ratio apud Iu-
dæos. 546
Lugendi mos apud Ro-
manos. ibid.
Lugentium veſtitus.
147
Lunæ curſum ac defe-
ctũ qui primus mon-
ſtrarit. 75
Luſtricus dies. 331
Luſtrum conditum. 127
Lutherus declaratur hæ-
reticus. 669
Lydi à quo nuncupa-
ti. 18
Lydios, Dorios, & phry-
gios modulos quis in-
uenerit. 64. & 65
Lydorum filiæ vulgato
corpore quæſtum fa-
cientes, dotem ſibi
compararunt. 22
Lyrici poëtæ vnde di-
cti. 64

M

MAcedonius, Eudo-
xus, & Maca-
rius Antiochenus dã-
nantur. 675. & ſeq.
Macrobius notatur. 124
Magiæ ſex ſpecies. 98
Magicæ artis origo. 93
Magiſtratibus cur ca-
pita aperiamus. 391
Magnus Alexand. qui-
bus rebus mortali-
tatem intelligebat.
296
Mahometanæ ſectæ pri-
mordiũ, leges, ac in-
ſtituta. 633. & ſeq.
Malcolmi Scotorũ prin-
cipis optimi factum.
22





Mali & antennæ au-
tor. 188
Manumiſsionis formu-
la. 118
Mari quis primùm im-
perauerit. 285
Marmoris fodiendi cau-
ſa. 252
Marcion Stoicus hære-
ticus. 665
Martyribus cur annua
ſacra inſtituta. 544
Martyrũ palmam qui
primum tulerint.
678
Materiariæ fabricæ ex-
cogitatio. 280
Matrimonium à ſacer-
dote non conſecra-
tum pro inceſto ha-
beri. 441
Matrimonium ab ini-
tio qua ratione con-
trahi ſolitum ſit. 435
Matrimonium occiden-
talibus ſacerdotibus
interdictũ. 432. 433
Matrimonũ fœdus chri-
ſtiani ſanctius colũt
quàm olim Hebræi.
23
Matrimonij ius in pote-
ſtate parentum eſſe
debet. 441
Matrimonij origo. 20
Matrimonij qui fue-
rint veterum ritus.
25. & 26
Matrimonij vſus va-
rius. 20. & 21
Matrimonij ſacerdota-
lis origo apud He-
bræos. 426
Matrimonia contrahen-
do qui cognationis
gradus prohibiti.
438
Matrimonia cum con-
ſanguineis contra-
cta. 21
Matrimus. 25
Maximus circus. 279
Medicus Romæ primus
quis. 86
Medici vrbe & Italiæ
pulſi. ibid.
Medicinæ medicamen-
tariæ repertor. 89

Universidad de Deusto Biblioteca



Medicinæ autores dij. 85
Eiuſdem diuiſio. 85
Medicamina omnia ma li ſucci eſſe, ſtomachumque lædere. 90
Megalenſes ludi. 404
Melica medicina à quo inuenta. 90
Mellis colligendi vſus cui tribuatur. 227
Meliſſus Cretenſiũ rex, ſacrorũ pompas primus introduxit. 31. & 32
Membranæ à quo repertæ. 147
Membranæ vnde nomẽ habeant. ibid.
Memoria qui olim claruerint. 149
Memoriæ artis inuentio. 148. & 149
Menãder Samaritanus hæreticus. 663
Mendicantiũ ordo. 607
Mendicãtiũ autor quis. ibid.
Menſæ inſtructæ conſecratio. 534
Menſuras quis inuenerit. 80
Mercaturæ initiũ. 289
Mercurius literarum in Aegypto autor. 34
Meretriciam artẽ Venus inſtituit. 292
Metri autor. 47
Militaris artis primi inuentores. 152
Milites diui Iacobi. 623
Militum ſacrorum origo. 619
Minerual munus. 404
Minij inuentio. 200
Minimorum ſecta à quo inſtituta. 624
Miſſa, vox Hebraica. 487
Miſſa finita, cur pronuntietur, Ite miſſa eſt. 485
Miſſæ ſacrificium qui adauxerint. 480
Miſſilia dona ſpargebantur. 409
Mitra bicornis. 355





Molendini inuentor incognitus. 300
Monachos quis omniũ primùm nouis legibus obligarit. 597
Monaſticæ vitæ principium. 590
Monaſticus ordo quando tribus votis obſtrictus fuerit. 597
Montanus hæreticus. 665
Monteſiæ militum ſectæ initium. 624
Montoliuetenſes monachi quando cæperint. 601
Mopſus augur. 102
Mortui ad tubam ferebantur. 554
Mortuorum anniuerſaria iuſta à quo inſtituta. 549
Mortuorum animas pietate ſuorum releuari. 552
Mortuis iuſta facienda quis primum omniũ curauerit. 546
Mortuos non lugendos. 552
Moſ'olami Iudæi factũ. 102
Mulieres in honorem Deorũ ſtupratæ. 459
Mulieribus velato capite templum olim non licebat ingredi. 390
Mulieribus Romanis cur olim vini vſus interdictus. 394
Mundus ſecundũ philoſophos ingenitus. 11
Mures in Thebaidis agro naſci. ibid.
Muros quis primus fecerit. 254
Murex piſcis, qui & cõchylium dicitur. 248
Muſica veluti virorum effœminatrix, olim prohibita. 62
Muſicæ inſtrumẽta quis in Latiũ primus attulerit. 68
Muſicæ inſtrumẽta qui inuenerint. 63. et 64
Muſicam quis primus repererit.

reperierit. 59

N

Natalis dies. 536
Natalis dies ſacrorum quid. 414
Natalitijs dominicū, ex domeſticis regē creare, vnde ortum. 419
Nauis inuentor quis fuerit. 286
Nauis onerariæ autor. 282
Nauis longæ fabricatio. 287
Nauigandi ars cui accepto ferenda. 286
Nazaræorū ſecta. 357
Necromantia quid. 98
Nefaſti dies. 537
Nemeæi ludi vnde dicti. 163
Neomenia quid. 352
Nemroth Babylonis tyrannus. 116
Nendi artem quis docuerit. 240
Nero Petrū atque Paulum morte affecit. 680
Nero. Romam incendit. 681
Neſtorius hæreticus dānatur. 675
Nicenum cōcilium. 675
Nicolaianorū hæreſis. 663
Nili incremētum, atque ex eo præſagia. 79
Niniuitarum initium. 626
Ninus Aſſyriorum rex, primus Aſiæ imperio potitus eſt. 115
Nocturna ſacra ſemper dannata. 524
Nomadum, parentes ſenio confectos mactādi mos. 686
Normæ excogitatio. 281
Notarij Romæ qui res martyrum ſcriberēt, quando conſtituti. 377
Notarios apoſtolici ærarij quis crearit. 655
Nouatiani hæreſis. 687
Damnatur. 674
Nouendialis feſti origo. 536



Nouēdialis ſacrificij pro demortuis initium. 550
Nudipedalia ſacra apud Iudæos inſtituta. 557
Numæ Pompilij pietas. 316
Numa Pompilius nouæ religionis autor Romanis. 32
Numerorum repertor. 85
Numiſma cenſus. 128
Nummum aureum & argenteum quis primum ad vſum percuſſerit. 192
Nundinæ paganorum. 536

O

Obeliſcus quid. 267
Obeliſcus vbi primum erectus. ibid.
Obeliſci varijs notis inſculpti. 270
Obſeruantium ordinis principium. 615
Oleæ Mineruæ inuentrix. 225
Officiorum diuiſio inter reliquos initiatos. 381
Olympici certaminis inuentores. 160
Olympici certaminis quale præmium. 161
Oppidum primus omnium Cecrops condidit. 253
Orantes cur capita aperire debeant. 391
Orandi modū quis primus docuerit. 464
Orandi modus per calculos. 466
Orandi vera ratio. 465
Oratoris & Rhetoris diſcrimen. 58
Orationis ſolutæ primus conditor. 54.55
Orcheſtra. 296
Orgia ſacra. 32
Orpheus Orgia ſacra primus

Universidad de Deusto Biblioteca

primus in Græciam introduxit. ibid.
Oſcilla ex cera ſictilia. 413
Oſcitatio vnde proueniat. 560
Oſculo ſalutandi mos. 394
Oſiris Deus Aegyptiorum. 5
Oſtenta quæ dicantur. 101
Oſtiariũ. 341
Ouandi cauſa. 179

P

Palamedes literarum numerũ auxit. 35
Pallium quid ſignificet. 380
Pallij quo vtebantur olim epiſcopi, deſcriptio. ibid.
Panis conſecratio. 583
Panos & Syringæ fabula. 65
Papa pedes deoſculandos porrigere vnde didicerit. 292
Papa vnde diuitias acquiſierit. 588
Paradiſus quid. 494
Parentatio annua quid. 550
Parochiæ quando preſbyteris diuiſæ. 361
Parochi magiſtratus apud Rom. 363
Patres patrati. 401
Patrimi qui. 25
Paulus & Petrus capite obtruncantur. 321
Paulus Samoſatenus in concilio damnatur. 674
Pauli Samoſateni hæreſis. 665
Pecora Deo immolandi mos. 232
Pecunia vnde appellata. 194
Pellibus caprinis & ouillis olim ſcriptitatum. 147
Perſecutores Chriſtiani ſanguinis referuntur. 678
Perpendiculi excogitator. 281
Perſonas induendi mos ante quadrageſimam. 419
Perſonas induere apud Angles, capitale. 419
Pœna eorum qui humanis hoſtiis non litaſſent. 459
Pœnitentia vera. 498
Pœnitentiũ ordinis initium. 615
Petaſum epiſcopi ferre quãdo cœperint. 368
Petrus apoſtolus in ſacerdotio prærogatiuam habuit. 347
Pharon cur cæcus factus, & quomodo viſum receperit. 268
Philoſophiæ origo. 70
Duo eius principia. 71
Diuiſio. ibid.
Philoſophorum innumerabiles de Diis ſententiæ vnde ortæ. 3
Phylacterium quid ſignificet. 494
Phyſica in quibus verſetur. 71
Piſtores Romæ quando eſſe cœperint. 217
Picturæ inuentor. 208
Piſcandi vſum quis tradiderit. 238
Plaſtices, id eſt figulinæ artis repertor. 209
Platonis de Deo ſententia. 8
Platonis lex de imaginibus faciendis. 579
Planetæ à quo diebus aſſignati. 528
Plebei ludi repertor. 408
Plumbum quis primum oſtenderit. 188
Poëticæ facultatis origo. 45
Poëtæ numine afflati. 44
Poëticæ artis præſtantia. 44
Pondera quis repererit. 80



Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



Pontifex maximus à quo primùm creatus. 399
Pontificum electio ad ſolos Cardinales hodie reducta. 373
Populorum nomina quādo immutata. 17
Popularis ciuitas à quo primùm inſtituta. 115
Potum ex hordeo quis primus confecerit. 224
Polygamia Hebræorum defenditur. 436
Prædicatorum ordinis primordium. 613
Præmonſtratenſes monachi. 611
Præcentorū autor. 341
Presbyteri unde dicti. 344
Presbyter niſi triginta annos habens fieri nō poteſt. 360
Presbyterorū ordo quando cœperit. 344
Presbyterorum ſecularium vita caſtitatis perpetuò ſeruanda. 598
Pſalmos alternis canere quis inſtituerit. 507
Pſallentium in templis reprehenſio. 508
Pſammetichi de primo hominum ortu mirabilis cognitio. 12
Primitiarum autor oſtenditur. 582
Primogenita cur Deus ſibi offerri præceperit. 581
Profeſti dies unde nominati. 51
Proſelytus quis. 49
Proſcenium. 27
Protagoræ de diuinitate dubitatio. 4
Protonotarij apoſtolici. 377
Puerperarum purgatio. 443
Pugna unde dicta. 15
Pugnare ex equo quis primùm docuerit. 158
Punicæ fœminæ, docent vulgato corpore quæ rebant. 686
Purgationes tres in Ethnicorum ſacris. 504
Purpura quid. 249
Purpura inſigne Roma. magiſtratuum. 249
Putreorum inuentio. 256
Pyramides ædificandi cauſa. 260
Pyramidum autores. 259
Pyrrhicæ ſaltationis inchoator. 163
Pyromantia quid. 98
Pythagoras Deum quomodo definierit. 3
Pythij ludi à quo conſtituti. 162

## Q

Quadrageſima unde dicta. 518
Quadrigarum repertor. 158
Quadriremis autor. 287
Quinquatria ſacra. 403

## R

Rates qui inuenerit. 285
Rex ſacrificulus. 401
Reges ungendi mos. 421
Reges cur rarò bene imperent. 115
Reges cur quondam ut dij culti. 29
Regum Romanorum inſignia. 124
Reipublicæ adminiſtratio trifariam diuiſa. 113
Religioſi qui. 31
Reliquiæ ſanctorum quando primùm honorari cœperint. 643
Religionis origo. 29. & ſequent.
Remi inuentor. 288
Rerum origo docetur. 8
Reſidentiarij qui vocentur. 382

Universidad de Deusto Biblioteca



Rhetoricæ artis antiquiſſimi ſcriptores. 57
Rhetorices origo traditur. 56
Rhetoricæ vis atque facultas. 57.58
Romana reſpublica ſub quo magiſtratu creuerit ac decreuerit. 120.
Romani an generatim Latinè locuti fuerint. 15
Romani decimas atque primitias dederunt. 586
Romani neptes vxores ducebant. 438
Coronati ludos ſpectabant. 185
Romanorum lugendi ratio. 546
Romanorum victus tenuitas. 529
Romanæ ciuitatis triplex regimen. 110. & 121
Romanū cōcilium. 673
Rom. pontifex omnium caput conſtituitur. 373
Romulus arnales ſodales inſtituit, ſeque duodecimum fratrem appellauit. 402
Remoaldus Rauennas monachus. 603
Rotam figulariam quis inuenerit. 210

S

SAbaoth, vocis Hebraicæ interpretatio. 494
Sabæi vnde dicti. 18
Sabellius hæreticus. 665
Sacerdotis conſecratio. 336
Sacerdoti iurare non licuit. 397
Sacerdotes & reges vngendi mos. 421
Sacerdotes cur olim verticem radere ſoliti. 356





Sacerdotum collegarum apud Anglos diuortium. 381
Sacerdotum deæ Syriæ ordo. 629
Sacerdotum Aegyptiorum veſtitus 353
Sacerdotibus barbā aut comam nutrire non permiſſum. 358
Sacerdotibus cœlibatus indicitur. 433
Sacerdotum Chriſti quale. 423
Sacerdotū apud Hebræos initium. 335
Sacerdotalis miniſterij ætas. 360
Sacerdotalium indumētorum vſus. 567
Sacrificij ſeptendialis pro demortuis origo. 550
Sacrificia humanarum hoſtiarum. 456
Sacrificandi ritus olim qualis. 233
Sacrificandi vſus vetuſtiſſimus. 451
Sacrorum primus ritus qualis. 451
Sagittæ à quo inuentæ. 153
Salē eiuſque vſum quis demonſtrarit. 238
Salu myſterium. 455
Sambucæ muſici inſtrumenti repertor. 67
Sanguinem mittere in morbis vnde homines didicerint. 91
Sarmaticis virginibus non prius nubere concedebatur, quàm hoſtem peremiſſent. 686
Saturnus Deorum parens. 5
Satyræ initium, & vnde dictæ. 51
Scapharum inuentio. 188
Scandalizare quid. 495
Scena cur inuenta. 274
Scenopegia Iudæorum. 474

Universidad de Deusto Biblioteca

Schiſmatum primus autor. 666
Scribendi vſum per notas quis repererit. 148
Scythæ probro dant, hominem non occidiſſe. 685. & 686
Seculares ludi a quo inuenti. 405
Seculares ludi vnde nomen habeant. 407
Secundæ menſæ à quo inuentæ. 235
Securis inuentor. 282
Sepulchri non delendi lex. 556
Sepulchrorum extruendorum forma. 555
Serici vſus. 245
Serpens æneus in deſerto. 571
Serram quis inuenerit. 282
Serui cur dicti. 117
Serui manumittẽdi formula. 118
Seruorum Deiparæ ordinis primordium. 616
Seruitium à quibus inuentum. 116
Sibylla vnde appellata. 407
Siclus. 128
Simon magus omnis hæreſis caput. 663
Simoniacorũ ſectæ principium. 660
Simulachrũ Magni Alexandri. 207
Simulachra cur inuenta ſint. 201
Simulachra ſingendi vſus à quo profectus. 202
Simulachrorum cultus apud Chriſtianos. 570
Socrates iam ſenex lyra inſtitui volebat. 62
Socrates cur damnatus. 679
Solitaurilia ſacra. 403
Soliſtima tripudia. 102
Solis & lunæ defectus qui primùm deprehenderint. 75. & 76
Somn[...]tion[...] docui[...]
Sophronia [...]cretiam im[...] 695
Sortium Prænes[...]rum origo.
Spheræ repertor. 7[...]
Sponſa cur domus coniugalis poſtes adipe ſuillo inunxerit. 28
Sponſæ cum conuiuis ex more coëuntes. 22
Spondeus pes carminis vnde dictus. 509
Spondeus, pes pontificum. ibidem
Staffa nouum inuentum. 249
Stationes ſacras qui primũ inſtituerint. 647
Statiuæ feriæ. 535
Statua mulieris, quæ ſanguinis profluuio
Su[...] 118
Supplicationes à quo excogitatæ. 558. 559
Sutoriæ artis inuentio. 242
Syderum obſeruationes in nauigando qui adinuenerint. 78
Symbolum quid ſignificet. 49
Syria dea. 629
ſacerdotes.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Schiſmatum primus autor. 666
Scribendi vſum per notas quis repererit. 148
Scythæ probro dant, hominem non occidiſſe. 635. & 636
Seculares ludi a quo inuenti. 405
Seculares ludi vnde nomen habeant. 407
Secundæ menſæ à quo inuentæ. 3
Securis inuentor. 255
...apiciorum origo. 445
Terebræ inuentio. 281
Terminalis ſacra quis inſtituerit. 403
Teſſerarum ludi repertor. 165
Teſtudinis autor. 154
Teutonicorum religionis initium. 622
Texendi artis inuentio. 240
Serui... origo. 273
...mula... origo. 180
Seruorum ...nium, Polynis primo...
Seruitium à quibus inuentum. 1..
Sibyllæ vnde apres. ...
407 ...ctam. 1..
Siclus. ...capillorũ ...
Simon m... 2..
...reſ... nabula mulio... 
Simo... llis cur ſuſpendantur. ...6
S... intinabulorum vſu... 567. Myſterium. 4..
Titij ſodales. 478
Titulorum quibus Papæ vtitur, origo. 652
Torni inueſtigator. 282
Tondendi vſus à quo proditus. 296
Tormentorum inuentor. 129. & 154
Tragœdiæ initium vnde. 49
Tributum à quo primò indictum. 125
Trinitatis ordinis monachorum ortus. 615
Triremis inuentio. 287
Triumphi Chriſtianis ex gentibus reportati.

Universidad de Deusto
Biblioteca